BIBLIOTHECA HISPANA VETUS.

TOMUS SECUNDUS

Complectens ſcriptores ab anno M. uſque ad MD.

BIBLIOTHECA
HISPANA
VETUS,

SIVE

Hispanorum, qui usquam unquámve scripto aliquid consignaverunt, notitia.

Complectens scriptores omnes qui ab anno M. usque ad MD. floruerunt.

TOMUS SECUNDUS.

AUCTORE

D. NICOLAO ANTONIO HISPALENSI J.C.

Ordinis S. Jacobi equite, patriæ Ecclesiæ canonico, regiorum negotiorum in Urbe & Romana curia Procuratore generali, demum Matriti Consiliario regio.

OPUS POSTUMUM:

Nunc primùm prodit jussu & expensis

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. JOSEPHI SAENZ CARDINALIS DE AGUIRRE.





ROMÆ, M. DC. XCVI.

Ex Typographia Antonii de Rubeis propè S. Sylvestrum de Capite in Via Vitis.

SUPERIORUM PERMISSU.

CAROLO II.
CATHOLICO REGI
HISPANIARUM AC NOVI ORBIS,

Agnorum *Regum*,

PHILIPPI QUARTI ET MARIANNÆ AUSTRIACÆ,

Nuper, ut piè credimus, in cœlum translatæ,


Unico filio superstiti,

Tot regnorum singulari post Deum spei

Pignori ac solatio,

Cujus

Cujus sospitatem, felicitatem, ac fœcunditatem
Ardenter exoptat & sperat
Orbis Christianus;
HANC VETEREM HISPANIÆ BIBLIOTHECAM
Nunc primùm Romæ luci commissam,
In novum signum grati animi,
Et doloris sui ob Reginam Matrem nuper vivis ereptam
Dicat Sacrat
JOSEPHUS CARDINALIS DE AGUIRRE.



INDEX AUCTORUM

Qui in hoc ſecundo Tomo continentur.

Qui aſteriſco notantur, ſunt auctores ſuppoſititii, vel falsò Hiſpaniæ tributi.

A

Alphonſus

Index Auctorum

Anonymus

Qui in hoc II. Tomo continentur.

Anonymus

Index Auctorum

B

Bonifacius

C

D

E

Index Auctorum

F

G

Guiliel-

H

I

Joannes

Kotobi

K

L

M

N

O

P

Petrus

R

S


T

V

Vincen-

Z

BIBLIO-



BIBLIOTHECÆ VETERIS HISPANÆ

LIBER SEPTIMUS,

De ſcriptoribus ſæculorum undecimi ac duodecimi.

CAPUT PRIMUM.

De SAMPIRO *Aſturicenſi Epiſcopo hiſtoriæ ſcriptore*. FERRIOLUS DE BOLEA *ſæculi undecimi ſcriptor*. JONAS BENGANACH, ISAAC *Cordubenſis*, & JEHUDA *Barcinonenſis*, *Hebræi ſcriptores*. *De* SAMUELE & ABEN-ALFANGE *converſis*. *De* SALOMONE *archipresbytero Toletano*. *De* ANONYMO *Benedictino*, *ejuſque opere*, *ſeu* Vitâ S. Dominici Exilienſis. *De* GUNDISALVO DE BERSEO & GRIMOALDO *Benedictinis monachis*, & OSMUNDO *Aſturicenſi Epiſcopo*.

1. QUO anno undecimum à Chriſto in terris orto ſæculum inchoavit, Legionenſe tenebat regnum Alphonſus V. Veremundi filius, Caſtellanis præerat Garſias Ferdinandi Comes: Alphonſo ad Viſeum occiſſo à Mauris filius ſucceſſit Veremundus tertius anno MXXVII. & huic Ferdinandus I. levir, qui eum in prœlio interfecit, anno XXXVII. Hic Ferdinandus cognomento Magnus, Caſtellæ etiam Rex fuit; quo diem ſuum anno MLXV. obeunte, Sancius filius uſque ad LXXII. atque, eo ad Zamoram urbem interfecto, Alphonſus Sancii frater, hujus nominis VI. quod reliquum ſæculi fuit, Caſtellanis ac Legionenſibus præfuere. Navarræ alterum Chriſtianorum regnum Sancius, appellatus Major, tenuit ab initio ſæculi uſque ad annum ejuſdem XXXIV. hinc Garſias Sancii ad LIV. Sancius Garſiæ ad LXXVI. hinc Sancius Ranimiri, qui in obſidione Oſcæ urbis occubuit anno XCIV. & filius ejus Petrus, qui ſęculum abſolvit, regnavere. Surrexit & novum aliud circa annum XXXIV. in Aragonia regnum, Ranimiro Sancii Majoris Navarræ Regis filio habenas moderante; cui filius Sancius Ranimiri, is quem diximus apud Oſcam urbem à Mauris occiſſum fuiſſe, in regimine ſuccedens, Navarræ atque Aragoniæ regna uno ſub jugo tenuit.

His pręmiſſis de Hiſpanię moderatoribus huic ſęculo ęqualibus, ad ſcriptores qui ſub eorum imperio vixere, jam accedamus.

2. SAMPIRUS, Epiſcopus Aſturicenſis, primus venit exornandus laude non infima, ob ſcriptam, poſt Iſidorum Pacenſem, ac Sebaſtianum Salmanticenſem, ſive Alphonſum Regem Magnum, CXXIV. ann. hiſtoriam, ſeu Chronicon, nempe ab era DCCCXCVI. ſive anno DCCCLVIII. quo Alphonſus prędictus Rex cognomine Magnus regnare cœpit, abſolvitque narrationem ſuam laudatus Sebaſtianus, ſive Alphonſus, per Garſeanis, Ordonii II. Froïlanis II. Alphonſi IV. Ranimiri II. Ordonii III. Sancii Craſſi, tempora, uſq; ad annum CMLXXXV. quo extinctus fuit Ranimirus III. Sancii filius. Dedit hanc hiſtoriam ex pervetuſto codice Ovetenſis Eccleſiæ, atque eodem illo, unde Sebaſtianus, ſive Alphonſus, primùm erupit, Prudentius Sandovalius Pampilonenſis pręſul, ediditque Matriti cum Iſidoro, Idacio, Sebaſtiano, antiquioribus hiſtoricis, Pelagioque Ovetenſi, qui è manu hujus noſtri accepta lampade regiam hanc hiſtoriam ad ſua uſque tempora continuavit. Incipit: *Erâ DCCCXCVI. Adephonſus filius domini Ordonii ſucceſſit*. Hujus auctorem

rem libri omnes Aſturicenſem Epiſcopum vocant; floruit autem ſub Alphonſo V. Legionis Rege, qui ad Viſeum obiit, uti diximus: quod conſtat ex quodam inſtrumento (*privilegium* ſermo noſter appellat) ejuſdem Regis anno MXIX. confecto, cui Sampirus ſubſcribit Epiſcopus [a]. Noviores aliqui Sancium Petri, ſive Sancium Pirez, pro Sampiro interpretari, ſeu reſolvere amant. Sed Sampiri loci nomen in alia hujuſmet Regis conceſſione anni MXXII. expreſſum legi docet nos Ambroſius Morales lib. 17. cap. 37. appellatum hunc à Sampiro noſtro ſuſpicatus.

a Apud Moralem lib. 17. cap. 14.

3. Ejus meminit, atque hujus ejuſdem hiſtoriæ, Pelagius jam laudatus Ovetenſis Epiſcopus in libro Chronicorum ab exordio mundi uſq; ad eram MCLXX. cujus operis mentionem fecimus in Iſidori Hiſpalenſis, Juliani Toletani, Sebaſtianique Salmanticenſis, Epiſcoporum, prodendis germanis & nothis libris. In præfatione hujus libri Chronicorum legitur: *Ab Adephonſo Caſto uſque ad Veremundum Regem podagricum, Sampirum Aſtoricenſis Eccleſię Epiſcopum, ſicut à majoribus & prædeceſſoribus ſuis inquiſivit & audivit, de Gotthis Regibus, prout potuit, pleniſſimè* ſcripſiſſe. Quæ ſi certa eſſent, huic tribui oporteret ejus Chronico Colophonem Sebaſtiano Salmanticenſi vulgò tributi Chronici, quo res ab Ranimiro primo Alphonſi Caſti ſucceſſore, & Ordonio I. ejus filio geſtæ continentur. Planè in editione Sandovalii, ad hoc tempus unicâ horum Chronicorum, adeò obſcurum eſt in Sebaſtiani Chronico, quænam ejus verba, quænam verò Pelagii Ovetenſis additiones, ſive alterius ſint; ut penè deſeram eidem Pelagio inter Sebaſtiani & Sampiri hiſtorias limites prçſcribenti.

4. Res digna eſſet accuratâ docti hominis induſtriâ quatuor hæc Chronica, ſive antiquæ noſtræ hiſtoriæ corporis membra, ſic lacera deſormiaque, iterum componere, & in aliquam tolerabilem reſtituere formam, notis & animadverſionibus illuſtratam; quærereque horum hiſtoricorum codices, quibus inter ſe diverſis uſus fuiſſe Morales videtur. Sæpe enim duobus tribuſque eorum eaſdem res acceptas ferre ſolet, tanquam ſi ejuſdem temporis eventa omnes, & non alius poſt alium, perſequuti eſſent. Cujus exemplum rei opportunè hìc dabimus. Sub Veremundi Regis titulo in Sebaſtiani Chronico inſertus alius titulus legitur: *De arca reliquiarum Toleto in Aſturias translata*. Ubi quæ de Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, Eccleſiæ S. Salvatoris ab Alphonſo Caſto ędificatæ adjacente, leguntur, non quidem Sebaſtiano, neque Pelagio, ſed Sampiro is tribuit [b], tantùm eadem verba è Latino in vulgarem ſermonem transferens.

b Lib. 13. cap. 40.

5. Circa medium ferè hujus ſęculi vitam agebat in monaſterio Pinnatenſi regni Aragoniæ Ferriolus de Bolea, cujus, uti operis cujuſdam hiſtorici de rebus ſui temporis auctoris, Surita meminit *Indicum Latinorum* lib. 3. ad ann. MXLIX. his verbis: *Vetuſtæ prętereà tabulæ exſtare in cœnobio S. Joannis Pinnatenſis Gotthicis literis inſcriptæ feruntur, quibus Ferriolus Bolea, qui ſe cum Nuennone fratre ei ſacro cœtui addixerat, dum hoſtium feritatem atque immanitatem devitat, & paganos vocat, perbibet hoc anno Ramirum Regem* &c. Hęc Surita.

6. Hujus loci erant, niſi manere juſſiſſemus Hebræos omnes bibliothecam ſuam Hiſpano-Rabbinicam, Jonas Benganach, Cordubenſis medicus, & grammaticus celebratiſſimus; Isaac ejuſdem urbis civis, Heboſi Granatæ Regis Conſiliarius, Jehuda Barcinonenſis, & ſi qui alii huic tempori æquales fuere. Nihilominus tamen horum Hebræorum albo eximere eos libuit, qui renunciantes mortuæ jam & antiquatæ legi, Chriſtianæ legis ſuave jugum ſponte ſubiere.

7. Quare huc Samuelem advocamus, ex Judæo Chriſtianum, Toleti, recèns, poſtquam ab Alphonſo Rege VI. anno hujus ſęculi octogeſimo quinto recuperatum eſt à Maurorum manibus, ad veram fidem converſum. Iccircò eum Hiſpaniæ adſcribimus, qui revera in Africa & Feſſana urbe natus dicitur, apud nos tamen fidei natales ſortitus. Poſtquam verò Eccleſiæ gremio exceptus fuit, aliqua ex cauſa Marochum rediens, concertationem ibi cum Albucalebo Mahometanorum magiſtro inſignem habuit [c], de qua hiſtoriam Arabico ſermone, quæ ms. adſervatur in regia Eſcurialenſi bibliotheca, formavit.

c Hieron. Romanus de la Higuera in *Hiſtor. Toler.* ms. lib. 16. c. 5.

8. Celebrior tamen ejuſdem Samuëlis epiſtola, ſeu veriùs liber juſtus, ad Iſaac Rabbinum ſynagogæ, quæ in Subjulmeta fuit prędicti regni Marochitani, magiſtrum directus, Arabicè & ipſe loquens; cujus translationem habemus Latinam auctore Alphonſo Bonhominis Dominicano Hiſpano, huic operi circa annum MCCCXXXVIII. incumbente. Quæ quidem eſt manu exarata in bibliothecæ Vaticanæ cod. 4079. 98. librorum mss. cum hoc titulo: *Alphonſi Hiſpani interpretatio argumentorum de Fide Samuëlis Iſmaëlitæ*. Excuſa fuit unà cum Petri Alphonſi dialogo contra Judæos Coloniæ apud Gymnicum MDXXXVI. in 8°. & in *Bibliotheca SS. PP.* ſeorſumque Venetiis à Matthæo Leni MDCLV. in 8°. cum Hieronymi Moratini ad Joannem Franciſcum Barbadicum ſenatorem Venetum epiſtola. Hiſpanam quoque Alvari de Villaſcuſa juriſconſulti Salmanticæ degentis exſtare, anno MCDXVIII. in gratiam cujuſdam amici ſui, nomine Joannis de Villa-fuerte, factam ſcribit Hieronymus Romanus de la Higuera in *Hiſt. Toler. urbis* ms. lib. 16. cap. 5. Et hac quidem epiſtola ex Prophetarum dictis, Chriſtum Jeſum verum Meſſiam veniſſe, paſſumque ac mortuum eſſe, reſurrexiſſeque, & ad cœlos aſcendiſſe, iterumque adventurum, liquidò monſtratur. Quare interpres Latinus jure ſuſpicatur merſum in tenebris Judæorum induſtriâ tamdiu fuiſſe opus, quòd tam luculentis rationibus teſtimoniiſque adverſus eorum perfidiam ageret. Namque ſcriptum fuiſſe mille annis poſt gentis & Hieroſolymorum excidium teſtatur auctor, quo indicat annum hujus ſæculi ſeptuageſimum: nam eodem ſeptuageſimo ſęculi primi Chriſtiani à Tito urbs capta,

ever-

eversumque fuit & incensum Hierosolymorum templum.

8. Æqualis fuit horum temporum Aben-Alfange Maurus ex Valentiæ regno, sed & ipse Christiano adscriptus gregi, postquam Valentina urbs regia in manus Roderici Didaci de Bivar, cognomento *Cidi*, magni hujus ętatis, quam persequimur, ducis, pervenit; quod an. MXCIV. sive erâ MCXXXII. contigisse novimus [d]. Scripsit hic historiam nuper laudati, nunquamque pro dignitate laudandi, herois. Quâ usus fuit in describendis ejusdem rebus gestis, nescio cujus operâ in vulgarem linguam conversâ, Petrus Antonius Beuter, ut in prologo historiæ suæ *De rebus Hispaniæ* nos docuit, ministrum fuisse eum, sive officialem, admonens ejusdem Cidi. Laudat quoque hanc historiam Gaspar Escolanus lib. 7. *Hist. regni Valentini* cap. 24. §. 4. Ignota ea tamen est Castellanis scriptoribus, qui res magni viri gestas literis tradiderunt. nisi vulgaris illa sit, quæ absque nomine auctoris prostat.

d Sandoval Histor. del Rey D. Alonso VI. fol. 84.

9. Ad Hispani generis viros redeuntibus primus occurrit Salomon archipresbyter Toletanus, si ipse proprius auctor fuit libelli *De virginitate sanctæ Mariæ* literis Gotthicis scripti, quem sanctissimæ Trinitatis sodales Toletani adservant. In cujus fine ita legitur: *Benedictus es Domine, qui adjuvisti me, & consolatus es me. Ego miser Salomonis archipresbyter, servus Dei indignus, & peccator, scripsi hoc libellum* De virginitate S. Mariæ Virginis & Dei genitricis Domini, *& ad finem usque conscripsi in civitate Toleto in Ecclesia S. Marię Virginis sub metropolitanæ sedis domino Paschali Archiepiscopo* XVIII. *Kal. Octobris in era millesima centesima quinque; notatum sub die sexta feria, horâ tertiâ, in diem sancti Cypriani Episcopi*. Annus hic est septuagesimus septimus supra millesimum; totque in hac notula stribiligines vix persuadent aliam quàm exscriptoris operam in libello forsan sanctissimi Ildephonsi *De virginitate Deiparæ Virginis* à Salomone navatam; de quo nos admonere debuit auctor rei Hieronymus Romanus ab Higuera in Notis ad Luitprandi Chronicon [e].

e Ad annum CMXXXVII. pag. 419.

10. Anonymus Benedictinus monachus antiquæ domus S. Dominici de Silos in Castella veteri, & Burgensi diœcesi, hoc ferè tempore, id est sub Alphonso VI. Rege, *Acta* seu *Vitam* scripsit ejusdem *sancti* viri *Dominici Exiliensis, sive de Silos*, hujus monasterii abbatis, qui sanctissimè obiit Decembris xx. anni MLXXIII. cujus memoria fastis sacris, præsertim nostris Hispanis, ritè inserta legitur. Acta hęc edidit D. Joannes Tamajus *Martyrologii Hispani* tomo 6. hac die xx. Decembris, quæ exhibuit ei D. Josephus Pellizerius, quod preterquam à Pellizerio ipso in bibliotheca suorum librorum fol. 67. affirmante didicimus, fatetur Tamajus ipse, pariter monens exstare ea in monasterio eodem Exiliensi, & in S. Martini Matritensi: sed & ad calcem hujus codicis, quo usus ille fuit, legi ait narrationem, quam uti prolixam edere noluit, centum quatuordecim miraculorum ad ejusdem Sancti intercessionem à Deo factorum duobus libris contentam, quam quidem D. Josephus Pellizerius ineditam à Tamajo relictam fuisse dolet.

11. Eidem aut alii ejusdem cœnobiticæ domus habitatori, cujus nomen ignoratur, Chronicon Castellanorum, sive potiùs Legionensium, Regum, à Pelagio usque ad Ferdinandum, sæculo huic supparem, quod *Exiliense* audit ab auctoris monasterio, tribuimus.

12. Gundisalvus de Berseo Benedictinus monachus in eodem S. Æmiliani monasterio scripsit carmine illius ævi usitato, quod tredecim pedibus constat, vulgarique nomine audit *endecha doblada*, Sanctorum quorundam Vitas, aliaque. Inter has eminet S. Vincentii levitæ illa quę incipit:

Quando ofrecio Christus la su carne preciosa.

definitque his versibus:

Gonzalo fue su nombre, que hizo este tratado
En San Millan de suso fue de niñez criado,
Natural de Berzeo, dōde San Millā fue nado.
Dios guarde la su alma de poder del pecado.

Sunt & Vitę sancti Æmiliani, & S. Dominici de Silos, necnon & carmen aliud de prœlio Septimancensi (*De la batalla de Simancas*) quo Ranimirus II. Legionis Rex anno CMXXXVIII. Sarracenorum exercitum penè ad internecionem delevit: exempla item, seu monita ad promovendam pietatem. Membranaceis duobus voluminibus hęc & alia ejus opera custodiuntur in cœnobii S. Æmiliani archivo. Floruisse autem Gundisalvum sub Alphonso VI. Rege circa an. MLXXX. ex relatione ad nos ab eodem monasterio transmissa notum facimus. Hunc S. Dominici Vitę auctorem nescio quare Megiam vocat Ludovicus Arizius, Benedictinus & ipse, in *Abulensis urbis historia*.

f Morales lib. 16. cap. 14.

13. Ejusdem asceterii monachus fuit eodem ferè tempore Grimoaldus, seu Grimaldus, nempe circa annum sæculi nonagesimum octavum. Hic Latino atque eleganti stylo scripsisse refertur *Vitam & mortem S. Dominici de Silos: translationem* item *corporis S. Felicis à castello Bilibio* (quod *Haro* nunc audire credunt) *ad monasterium Æmilianense*, atque aliorum sanctorū Vitas. Transtulisse eundem sacra Biblia, & S. Gregorii Moralium libros, quod ex eadem religiosissima domo ad nos delatum fuit, nescimus planè an ad scribendi tantùm, an ad ex Latinis vulgaria faciendi majorem industriam pertineat. Asservari ea omnia opera in monasterii tabulario inde item sumus certiores facti.

14. Osmunni quoque Asturicensis Episcopi circiter annum sæculi quinquagesimum nonum ad Idam Eustachii Comitis Bononiensis in Gallia uxorem scriptę epistolæ mentionem jure, quantumvis brevissimæ, hîc facimus. Continet enim hęc [g] septem discipulorum, Torquati, Iscii, & sociorum in Hispaniam adventûs notitiam; transportatarum item ad alpes (ita vocat) Asturicenses, Maurorum ob metum, sacrarum reliquiarum, quę Asturicæ, Ovetique repositę fuere. *Nos verò posteri* (finem audis) *sic eas habentes, & præcepto nostri Regis, videlicet Adephonsi, non obviantes, misimus vobis de melioribus & dignioribus*

g Edidimus nos hanc epistolam tom. 3. Collect. Max. Concil. Hisp. pag. 225. cum Notis D. Joannis Mabillonii. Cardinal. de Aguirre.

ribus magnam partem, obsecrantes, ut sitis memoratrix Astoricensis Ecclesię. Valete. Ego verò Adephonsus Rex hanc certam vidi & legi, & quęcumque in ea scripta sunt, propria manu confirmavi. Idam tunc temporis in castro Lenensi, quod nunc *Lens* vocant, pagi Atrebatensis, Deiparę Virgini exstruxisse templum, in eoque canonicorum collegium instituisse, reliquiis undique conquisitis in ædem istam sacram invectis, ex Balderici Chronico, & Jacobi Malbranc libro 8. *De Morinis* cap. 49. observavit, illustrandæ huic epistolę Joannes Mabillonius Benedictinus, vir ingentis in producendis antiquis libris, ac dijudicandis meriti, qui eam in *veterum Analectorum* tomo 1.[h] superioribus annis Lutetię edito, primùm protulit.

h Pag. 217.

CAPUT II.

AVICENAM, *seu* ABEN-SINAM, *malè à quibusdam ex nostris auctoribus Hispanorum albo & huic sæculo affigi. Joannes Gerundensis Episcopus qualis eruditionis vir. Avicena non Rex dignitate, sed* Alrajits, *sive* Errahis *princeps ob excellentiam doctrinæ. Bochara Persiæ, sive Aphshana vicus huic urbi proximus, Avicenæ patria: quod ex Sorsano Vitæ ejus auctore, verbisque Avicenæ ipsius, atque aliis Arabibus historicis confirmatur. Nec item in Hispania fuit. Contrarium autem increbuisse verosimile est ex fabula quæ in Chronico Lucæ Tudensis legitur, Isidori Hispalensis Episcopi medicos libros à quodam Avicena in Arabicum translatos & falsatos. Avicenæ fatum in obscurato sibi à pluribus scribendi merito. De ætate Avicenæ Stephani Garibaji error. Absque ullo fundamento duo à nonnullis constituuntur Avicenæ. In transcursu de hujus interprete, qui Gerardus Carmonensis, non Cremonensis, fuit. Verum Avicenę nomen* Abu-hali Elhusein Abdalla Ibnu-sina, *sive* Aben sina, *unde corruptum* Abicena.

15. AVICENAM medicorum Arabum florem ac principem, injuriâ magnâ recentiorum quorundam, Persiæ, unde ortu fuit, eripi, adscribique Hispaniæ ęgre ferimus. Disquiremus igitur de ejus patria, deque origine erroris. Falsaque esse, quæ veluti fato quodam adversus ejusdem famam à quibus dam jactantur, ostendemus.

16. Nescio unde invasit nostros homines, non recenter, sed jam diu nata persuasio, Avicenam medicorum Arabum principem, qui Persa fuit, in Hispania esse natum. Sæpissimè enim hunc errorem committi video, priusquàm ex Arabicis recentiorum operâ evulgatis historiis immissa his tenebris vera lux fuisset. Eo nempe tempore, quo verè dicere Lucius potuit Marinæus Siculus [i], de Avicenæ vita certi quidem nihil inveniri. Hispanum fanè sunt qui vocent sine loci nota [k], Bæticum alii [l], plures qui Cordubensem [m]; plurimi qui Hispalensem [n]. Qui Cordubæ favent, vanè sic arguntantur. *Corduæni* populi sunt Persiæ, *Corduena* illius regio Plinio, Ammiano, & aliis laudata. Necnon *Corduba* urbs Hispaniæ a Persis condita, ut contendit Stephanus Garibajus lib. 5. *Compendii histor. Hispan.* cap. 4. pro quo stat Pseudo-Luitprandus in Chronico ad annum DCXCVIII. urbem istam à Persis conditam non obscurè affirmans. *Corduensem* ergo, & *Cordubensem* qui Avicenam dixerint, unâ tantum literâ variantes erunt; facilisque à Corduba Hispaniæ ad Corduenam (*Cordusam* Garibajus vocat) Persiæ, ab Hispano ad Persam lapsus.

i De laudib. Hisp. lib. 6. sive De virtusque do ... illustrib.

k Damianus Goës in sua Hispania, Joannes Garsia De nobilitate.

l Didacus Lopez Bilbilitanus ad Avicenę lib. De virib. cordis anno MDXXVII. editum.

m Pet. Medina. Grãdezas de España. Matamorus De academiis & doctis Hisp. viris. Ludov. Nonnius in Hispania sua cap. 10. Volaterranus lib. 21. Cõment. Urbanor. Henricus Vaca de Alfaro in Vita Avicenæ.

n Catalogorum collectores Paschalis Gallus, Gesnerus, Lycosthenes, Simlerus, Gaspar Bauhinus, quos Raunretius citat ad Luitprandum Notis anno DCXCVIII. pag. 377 Blantavitius in Biblioth. Rabbinica, Lucius Marinæus Siculus dicto lib. 6. De laudib. Hisp. Tarrafa De Regib. Hisp. in Alphõso VIII. Valerius Andreas in Catal. scriptor. Hisp. Lanssius in Consultationibus, Consult. pro Hispania. Bern. Lutzemburgensis in Catalogo hæreticorum lib. 2. literâ A. verbo Avicena.

17. Nondum tamen vagandi finis. Nam Aragonenses ad se pertinere ajunt Avicenam, quippe natum in castro *Avicaña*, quæ nunc *Avizanda*, hujus regni, dicto audientes Fabricii Gauberti ejusdem chronographi: nec improbat Vincentius Blascus de la Nuza in *Histor. Aragoniæ* volum. 1. lib. 5. cap. 44.

18. Valentini quoque civem suum contendunt, Hieronymi Paulli fide, viri doctissimi, quem laudat Gaspar Escolanus lib. 9. *Hist. Valent.* cap. 48. hincque ait existimâsse *Abicena* oppidum in *Valle Gallinaria* hujus regni situm Avicenæ originem, atque ejus gentiles nomen dedisse oppido.

19. His omnibus commissus error ex vocabuli proximitate. Quemadmodum, & his qui Avicenam in Ebuso insula (*Ibiza* nunc) Balearium una, esse ortum jactant; in testimonium rei adducentes quandam turrim, sive in ea domum, in muro Ibizæ civitatis, de Avicena dictam, vulgaremque apud insulanos famam inde eum fuisse: quod in *Itinerario* suo *legationis ad magnum Tamberlanem*, Henrici III. Castellæ Regis nomine ante CCL. ferè annos obitæ, Rodericus Gundisalvi à Clavijo memoriæ tradidit. Hinc factum, ut in eadem Ebuso insula hunc regnâsse Joannes Margarit, Gerundensis vulgò dictus Episcopus, per somnum viderit. Qualis huic *Paraleipomenon Hispanicarum historiarum* observator debeatur fides, ex his de re verbis conjectari lector poterit. *Dicta Ebusa à candore salis, quod ebori simillimum est.* (ait lib. 1.) *Nunc autem eadem insula Alviza dicta est ab Avicena Arabe medico, quem ibi regnâsse ferunt Arabum tempore.*

20. Cordubæ [o] alii, Ægypti alii [p], Bithyniæ & aliqui Regem [q], nonnihili homines credidere. Huic errori ansam dedit attributa magno huic philosopho ac medico principis appellatio, *Alrajits*, sive *Errahis*, quæ honoris ob doctrinam exhibiti, non potestatis nota est, uti observavit Joannes Leo Africanus in Avicenæ elogio libri sui [r] *De scriptoribus Arabicis*, & Vopiscus Fortunatus Plempius in scholio ad præfationem Canonis hujus auctoris, cujus unum & alterum librum nova ex Arabico versione, scholiisque illustriorem, ante aliquot annos in lucem emisit.

21. Planè nugati sunt qui aliam Avicenę patriam constituêre quàm Persiæ regnum, atque in eo *Bocharam*, aliàs *Bucharam*, ab Europęis *Bachora* nuncupatam, ad Euphratem fluvium vetustissimam urbem, Bactrianæ quondam metropolin, sive villam huic proximam *Aufene* dictam (*Buchora* urbs habet circum se plures villas & vicos, quos omnes mu-

o Didacum Loperium vide sis in Cõment. ad Avicenæ librum De virib. cordis Tolosæ edito MDXXVII.

p Joannes Bapt. Montanus apud Plempium in prologuio ad suam Canonis Avicenæ ultimam Interpretationem ad lectores medicos.

q Marinæus Siculus lib. 6. De laud. Hisp. Matamorus in De acad. Hisp.

r Apud Hottingerum in Bibliothecario pag. 236.

murus ulterior, hoc est tertius, cingit, quorum è numero *Aufene*, sive *Aphshana*, nam & ita audiit, esse potuit. Golium vide in Notis ad Alfergani elementa Astronomica s) cujus rei testis est omni exceptione major Sorsanus in magistri, cujus auditor fuit, Vita Arabice conscripta; quam primùm transtulit in Italicum Marcus Fadella Venetorum mercatorum interpres, ac postea in Latinum (ex Italico forsan) Nicolaus Massa medicus; eamque præfixere Juntæ Veneti editioni suæ Avicenæ operum anni MDCVIII. Inseruit item suis *Medicorum Vitis* Petrus Castellanus; Georgius item Abulfarajus in *Historia Dynastiarum* adducit ejusdem Avicenæ de se ac parentibus suis verba, quæ ex Eduardi Pocockii, Arabicarum literarum clarissimi professoris Oxoniensis, versione dabimus. *Pater meus Belchensis (Belch* urbem vocant) *fuit, unde se in Bocharam transtulit diebus Nubi Ebn-Mansur, & in villa Harmatain procuranda occupatus est; matremque meam è villa, cui nomen Aphshana, duxit, atque ibi ex ea nati sumus ego & frater meus. Inde cùm Bocharam migrassemus, missus sum ad præceptorem*, &c. Quo quid clarius dici potuerit, non video.

s Pag. 177.

22. Consonat omnino Mahomed Ben-Casem, cujus testimonio utuntur, diligentissimum *Vitarum illustrium virorum* auctorem appellantes, Gabriel Sionita, & Joannes Hesronita, professores & interpretes Arabicæ linguæ Christianissimi Regis Galliarum, in tractatu *De nonnullis orientalium urbibus*, quem versioni suæ Latinæ *Geographiæ Nubiensis* subjecere. Hæc forsan est historia Arabica *De Vitis philosophorum & medicorum Arabum & Græcorum* ab Andrea Alpago Avicenę interprete laudata t, eâve, quam ex Arabico vertisse Marcum Obelum, in curia Matritensi hujus linguę interpretem, docuit nos D. Laurentius Ramirezius ad Luitprandum Notis u. Quibus solidissimis testimoniorum fundamentis nostri etiam, qui judicio & non prejudicio utuntur, vulgariter jam acquiescunt x.

23. Adeoque verum est Hispanum non fuisse Avicenam, ut nec eum ad Hispaniam venire potuisse, quod Garibajus noster admisit, ex historia ejus constet, conjecturisque ex ejusdem libris deductis fulciatur. Tenorem vitę omnem, locaque ab eo habitata, cùm ex Avicena ipso, tum ubi deficiunt, quę de se is narravit, ex Abu-Obaida Alfuziani ejus familiari, & usque ad mortem socio, comprehendit Gregorius Abulfarajus in *Historia Dynastiarum* y memorata. Obiisseque diem suum *Hamdani* (hęc est Parthię urbs z) monet Abulfarajus, & ex Historia Aben-Casem laudati Maronitę *Geographiæ Nubiensis* interpretes.

24. Nusquam autem, ut credo, inter tot rerum ad medicam artem toto orbe deservientium commemorationem Hispanię à se habitatę, observationúmve ibi factarum vestigium reliquit. Quinimmo lib. II. Canonis tract. 2. cap. 6. ubi de *Wagi*, sive *Acoro*, postquam Dioscoridem citâsset, addidisse eum descriptioni à se factę hujus radicis ait *sibi à*

t In præfat. ad Avicenæ opera.
u Ad annum DCCCXVIII. pag. 377.
x Morales lib. 12. cap. 12. fol. 117 & lib. 16. cap. 8. Mariana lib. 6. cap. 7. Monardes *De lapide Bezoar.* fol. 113. Texeira in *Histor. Regū Persæ* Hispanica lib. 1. cap. 35. Item quot quot serio, & doctè de Avicena scripserunt, Plempius in dicto *Prologue ad lectores*; Eduardus Pocockius in *Specimine historiæ Arabum*, Caserrius in *Compēdio chronologico*, eoque laudato R. P. D. Julius Bartoloccius amicus noster in *Magna biblioth. Rabbinica* 1 tomo pag. 6. Golius in *Notis ad Alfergani elementa Astronomica* pag. 177
y Pag. 229.
z Vide Golii Notat ad Alfergani elementa Astronom. cap. 9. pag. 120.

Josepho Hispano Bætico relatum esse, aliquod quoddam esse Acori genus, Gabatense vocatum, quod ex Hispania Bætica advehitur, ex Plempii nova interpretatione a. Quibus satis ostendit Hispanas, immo & Bęticas res, aliorum tantùm indicio sibi notas. Clariùs cap. 11. ubi de *Ketsengi*, sive *Ketsengio*. *Crescit plurimum* (inquit) *in regionibus nostris, nimirum Maurenabra, atque etiam Chorasana*.

a Pag. 115. edit. Lovan. an. MDCLVIII.

25. Alteram ab altera ex duabus his Asię provinciis dividit Oxus fluvius, uti Plempius ad hunc locum notat. Fragmentum Geographię Abulfedę principis Hamatæ in Syria de duabus his provinciis edidit à se conversum Joannes Gravius, ut in *Bibliotheca orientali* Hottingeri b legitur. Cap. 12. ubi de *Laija*, inquit: *Videtur illa esse planta, quam in Ferauva & Busengia nominant antidotum*. Utraque urbs est illarum partium, *Ferauva*, fortè *Farab*, cujus geographus Nubiensis meminit c, *Busengia* una est è precipuis Chorosanę, ut notat Plempius. Frequentissimè etiam Caramanica, Persica, Syriaca, Nabathęa, Ægyptia, Arabica, simplicia inter se distinguit d, rarò aut nunquam Hispanorum meminit. Opponunt haberi apud Avicenam e earum-concharum mentionem, quas ad visitandum S. Jacobi Compostellanum templum venientes secum reportare consueverunt. Esto id quod Didacus Lopezius observat Bilbilitanus, qui auctoris librum *De viribus cordis* commentario à se illustratum ante sesqui-seculum in lucem edidit f, quem locum quęrere nunc non vacat. Potuit enim ex aliorum relatione id nôsse.

b Pag. 258.
c Octava parte Climatis quarti paginâ mihi 121.
d Vide dict. tract. 2. cap. 9. in Tibatchiabets, Citada cap. 11. in Keminum Cyminum cap. 1. in Bakhili, seu faba.
e Lib. 4. Can. fen. 21. tract. 3. cap. 4.
f An. MDXXVII Tolosæ in fol.

26. Examinare autem volentibus hujusce majorum nostrorum erroris in adscribendo civitati nostræ Avicenę originem, innuam quod suspicor; ex fabula eum derivâsse, quam Hispalensis præsulis sanctissimi ac Hispaniarum doctoris Isidori rebus temerè immistam Lucas Tudensis Episcopus Chronico suo, quasi ex S. Ildephonso desumeret, inseruit. *Successit* (ait) *beatissimo doctori Isidoro Theodisclus natione Grecus, varietate linguarum doctus, exterius locutione nitidus, interius autem, ut exitus demonstravit, sub ovina pelle lupus voracissimus. Nam libros quosdam* De naturis rerum & arte medicinę, *necnon &* De arte notoria, *quos pater Isidorus facundo stylo composuerat, & ne dum ad publicum venerant, in odium fidei corrupit, resecans vera, & inserens falsa, atque per quendam Arabem nomine Avicenam de Latino in Arabicum transtulit*. Hęc ille. Quę S. Ildephonsi verba esse ex additione ad Isidori Chronicon, & non potiùs glossemæ scioli alicujus, persuadere mihi non possum.

27. Fatum hoc Avicenæ fuit, ut abnegaretur ei ex tot libris conscriptis meritum. Apud Orientales enim increbuit rumor, non ab eo, sed à summo quodam alio medico, cui famulabatur is, digestos, tantumque ab eo exscriptos & vulgatos fuisse; quod Maronitę in laudato cap. 3. *De Bochara Avicenæ patria* prodidere. Apud Hispanos quoque nostros aliter viri famæ insultatum reperio. Dicam id verbis Joannis Ægidii Zamorensis Fran-

Franciſcani, qui tribus ferè ab hinc ſeculis varia ſcripſit hiſtorica: hucuſque enim non maximo diſpendio his etiam nunc ineditis earemus. *Accedit ad Hiſpaniam decorandam* (ait) *Avicena philoſophus, qui pre ceteris philoſophis plures libros compoſuit, omnes ſcientias circuniens, & perſcrutans, triviales, & quadriviales, cœlicam, & mundianas. Ut aliqui aſſeverant, quatervigınti philoſophi Cordubę congregati omnes libros illos compoſuerunt, & Avicenę cuidam Regis filio adſcripſerunt, ut ex hoc in majori auctoritate libri haberentur, & filii Regis nomen, & majori memoria & reverentia haberetur.* Nec inveriſimilia his dici Garibajus credidit [f]; immo convenire ait *Abu-hali* verum Avicenę nomen cũ Regis nomine, qui per id tempus Africę & Hiſpanię Mauris imperabat. Magnus quidem hic hiſtoricus noſtrę gentis parum hic lynceus fuit, ęquales ejuſdem temporis Avicenam, Averroëm, Aben-Zoar, philoſophos inter ſe, & cum Abu-Hali Aben-Tafin Rege Maurorum exiſtimans; cùm Avicena toto ſeculo pręceſſerit cęterorum ætatem.

[f] Lib. 18. cap. 12.

28. Mortuus quippe anno Chriſti MXXXVI. aut uno è duobus ſequentibus, quinquaginta ſex circiter in ętate habens, juxta exquiſitam Erpeuii & Gutſchonii, quibus Plempius utitur, computi rationem. Aben-Zoar verò mortuus fuit an. MCLXXXVI. [g] & adhuc eo tardiùs Averroës ejus diſcipulus: Abu-hali autem, Hali filium, Joſephi nepotem, qui tres è genere Almoravidum fuere, Alphonſo VII. nuncupato Imperatori æqualem vixiſſe, & anno MCXLVII. interfectum Africano in prœlio ab Abdelmone fuiſſe, idem agnoſcit Garibajus [h]. Cadit ergo chronico iſto telo & altera fabula de Avicenæ & Averroïs inimicitia, ob quam ſeſe mutuò eos interfeciſſe, tam verè quàm ſuperiora dicuntur. Et tamen retulit in hiſtoriam Jacobus Philippus Bergomenſis [i], Garibajus [k], quem nuper laudavimus, Marinæus Siculus [l], ſimilium nugarum amaxarius, &, quod magis eſt, Alphonſus Garſias Matamorus [m] vir haud parum eruditus, implacabilem Averroïs ęmulum Avicenam vocans.

[g] Joannes Leo in hujus & Aben-Zoar elogiis.

[h] Dict. cap. 12. 13. & 14.

[i] In ſupplem. ad annum MCXLIX.

[k] Dict. cap. 12.

[l] Lib. 6. *De laudibus Hiſp.*

[m] *De academiis & doctis Hiſp. viris.*

29. Nec video quare avertendis his nebulis Perſicarum rerum, & hominum cum Hiſpanis confuſorum opus, aut operæ aliquod pretium ſit, Avicenas duos, alterum hunc Perſam, qui verè fuit, alterum civem noſtrum, conſtituere. Tribuitur conjectura hæc Joanni Marianę, quem ſequuntur Joannes Riolanus, & Renatus Moreau, medici doctiſſimi, apud Plempium, Gaſpar item à Regibus in *Elyſio jucundarum quæſtionum campo* [n]. Marianę locus mihi adhuc inviſus eſt.

[n] Quæſt. 2. num. 18.

30. At quod in Avicena peſſimo jure nobis defertur, in ejus interprete præcipuo ac principe aufertur maximâ injuriâ; cùm qui Gerardus Carmonenſis fuit, & nuncupari debuit, hoc eſt ex Carmona urbe, non parum inter Bæticas, etiam tempore illius civis, nobili, pravâ unius literulæ tranſmutatione Gerardus Cremonenſis, etiam inter eruditos, audiat: quem tamen nos loco ſuo patriæ, & genti vindicabimus. Duo interim non tacebo in Avicenæ, qui ſaltem reputatus fuit noſter, gratiam. Primo opera ejus Arabica extare MSS. in bibliothecis Eccleſiæ Toletanæ octo voluminibus, Hebraïcè autem verſa quatuor aliis in ea quam habent Romæ PP. Societatis Collegii Sancti Ignatii. De translationibus in Latinũ agemus in Gerardo Carmonenſi. Secundò, verum illius nomen fuiſſe *Elbuſein*, *Albazen-Sem*, ſive *Hazen*; dictum verò vulgari appellatione *Abu-hali Elbuſein Abdalla Ibnu-ſina*; à qua ultima, ſive avi, ſive familiæ appellatione, corruptè pronunciari cœpit, vel *Aben-ſina*, quomodo appellat Reuchlinus lib. 1. *Cabalæ*, & alii, ſive adhuc corruptiùs, *Avicena*, ſed nimium jam in extero commoramur.

CAPUT III.

De ſcriptoribus ſæculi XII. PETRUS ALPHONSI *ex Hebræo Chriſtianus. De hoc, ejus patria, & ævo, errores quorundam notantur. Ejus dialogi contra Judæos, & alia.* PETRUS *Legionenſis Epiſcopus Alphonſi VI. Regis hiſtoricus.* ALBERTUS *monachus.* PETRUS *Compoſtellanus Epiſcopus idem eſt cum* PETRO DE MONSONCIO *ſuperiùs laudato.* PELAGIUS *Ovetenſis præſul. De ejus collectione hiſtoriarum Hiſpaniæ, & quodam earum codice* MS. *cujus præfatio vero haud conſtat. De aliis ejus libris. Noſtrorum hominum incuria hiſtoriæ fontes non quærendi, & publico bono exponendi. Ambroſium Moralem aliis quàm nos Iſidori Pacenſis, Sebaſtiani, Sampiri, atque hujus Pelagii Chronicis uſum fuiſſe, pluribus argumentis comprobatur.* BERNARDUS *Gallus, Toletanus Archiepiſcopus temerè creditur quorundam ſermonum S. Bernardo Clarę-vallenſi attributorum auctor. De* NONNIO *Luſitano abbate, & quodam ejus opuſculo.*

31. INITIO ſæculi duodecimi jam Regum Chriſtianorum in Hiſpania vires & imperium longè lateque diſperſa in unam Bæticam viciniorem & commodiorem Africæ, Sarracenos ferè protruderant. Quo quidem excellentiſſimi principes amplianda Eccleſiæ ditioni à Deo nobis conceſſi, bellica vi atque virtutibus regiis, ſi qui alii, floruere. Obiit quidem Alphonſus VI. Caſtellæ ac Legionis Rex magnus, anno MCVIII. relicta hærede Urraca, quæ Alphonſo I. Aragonenſium Regi, *Prœliatori* cognominato, non dudum nupſerat; qui aliis Alphonſus Caſtellæ VII. aliàs, quòd Urraca ex priore conjuge Raymundo Burgundionum Comitis filio Alphonſum regni hæredem futurum jam ſuſceperat, nullo inter hujus nominis Reges Caſtellæ numero habetur. Poſt Urracæ obitum Alphonſus Raymundi jam laudatus, vulgò ſeptimus, & Imperator Hiſpaniarum dictus, ab anno MCXXII. uſque ad MCLVII. utriuſque regni habenas moderatus, obiens, Sancium primogenitum Caſtellæ, Ferdinandum verò juniorem Legioni præfecit. Sancio unius anni Regi, qui propterea vulgari ad poſte-

posteros nuncupatione *Desideratus* audit, Alphonsus filius VIII. *Nobilis* & *Bonus* appellatus, anno MCLVIII. succedens, absolvit sæculi longævus ac felicissimus princeps. Ferdinandus item Legionis an. MCLXXXVIII. fato functus, Alphonsum filium, sæculo & ipsum æqualem, successorem reliquit.

32. Aragoniæ verò regnum, cui Navarræ unitum erat, post Petrum germanum fratrem, hujus nominis tertium, qui eodem ineunte sæculo rerum potiebatur, Alphonsus obtinuit, ille qui propter Urracam conjugem Castellæ quoque Rex, uti diximus, fuit. Quo absque liberis diem suum obeunte, Aragonenses Ranimirum monachum Benedictinum, Navarręi Garsiam Ranimiri, & regia utrumque stirpe, anno MCXXXIV. Reges elegerunt. Ranimirus ducta conjuge Petronillam suscepit, quæ Raymundo Berengarii Barcinonensium Comiti nupta circa annum hujus sęculi XXXVII. Alphonsum filium, *Castum* nuncupatum, anno sexagesimo tertio reliquit Aragoniæ, unà cum Cataloniç Principatu, Regem. Huic Petrus, cognomento *Catholicus*, nonagesimo sexto successit.

33. Navarræ verò post Garsiam prædictum Sancius ejus filius *Sapiens* ab anno MCL. Huic alius Sancius, *Fortis* appellatus, ab anno MCXCIV. præfuere. Portugalliæ Comitatum Henricus cum Teresia Alphonsi VI. Castellæ ac Legionis filia initio sæculi regebat; cui anno MCXII. successit Alphonsus filius, primusque ejusdem jam regni Rex, quod septuaginta tribus annis usque ad MCLXXXV tenuit, successore relicto Sancio I. Hæc de Hispaniæ totius Regibus praenoscere, ut liqueat quibus eorum quisque æquales hujus sæculi scriptores vixerint, non inutile duximus.

34. Agmen ducit hos inter Moyses Hebræus natione sectaque, ab ea ad Christianismum conversus anno MCVI. in urbe Osca regni Aragoniæ, ac PETRUS ALPHONSI nuncupatus, eo quòd in festo *SS.* Apostolorum Petri & Paulli sacro tinctus lavacro Alphonsum Aragoniæ simul & Castellæ atque Legionis, uti diximus, Regem, cujus medicus fuit, sponsorem aut susceptorem, sive, ut vocat ipse, spiritualem patrem, habere meruit. Id quod expressissimè idem narrat in prologo ejus dialogi, de quo paullò pòst dicemus. Hunc esse quem innuimus Alphonsum, de quo loquitur, tum ratio temporis, tum Hispaniæ Imperatoris titulus, quo eum vocat, contra eos evincunt, qui Alphonsum hujus nominis II. Aragoniæ intelligunt, quem non ante annum sexagesimum tertium ejusdem sæculi regnum suum inchoâsse jam notavimus. Nec minus virgâ censoriâ dignus est Petrus Amboësius, qui in præfatione apologiæ pro Petro Abaïlardo, Alphonsum hunc Regem optimum, & mathematicum doctissimum appellat, confundens eum cum Alphonso X. Castellæ Rege, Ferdinandi sancti filio, *Sapiente* cognominato.

35. Baptismatis item locum Oscensem urbem ejus regni nobilissimam Sertorii Academiâ, & longè plùs sanctissimorum martyrum Laurentii Vincentiique natalibus celeberrimam, unde domo idem fortè Petrus noster Alphonsus fuit [o], corruptè *Osllam* vocat auctor *Magni Chronici Belgici* inter scriptores rerum Germanicarum à Pistorio editi, dum anni MCI. gesta refert [p]; atque eo corruptè magis Vincentius Bellovacensis, & S. Antoninus Florentinus, apud quos *Hostia* legitur. Malè itidem Matthæus Palmerius in Chronico ad annum MLXVIII. nostri meminit [q], qui ante sex tantùm fuerat natus: anno enim MCVI. quo in gremio Ecclesiæ fuit susceptus, quartum & quadragesimum, ut ipse ait, in ætate habebat. Quo autem nomine appellandus erit eorum crassissimus in paucis error, qui uno & ultrà sæculo, antequàm Dominicus Prędicatorum sanctissimus parens ordinem suum instituisset, Dominicano Prędicatorum ordini Petrum adscribunt? quem errorem Adreas Schotus in *Bibliotheca Hispana*, & Valerius Andreas Taxander in *Catalogo* suo *Hispanorum scriptorum* inadvertenter admisere. Scripsit, nomen suum à gentilium suorum, qui ejus ad castra Christianorum transitum malignè interpretabantur, calumniis vindicaturus doctissimè atque eruditissimè,

36. *Dialogos*, (sive dialogum in XII. partes sive titulos distributum) *in quibus impiæ Judæorum opiniones evidentissimis, cùm naturalis, tum cœlestis philosophiæ argumentis, confutantur, quædamque Prophetarum abstrusiora loca explicantur*. Quomodo nuncupati Coloniæ primùm ex Gymnici officina anno MDXXXVI. in 8°. prodiere, ab Hermanno Comite Nuenario Ecclesiæ Argentinensis Præposito, viro doctissimo, ac doctorum amicissimo, sedulò conquisitum, & in bibliotheca tandem Corbejensi repertum opus. Quod Moyses Judæus, & Petrus Christianus, nempe is qui olim fuerat, cum eo qui jam esse cœperat, accuratissimè pertexunt. *In eo* (auctor ait) *omnium aliarum gentium credulitatis destructionem præposui, post hæc Christianam legem omnibus præstantiorem esse conclusi; ad ultimum etiam omnes cujuslibet Christianę legis adversarii objectiones posui, positasque pro meo sapere cum ratione & auctoritate destruxi.* Prodiit quoque in editionis *Bibliothecæ veterum PP.* tomo 12. & in novissima Lugdunensi tomo 21. Laudat hominem opusque sequentis sæculi scriptor Raymundus Martini Dominicanus in *Pugione fidei adversus Mauros & Judæos* [r]; fuisse eum, priusquam Christianus fieret, magnum apud Judæos Rabbinum asserens. Vincentius [s], uti diximus, Bellovacensis, & Antoninus Florentinus, & Matthæus Palmerius [t], Alphonsus item Spina [u] *Fortalitii fidei* auctor, qui sapientissimi & eruditissimum, & Alphonsi Imperatoris medicum, & venerabilem vocat; Valerius historiarum noster [x], Alphonsus Venerus [y], Jacobus Philippus Bergomensis [z], Paullus Langius [a], præter noviores bibliothecarum editores, Possevinum, Schotum, Miræum, & Hispanos historicos. Tribuitur quoque eidem à nonnemine [b]

37. *De scientia & philosophia* lib. I. Qui for-

[o] Ita credit Lanuza *Hist. de Aragon.*

[p] Pag. 130.

[q] Et eum eo Paullus Langius in *Chronico Citizen.* & ad hunc ann.

[r] 3. par. dist. 3. cap. 4. pag. 540. editionis Parisinæ anni MDCLI.

[s] In *Spec. histor.* par. 2.

[t] In Chron. ad annum MLXVIII.

[u] Lib. 1. fol. 19. 65. & lib. 3. col 112. 118. 134. 137.

[x] Lib. 8. tit. 6. cap. 9.

[y] In *Enchiridio*.

[z] *Supplem.* lib. 12. fol. 210.

[a] In *Chron. Citizensi* ad ann. MLXVIII.

[b] Bergomensi ubi suprà, Venero in *Enchiridio*.

forſan idem eſt cum libro *Diſcipline*, ita ab eo appellati: cujus exemplum veteris valdè ſcripturę codex Vaticanus MS. 4161. conſervat: cujus initium: *Dixit Petrus Alphonſus ſervus Jeſu Chriſti, compoſtor hujus libri: Gratias ago Domino* &c. Et mox: *Prologus libri Petri Alphonſi. Deus in hoc opuſculo mihi ſit in auxilium, qui me librum hunc componere & in Latinum convertere compulit. Cùm enim apud me ſępiùs* &c. Et paullò inferiùs: *Propterea ego libellum compegi, partim ex proverbiis philoſophorum, & ſuis caſtigationibus Arabicis, & fabulis, & uſibus, partim ex animalium & volucrum ſimilitudinibus* &c. Principium libri: *Hoc philoſophus qui linguâ Arabicâ cognominatur Edrich, dixit filio ſuo* &c. Et in fine eſt: *Explicit liber Petri Alphonſi, qui intitulatur* Diſciplina, *prout habetur in proœmio.* Character eſt lectu difficilis ob frequentes abbreviaturas, & æqualis, aut ferè, ſæculo huic, quo auctor vixit. *Dialogorum* MS. codicem Labbeus laudat in *novæ bibliothecæ* MSS. *librorum* parte ſecunda [c].

[c] Pag. 26.

38. Ejuſdem temporis fuit æqualis PETRUS Legionenſis Epiſcopus, Alphonſi VI. Caſtellę ac Legionis Regis major cappellanus & hiſtoricus, cujus de ejuſdem Alphonſi VI. rebus geſtis hiſtoria Latino ſermone ſcripta, ut ſuſpicor, & ab aliquo in vulgarem non ejus ævi, ſed recentioris translata, latet adhuc in ſchedis, fato quodam veterum tranſacti temporis monumentorum, quibus recentia quæque præferre ſolemus. Hanc tamen hiſtoriam laudavit, eaque uſus fuit, Prudentius Sandovalius, ut liquet ex his quæ de rebus Alphonſi VI. in literas retulit [d]. Ejus quoque meminit Laurentius Padilla archidiaconus Rondenſis, & Caroli V. chronographus, inter veteres alias, quæ ad manum ei ad ſcribendam novam *Hiſpaniæ hiſtoriam* adhuc hodie, ſi primum exceperis librum, ineditam, olim fuere. Habuit quoque ejuſdem exemplum, atque eam ſæpiùs laudat, Hieronymus Romanus de la Higuera in *Toletanæ urbis & regni hiſtoria*, nondum & ipſâ typis editâ [e], quamvis Didacum pro Petro eum vocet. Alio uſus fuit [f] D. Joſephus Pellizerius, amicus noſter, Philippi IV. & Caroli II. Regum noſtrorum hiſtoricus laude digniſſimus.

[d] *Hiſt. de los Reyes de Caſtilla y Leon Don Fernando* &c. pag. 91.

[e] Lib. 15. cap. 14. & 16. cap. 7. & 19. & lib. 17. cap. 8.

[f] Meminit in lib. *Informe de la caſa de Sarmiento* fol. 4.

39. Qui auctor in annalibus Hiſpaniæ, quibus ante aliquot annos immortuus fuit, lib. 4. num. 37. indicium nobis fecit ſervari hoc opus inter MSS. libros qui excellentiſſimi Comitis de Villa-umbroſa fuere, & nunc penes lectiſſimam ejus olim conjugem ſunt. In cujus principio de ſe ipſe auctor ait: *Ego itaque ab ipſo juvenili flore colla pio Chriſti jugo ſubnectens apud cœnobiū quod* Domus ſeminis *nuncupatur, habitum monachalem ſuſcepi, ubi diverſis ſententiis ſanctorum Patrum, catholicorum Regum ſacris indicantibus libris, mecum ipſe ſpatiando revolvens, ſtatui res geſtas domini Adephonſi orthodoxi Hiſpaniæ Imperatoris, vitamque ejuſdem carptim perſcribere.* Cœnobium *Domus ſeminis* appellatum, non aliud videtur, niſi *S. Dominici de Silos*: nam *Silos* nos vocamus granaria ſubterranea, quæ verè *domus ſeminis*. Petri autem ipſius Legionenſis Epiſcopi ętate ſibi ęqualis meminit Pelagius Ovetenſis pręſul verſus finem ſui Chronici, quum ad Alphonſi hujus VI. obitum pervenit.

40. Interfuiſſe dicitur ejuſdem Alphonſi VI. Regis ſepulturæ, qui anno MCVIII. è vivis exceſſit, ALBERTUS monachus SS. Facundi & Primitivi monaſterii, quod in *Sahagun* contraxit ſequior ætas; cujus hiſtoriam de rebus ejuſdem hujus monaſterii SS. Martyrum, vulgari lingua ſcriptam laudare poſſumus fide unius Hieronymi Romani de la Higuera nuper laudati, qui memoratæ *Hiſtoriæ Toletanæ*, quam in ſchedis adhuc legunt qui ejus exempla ad manum habent, cap. 13. & 14. libri 17. fragmentum inde vulgaris linguæ, ſed non ejus, quo vixit auctor, temporis, quod hærere facit nos, depromſit. Laocoontis Virgiliani verba illa licet ne uſurpare?

Quicquid id eſt, timeo Danaos, & dona ferentes.

41. Niſi Latinè auctor ſcripſerit, iſque Hiſpanam translationem dederit. Certè in fragmento aſſerit Albertus hic, ſe morienti Alphonſo præſentem fuiſſe, eundemque filiam Urracam regnorum hæredem reliquiſſe.

42. Celebratur ejuſdem Regis tempore à nonnemine PETRUS quidam Compoſtellanus Epiſcopus, idemque à Calliſto II. Papa ad Archiepiſcopi dignitatem exaltatus, & Emeritana diœceſi mactus, qui in laudem Virginis compoſuiſſe quædam dicitur. Ita in *Supplemento Chronicorum* [g] Jacobus Philippus Bergomenſis, & noſter Marinæs Siculus [h]. At hic magnus commiſſus fuit ab his auctoribus error. Aut enim ad Petrum Martini Compoſtellanum Epiſcopum reſpexerunt, ut in eo diximus cap. 14. lib. 6. aut, quod magis credimus, Didacum (non Petrum) Gelmirez, primum Compoſtellanum Archiepiſcopum à Calliſto II. creatum ſignificare voluiſſe credendi ſunt. At hic nihil ſcripſiſſe de B. Virgine aliàs refertur. Quare ad nos non pertinet, ſummus quantumvis, ſi quis alius, Hiſpaniarum antiſtes.

[g] Ad ann. MCXX.

[h] *De laudib. Hiſp.* lib. 6.

43. Sub Alphonſo etiam ſexto, ſed ultrà etiam, dignitate floruit literiſque, juxta illius ævi captum, PELAGIUS Ovetenſis Epiſcopus, qui hujus Regis ſepulturæ interfuit, & in Eccleſia S. Iſidori Legionenſis concionem habuit pro actione gratiarum ſeu expiatione miraculoſæ aquæ ab altari per triduum manantis: quod ipſe refert in fine Chronici jam laudandi. Adfuit idem Concilio cuidā in urbe Ovetenſi anno hujus ſæculi decimo quinto, regnante Urraca, celebrato; cui ſimul interfuere Bernardus Toletanus primus poſt urbem à Mauris receptam Archiepiſcopus, Pelagius Bracarenſis, & quindecim alii antiſtites. Cujus notitiam ex archivo ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ primus, ut credimus, Prudentius Sandovalius in hujus Reginę rebus geſtis [l] publicavit. Superſtitem verò Pelagium fuiſſe adhuc anno MCXXIV. liquidum eſt ex inſtrumento cujuſdam donationis [n] Sanciæ Infantis, Alphonſi VII. qui rerum jam potiebatur, ſororis germanę, Petro cognomento Venerabili, Cluniacenſi abbati, hoc anno factę, cui ejus nomen inter alia ſubſcriptum legimus. An

[l] *Hiſt. de los Reyes de Caſtilla y Leon* fol. 121.

[n] Sandoval. ibidem fol. 124.

autem

autem annis aliquot ultrà vixerit, postea videbimus.

44. Sumpto hic in manus filo nostratis historię, quam aliquot sęculis veteres Episcopi Isidorus Pacensis, Sebastianus Salmanticensis (nisi alius fuerit, uti suo loco diximus) & Sampirus Asturicensis, unus post alium ad Ranimirum usque III. prosequuti sunt, res ipse gestas Veremundi II. Alphonsi V. Veremundi III. ac Ferdinandi Legionis Regum, qui ultimus & Castellam obtinuit, ejusque filiorum Sancii I. & Alphonsi VI. stylo duxit; brevissimè quidem, ut in more tunc fuit, & incompositè. Huic tamen hujus temporis res, nec alii ferè, acceptas ferimus: quem ab eodem Sandovalio cum tribus aliis Episcopis editum habemus. Sed quod idem ait, descriptum à se hoc Pelagii Chronicon ex codice Gotthico, qui Oveti servatur, & ab ipso Pelagio scriptus creditur, admonet nos, ut pro certo habeamus eodem isto codice usum Ambrosium Moralem olim fuisse, cujus cum laude magni pretii is meminit lib. 9. cap. 7. & lib. 12. cap. 29. utpote manu ipsa auctoris, aut per alium jussu ejus descripti, & ex eadem bibliotheca Ovetensi ad manum habiti. Sunt tamen in eo codice, præter laudata Chronica quatuor Episcoporum, aliqua etiam de Gotthorum tempore, atque item genealogiæ Latinæ quædam Gotthorum Regum à Cindasvintho, quas idem Morales dicto cap. 29. lib. 12. repręsentavit.

45. Quibus indiciis eò ferimur, ut non solùm Sandovalio & Morali unum eundemque visum Ovetensem librum credamus; sed neque de alio quàm de isto loquutum fuisse D. Josephum Pellizerium, cùm de Pelagii hoc opere, & eo, in quo descriptum est codice bibliothecæ nunc Reinosianæ (hoc est excellentissimi D. Didaci de Arce Reinoso, viri summi, & olim, dum viveret, Inquisitoris Generalis Hispaniæ regnorum) mentionem in observationibus ad Dulcidii Chronicon [m] facit. Nisi duos inter codices Ovetenses, quos Morales in ejus Ecclesiæ libris olim viderat, ut infrà dicemus, distinguendum sit. Pelagium (Pellizerius ait) fecisse compilationem quandam plurium historiarum, veluti centonem quendam, cui titulum hunc dedit: *Liber Chronicorum ab exordio mundi usque eram MCLXX.*

[m] Fol. 15.

46. Quæ autem liber is comprehendit, præfatio hæc docet: *Charissimi fratres, si* Chronicam *hanc, quam aspicitis, bono animo eam legeritis; invenietis quomodo junior Isidorus Pacensis Ecclesiæ Episcopus, sicut in veteri Testamento & novo legit, & per Spiritum sanctum intellexit, ita ab Adam usque ad Noë, & usque ad Abraham, & David, & usque ad adventum nostri Redemptoris, & de Judicibus, sive & Regibus, sive Imperatoribus, & de Wandalis, & Alanis, sive & Suëvis Hispaniæ Regibus, sicut à majoribus & prædecessoribus suis inquisivit & audivit, plenissimè scripsit.* Maximum tamen hìc admissum errorem crediderim, antequam ad alia procedamus, à Pelagio nostro, dum Isidoro Pacensi barbaro *Epitomes Imperatorum* vel *Arabum* scriptori Chronicon, Isidorianum vulgò dictur., & elegant er ductum, adscribit; qui dubio procul Isidori magni Hispalensis est, ut in hujus mentione jam monuimus.

47. Sequitur in præfatione: *Et beatus Isidorus Hispalensis Ecclesiæ Episcopus (de quo nunc Legionensis gaudet Ecclesia [n]) de Regibus Gotthorum à primo Athanarico Rege ipsorum usque ad catholicum Wambanem Regem Gotthorum, prout potuit, plenissimè exposuit. Et à prędicto Rege Wambane usque ad catholicum Pelagium Regem Gotthorum B. Julianus Toletanæ sedis Archiepiscopus, qui arcam cum Sanctorum pignoribus (quâ nunc Ecclesia Ovetensis gloriatur) cum Rege Pelagio secum in Asturias transtulit, & sicut à majoribus & prędecessoribus suis inquisivit & audivit, prout potuit, plenissimè scripsit.* Erroribus etiam hæc omnia scatent. Nam neque Isidorus Hispalensis, qui sub Chintilane obiit, gesta successorum ejus Cindasvinthi ac Reccesvinthi, quos penè sequutus fuit Wamba, literis potuit commendare; neque Julianus Archiepiscopus Toletanus, Wambanis rerum historicus, Egica regnante, scilicet anno DCXC. vitâ functus, ad Pelagii tempora, quibus etiam translata Ovetum arca reliquiarum ob Sarracenorum fuit metum, historiam pertexere naturâ potuit.

[n] Corpus ejus ibi quiescit.

48. His verè & notæ historiæ visis defectibus, in quos Pelagius vix incurrerit, facilè persuadeor (nisi librum contrectantibus aliunde contrarium constet) non Pelagii hanc præfationem, sed alterius eo recentioris esse; qui summam rerum, quæ in eo libro continerentur, conficere voluit; atque eò magis quòd non sese auctorem continuationis usque ad Alphonsum VI. quod ipse loquens debuit, sed Pelagium quasi à se alium commendet. *Et ab Weremundo podagrico usque ad Adephonsum Regem filium Raymundi Comitis & Urracę Regnę, Pelagius Ovetensis Ecclesię Episcopus, sicut à majoribus & prędecessoribus suis inquisivit & audivit, de Gothis & Aragonensis Regibus, prout potuit, plenissimè scripsit;* æquè ut de duobus aliis Episcopis Sebastiano & Sampiro sermonem priùs habuerat. Pręterea, cùm de Aragonensibus Regibus nec verbum quidem unum apud Pelagium fiat; jure quidem optimo ab eo depellimus ignorantiæ eorum, quę ipse literis consignâsset, invidiam. Nullum ergo ex præfatione ista prejudicium, quod Pellizerio visum, notis & compertis jam memoratorum Chronicorum auctoribus creari velim: neque item ex ea necessariò colligi systematis hujus diversorum operum formatorem Pelagium fuisse.

49. Adjungimus his adversus prefationem consideratis, vacillare & inscriptionis seu tituli fidem. Quomodo enim Pelagius potuit anno hujus seculi XXXII. hoc est erâ MCLXX. conficere opus hucusque perductum, qui ante biennium, ultráve, ad plures abierat? Alphonsus etenim Ovetensis Episcopus, ejus, ut videtur, successor, comes fuit Alphonsi Regis VII. in ea expeditione, quam adversus Mauros anno MCXXIX. unà cum Zafadola eorum Regulo, quem fœdere sibi copulaverat, perfecisse dicitur [o].

[o] Sandoval. ubi sup. *Hist. de D. Alonso el VII.* fol. 146. Garibay lib. 12. cap. 2.

50 Codicem hunc vidisse Ambrosium Moralem nullus dubito, eo tempore quo regiâ Philippi Regis II. auctoritate munitus lustravit monasteria omnia & Ecclesias Asturiarum, Galliciæque, & Castellæ veteris, rationem Regi piissimo redditurus antiquorum quorumcumque monumentorum, sanctarum reliquiarum, & manuscriptorum librorum, quæ in iis reperirentur & adservarentur, de quo industriè à se adimpleto munere relationem in schedis reliquit, *El santo viage*, sive sanctam expeditionem, inscriptam. Historiam quoque hunc librum appellat Ecclesiæ atque urbis Ovetensis (quam innuere videtur Sandovalius, aut ejus hunc titulum, de prœlio Clavixano scribens [p]) cui inserta legi ait privilegia omnia & bullata diplomata à summis Pontificibus huic Ecclesiæ & urbi concessa: quod genus codicum in Asturiarum principatu, Galleciæque, ac Portugalliæ regnis proprio vocabulo *tumbos*, in Castella verò *becerros* vocant. Easdem quoque historias sive Chronica ibidem reperisse, alio libro insigni & raro contentas, idem auctor paullò inferiùs refert. Sed post laudata ejusdem Pelagii alia huc statim redibimus.

p In Notat. ad *Ep-scopos* pol. 106. pag. 2.

51. Exstat quoque apud historiæ seu Magnalium Abulensis urbis auctorem, qui Ludovicus est de Ariz Benedictinus monachus, Pelagio adscriptum de rebus hujus nobilissimæ urbis fragmentum; in quo de fundatore ejus Hercule Nestorinum quendam Græcum scriptorem laudat, seque ait idem postea legisse in *legenda* Guidonis Turonensis *De orbibus* (an *De urbibus*?) qui centum ferè annis antea floruerat, hoc est, nisi fallimur, sæculo undecimo: quæ omnia suspecta mihi sunt, seu potiùs meræ nugæ [q]. Fatetur tamen Morales opus hoc Pelagii Ovetensis superesse, in quo de quibusdam Hispaniæ præcipuis urbibus tractavit, inque aliis de Legionensi ea, quæ inde dictus Morales refert 19. capite libri decimi septimi. Meminit quoque hujusmet sub titulo *Historiæ Abulensis urbis* MS. & in tabulario ejus curiosissimè adservate, Prudentius Sandovalius in historia Regis Alphonsi VII. [r] Hunc commentarium Chronico ipsi Pelagiano videtur mihi contribuisse Joannes Ægidius Zamorensis Franciscanus, multæ vir lectionis, qui in Adversariorum, hactenus ineditorum, tractatu VI. *Pelagius verò* (ait) *Ovetensis Episcopus in Chronicis suis dicit, quòd ab exordio mundi usque ad ædificationem urbis Toletanæ fluxerunt an. MMMMDCCLXXIV.* Quæ de opere illo, quo urbes illustravit, intelligere oportet, cùm in Chronico ejus vulgato nihil tale de Toletanæ urbis fundatione legatur.

q Videndus Pet. Abarca *De Regibus Arago. n* e par. 1. in fine additionum.

r In *Additionibus* ex quadam historia MS. sive indice capitum historiæ præmisso sub cap. 45.

52. Indignor quidem Hispaniæ doctorum hominum, quos semper tulit, & hoc nostro sæculo fert, haud vulgaris eruditionis, negligentiæ aut contemptui publicæ utilitatis in postponenda quibuscumque aliis non magni compendii aut fructûs libris pretiosissimorum antiquitatis monumentorum, è quibus velut è limpidissimis fontibus historia tota nostræ gentis derivat, accuratissima editione. Indignor principibus viris patriæ amantibus, doctorumque Mæcenatibus, incuriositatem exprobans, promovendi eam industriam, quæ in purgandis & ad usum derivandis nostrarum originum his fontibus collocari ante alia debuisset. Quod Pelagii nostri & lucubrationum ejus, sive unius ejusdemque, sive variorum codicum occasione, jure à me dictum inficias nemo iverit, qui amore ac desiderio veri noscendi, quamvis leviter, tactus, Sandovalianam editionem, aliàs incorrectissimam, quadruplicis Chronici cum ejusdem auctorum eâ formâ, quam in Ambrosii Moralis *Hispana historia*, & si quorum aliorum, habent, conferre velit. Quod aliquando nos fecimus, animadvertentes id non ignorari magnum operæ pretium esse. Nec prætermittemus hic, ne alia occasio non obveniat, ea quæ in Sebastiani, seu Alphonsi III. Magni, & Sampiri, immo & Isidori Pacensis, Chronicis, iteratò fuit monendum, semel in Pelagio notare, atque hominibus nostris ab his salebris, quomodo possint, emergendi, consultis nempe, ubi sint, memoratis codicibus, viam ostendere.

53. Nimirum ad manum fuere huic nostro veteris historiæ vindici non solùm duo hi codices, quos diximus, Ecclesiæ Ovetensis, unde, sive ab eorum aliquo, tam Prudentius Sandovalius editionem suam, quàm Pellizerius suprà positam narrationem & præfationis textum deprompsere; sed & alii quoque illa ipsa Chronica continentes, alia tamen facie ac titulo, quàm edita sunt. Nec enim aliter evadere possumus difficultates inde provenientes, quòd cùm in editione distinctæ sint partes integri Chronici, suoque earum formatori quæque adscripta, ut quæ Isidori Pacensis sunt, sub ejus nomine; quæ Sebastiani seu Alphonsi, quæque Sampiri ac Pelagii sunt, sub eorum legantur; Ambrosius tamen Isidori Pacensis Chronicon id, quod typi repræsentant, vidisse vix appareat, sed aliud quodvis; adeò absunt ab ejus vulgari forma quæ Isidoro à Morali tribuuntur. Immo ea quæ apud Isidorum legimus, Sebastiano aut Sampiro is adscribit. Sebastianum quoque Isidoro antiquiorem supponit, ac sæpiùs affirmat; tandemque ab his tribus, quasi ejusdem temporis omnes historiam scripserint, eosdem eventus, easdem res quærit, & non inventas desiderat. Exempla dabimus uniuscujusque partis.

54. Primò, adscribit Isidoro Pacensi, immo & Sebastiano Salmanticensi, quæ apud eos frustrà quæras. Lib. 12. cap. 65. ex Isidoro ait Rodericum Regem Cordubense palatium paternum valdè munivisse: quod nusquam ab eo dictum apparet. Lib. 12. cap. 59. ex eodem & Sebastiano refert Egicam Gotthorum Regem omnes regni sui rebelles domuisse: quod apud eos non legitur. Cap. 64. ait, se de Pelagii rebus non alia proditurum nisi à Salmantino & Pacensi Episcopis prodita: quorum posterior ne semel quidem Pelagii meminit. Postea ait Isidorum expressè dixisse Fafilam Cindasvinthi Regis filium à Witizane occisum reliquisse in ejusdem aula Pelagium filium, qui apud eundem Regem Protospa-

tospatharii munere fruebatur. Id autem neque Isidorus, neque aliorum aliquis enunciasse legitur. Cap. 65. de Witizanis sceleribus agere & conqueri affirmat Isidorum & Sebastianum. Non ii quidem, quibus editis utimur. Cap. 66. de ejusdem Witizanis obitu diversè loqui monet Pacensem, Salmanticnum, ac Tudensem (Lucam scilicet) Episcopos ab eo, quod Rodericus Toletanus prodidit. Nihil de Witizanis morte Isidorus, neque de Witizane Sebastianus. Cap. 40. ejusdem libri 12. (eum enim ordinem sępè retrogradum, quo his observandis processimus, sequi lubet) Recesvinthi mortè erâ DCCX. contigisse referens, hujus rei Isidorum laudat auctorem, de quo vulgatus altè silet.

55. Secundò, attribuit idem Sebastiano Salmanticensi (aliquando & Sampiro Asturicensi) ea quæ Isidoro adscripta in editis habemus. Quo argumento planè convincitur Isidori Chronicon Sebastiano, Sebastiani autem Chronicon Isidoro inscripta eum vidisse. Ideircò hunc ętate posteriorem, illum priorem credidit: quod frequentissimè inculcat. Nempe lib. 12. cap. 53. de Ervigio Rege ac Toletano Concilio ejus tempore celebrato referens, Sebastianum Salmanticensem sequuturum inde se ait, cujus Chronicon in Ovetensi codice repertum totius nostratis historiæ primam scaturiginem profitetur. Sed adhuc magis de ordine quo uterque, Sebastianus & Isidorus, fuere ab eodem habiti, ex s Fol. 162. libri 12. cap. 40. s constat, ubi Ildephonsum ait Isidori Hispalensis Chronicon ad annum usq; Recesvinthi duodevicesimum continuasse: Wambanis rerum non ignorari auctorem (Julianum Toletanum scilicet) ulteriora autem post longum temporis intervallum prodidisse, cùm Sebastianum Salmanticę, tum Isidorum, quem juniorem, seu Pacis (vulgò *de Beja*) vocant, presules.

56. Prosequitur: (ejus verba Latinè sic sonant) *Salmantinus usque ad Alphonsum Regem Castum, cujus tempore vixit; Pacensis autem ad Ordonium usque primum, neque ultrà, se extendit, quamvis adhuc vixisse videatur sub Garsieane Rege*. At parum inferiùs admittit Roderico Archiepiscopo Toletano aliter visum fuisse. *Archiepiscopus* (ait) *D. Rodericus non dicit scripsisse hunc auctorem* (Isidorum) *nisi ad Hispaniarum usque excidium; noster verò exemplaris liber historiam prosequitur usque præfatum tempus* (Ordonii nempe Regis primi) *eamque his verbis absolvit, quæ unum eundemque totius historię auctorem fuisse planè ostendant*. Item libri 13. cap. 15. posteriorem Sebastiano Isidorum facit, illum circa id tempus, quo Alphonsus Catholicus obiit, nempe ann. DCCLVII. in lucem editum affirmans. E contrario autem à principio libri 13. quo Pelagii & successorum res gestas tractare cœpit, Sebastianum pro eo agnoscit, qui talis est, ut editis nempe auctorem primæ adversus Mauros pugnæ. Cap. 2. ac 3. aliorumque eventuum in sequentibus. Sed cap. 13. notat nuncupâsse eum historiam suam, uti in ea legitur, Alphonso Casto, quæ tamen in editis usque ad Ordonium, tertium à Casto Regem, pertingit, nec ullum in ea talis nuncupationis reperitur vestigium.

57. Tertiò asserimus, Moralem credidisse hos tres Episcopos (Sebastianum, Isidorum, & Sampirum intellige) non quidem de suo tempore singulos, quasi lampade in manus ab antiquiore accepta, historiam formâsse; sed unumquemque generalem Hispaniæ historiam scribendi finem sibi proposuisse: quamvis in his tamen, quæ alius jam enarrâsset, verba ejus plerumque transcribere contentus fuerit. *Plerumque* diximus: namque variâsse unumquemque eorum à prototypo in iis quæ transcriberet, exinde perspicuum redditur, quòd Morales diversa inter se plura de eodem tempore, ac de eadem loquentibus re, sępè attribuat. Unde manifestum etiam fit, non ęqualium aut recentiorum curiosâ industriâ in unum coaluisse historiæ corpus tria quatuorve ista Chronica, sive historiæ partes, ut sic totus rerum apud nos per ea tempora gestarum cinnus ad posteros ita compositus coordinatusque perveniret; immo unumquemque laudatorum auctorum continuationem suam historiæ ab alio jam cœptæ sic literis consignatam voluisse, ut non minùs auctor credi vellet, aut forsan recognitor & corrector ejus partis, cui ipse continuationem superstrueret. Absque quo vix fuerit, ut qui transcriptoris tantùm fungi vellet munere, à transcriptis verbis sensúve auctoris eorum recederet.

58. Planè Morales initio lib. 13. quo recuperari cœptam à manibus Sarracenorum Pelagii operâ Regis Hispaniam refert per plura capita, tres illos, Sebastianum, Isidorum, Sampirum eorundem eventuum auctores sæpiùs conformes, quandoque etiam à se invicem discrepantes, laudat. Hujus nempe libri cap. 2. & 3. miraculosæ paucorum Christianorum adversus ingentem hostium, Alcamane Duce, multitudinem ad Covadongæ antrum reportatæ victorię successum beatissimæ Virgini Mariæ tribuere ait t Sebastianum Episcopum, idque ipsum facere Isidorum Pacensem aliquantò clariùs, Sampirumque inquit Asturicensem. Quam rem in Sandovaliana editione frustra quis apud alios, quàm apud Sebastianum, quæsierit. Cap. 4. Pelagium obiisse completo anno regni undevicesimo, ex tribus illis auctoribus prodit; cujus rei auctorem unum legimus Sebastianum. Cap. 5. Isidorum, ait u, & Sampirum bene plura iis addidisse, quæ Sebastianus de Pelagio scripserat. Vides, lector, ut inter se variaverint. Cap. 9. ędificâsse Fafilam Regem Pelagii filium juxta oppidum *Cangas* sacram vivificæ Crucis ædem docet x ex iisdem tribus; adjuncto tamen, quòd Isidorus Pacensis mirè eam ędificatam expresserit. Sebastianus dumtaxat id rei narrat simpliciter in editis.

59. Cap. 10. tribus iisdem Episcopis refert auctoribus successisse Fafilæ Alphonsum; adjungere tamen Pacensem electione id populi factum; eosdem item dixisse Alphonsum è Gotthorum semine esse, quem non *Catholicum* y, uti Rodericus Toletanus, Lucasque Tudensis, sed *Magnum* cognomento, appellant.

t Cap. 3. lib. 3. *Assi el Obispo Sebastiano atribuye expressamente este milagro à la sacratissima Virgen &c. y aun mas claramente lo dice el Obispo de Beja, y el de Astorga sigue al de Salamanca.*

u *Añadieron hartas cosas* (el de Beja, y el de Astorga) *a la Historia del Obispo Sebastiano en lo que toca à este Rey &c.*

x *Solamente escriven los tres Prelados mas antiguos, como edificó cerca de Cangas la Yglesia de santa Cruz; añadiendo el de Beja, de maravillosa labor.*

y *Llamandole D. Alonso* el Catholico *el Arzobispo D. Rodrigo, y D. Lucas de Tuy; Porque Sebastiano, y los otros dos Obispos mas antiguos siempre le nombran* Magno.

lant. Nos unius Sebaſtiani teſtimonio uti poſſumus, qui verè ait ex ſemine Leovigildi & Reccaredi Alphonſum progenitum; attamen diſertè eum *Catholicum* fuiſſe dictum prodit. Cap. 12. & 13. Alphonſi hujus Catholici narrat expeditiones, tribus his laudatis. In eodem cap. 13. legimus poſt nominata, ſimulque recentioribus explicata vocabulis recepta à Mauris oppida, quæ mirè hîc ab editis variant. *Hæc loca* (ait) *nos ita appellavimus, quomodo apud tres antiquiores Epiſcopos, quos maximè ſequimur, omnino hac in re conformes, appellata invenimus. Rodericus tamen Toletanus & Lucas Tudenſis addidere bis non jam oppida, ſed provincias, Alabam, Viſcajam, Orduniam, Pampelonem, & Ruconiam, quæ nunc Rioja. Sed exiſtimamus nos hujuſmodi expeditiones minimè tales eſſe, quarum omiſiſſet habere mentionem Sebaſtianus Epiſcopus, qui eos, qui interfuiſſent bis, noſcere potuit, hiſtoriamque ſuam, uti in illa conſpicimus, hujus Alphonſi nepoti Alphonſo Caſto nuncupavit*, &c. Conſule ſis apud eum vernacula.

60. Nec iis contentus auctor, parum ſimile vero eſſe proſequitur quod de Viſcaja, Alava, Ordunia que per eundem tractum temporis ab Alphonſo recuperata ſubjunxere Tudenſis ac Toletanus; cùm notoria res ſit, inquit, has nunquam in Maurorum poteſtatem veniſſe: Pampilonem itidem urbem non niſi Carolo Magno duce, anno ſcilicet DCCLXXXVIII. à Mauris receptam, apud Franciæ ſcriptores referri. Miratus quidem valdè ſum in Sebaſtiani legens Chronico ea, quæ, ſi Morales legiſſet, non conjecturâ ſuâ, ſed expreſſiſſimo illius teſtimonio uſus, Roderici, Lucæque antiſtitum de recuperatis prædictis regionibus narrationem refellere potuiſſet. *Alava namque* (apud Sebaſtianum habemus) *Viſcaja, Araone, & Ordunia, à ſuis incolis reparantur, ſemper eſſe poſſeſſæ reperiuntur, ſicut Pampilona dictum eſt, atque Berroza*.

61. Quid ergo credemus? Interſertáne hæc in editione, juxta Moralis conjecturam ob oculos poſitam, fuiſſe? Poteram quidem hanc ſuſpicionem alio etiam argumento diverſitatis adjuvare, quæ inter editum Sebaſtiani, atque id, quod conſulebat Morales, manuſcriptum Chronicon ejuſdem intercedit. Morales ait cap. 14. ſequenti, adjunxiſſe hos tres Epiſcopos Alphonſi hoc tempore repopulatam (verbo utimur eorum barbaro) *Barduliam, quam hodie* (ille ait) *Caſtellam vocant*. Conſulentibus tamen editum Sebaſtiani Chronicon, Barduliæ loco *Burgi* occurrunt. *Burgis, quę nunc appellatur Caſtella*. Quæ ſuſpecta eſſe alicui poterunt, ob introductam eò *Burgorum* mentionem. Nihil tamen nos mala fide factum temerè credimus. Appellandum ergo eſt neceſſariò ad codicum differentiam, quibus Morales & Sandovalius uſi ſunt; repetendumque, ne ultrà hîc moremur, magnum operæ pretium facturum eum, qui curiosè hos omnes codices, quotquot invenire poſſent, hujus hiſtoriæ inter ſe conferret, veraque horum auctorum propriaque lineamenta, quibus dignoſci poſſent, ſignarique, noſtræ libertatis ac poſtliminii origines accuratè nobis exprimeret.

62. Eodem, quo Urraca Caſtellæ Regina obiit, anno MCXXVI. è vivis quoque y abiit Bernardus Toletanus præſul poſt receptam à Maurorum ditione urbem primus, quam non minùs quatuor ſupra quadraginta annis rexerat, geſtis rebus clariſſimus. Gallus quidem is ex territorio Agennenſis in Aquitania urbis, & in monaſterio Cluniacenſi Benedictinus monachus, ſed ad Alphonſum Regem VI. ab Hugone Cluniacenſium abbate miſſus, S. Facundi cœnobium adminiſtrandum & ad ſeveriorem vivendi formam reducendum ſuſcepit. Unde ad cathedram Toletanæ urbis expugnatæ ann. MLXXXV. magna omnium approbatione ordinum aſcendit. Huic Bernardo Toletano, non autem Claræ-vallenſi, debere adſcribi Sermones quinque ſuper *Salve Regina*, & alterum ſuper *Magnificat*, qui inter hujus ſancti opera edıti leguntur [z], perſuadere voluit is, qui Juliani Petri Chronicon fabrefecit [a]. Jure quidem Claræ-vallenſi abjudicatos eorum judicio [b], qui aures ſtylo mellifiui doctoris tritas habent; unde quærendus fuit alius Bernardus ex eodem religioſo ordine, cui adſcriberentur; quem invenit induſtrius vir Julianus, qui ſeſe habere ait ſcriptos manu ipſius Bernardi hujus Toletani prædictos Sermones; quem rei auctorem, parum tamen, uti decet, ei fidentes, laudant Philippus Labbeus, Theophilus Raynaudus, Vincentius Placcius. At Meditationem ſeu ſermonem quintum ſuper *Salve Regina*, quæ incipit: *Ad ſalutandam Virginem*, B. Anſelmo Lucenſi Epiſcopo, Mantuæ anno MLXXXVI. demortuo, Antonius tribuit Poſſevinus.

y Mariana lib. 9. cap. 13. & lib. 10. cap. 14.

z In edit. Pariſienſi anni MDCLVIII. to. 4. pag. 281 & 294.

a Num. 607.

b Vide Notam, quæ præcedit hos ſermones in dicta edit. Pariſien. pag. 281. Theophilus Raynaudus *De bonis & malis libris* partit. 1. erotem. 10. nu. 202. Placcius in *Pſeudonymorum catalogo* pag. 161. Labbeus *De ſcript. Eccleſ.* tom. 1. pag. 197.

63. NONNIUS Luſitanus abbas monaſterii *de Tibaens* circa an. MCIX. ſcripſiſſe dicitur Vitam Joannis abbatis, cujus ea celebratur quàplurium annorum ecſtaſis ad aviculæ cantum, cujus meminit Alvarus Lupus martyrologii Luſitanè converſi auctor, quamque penes Emmanuelem de Reſurrectione, Auguſtinianum reformatum provinciæ Portugalliæ ipſius teſtimonio exſtare novimus. Qui & ipſe nobis retulit multa hunc reliquiſſe MSS. de Regibus Portugalliæ monumenta.

CAPUT IV.

De Hiſtoriæ Compoſtellanæ *auctoribus*, MUNIONE *Mindonienſi*, HUGONE *Portucalenſi, Epiſcopis*, & GERARDO *Compoſtellanę ejuſdem Eccleſiæ canonico*. Annales Compoſtellani. *Irienſis Eccleſiæ hiſtoria vernacula*. ELIAS *Rotenſis canonicus auctor Vitæ S. Raymundi ejuſdem Eccleſiæ antiſtitis*. S. OLDEGARIUS *Tarraconenſis Archiepiſcopus*. ANONYMUS *auctor hiſtoriæ Alphonſi VII. Regis Caſtellæ; carminis item* De expugnatione Almeriæ urbis. SALVATUS *S. Martini Saurienſis presbyteri Vitæ ſcriptor*. FERNANDUS *monachus Benedictinus*. ANONYMUS *alius Chronici auctor à Reſendio viſus*. ATTO *Piſtorienſis in Italia Epiſcopus*.

64. In-

64. INTER insignia alia veteris historię nostratis monumenta præcipuo quodam loco habita semper fuit *Compostellanæ Ecclesię historia*, cujus auctores fuere MUNIO, aliàs MARTINUS Mindoniensis, & Hugo Portucalensis, sedium in Gallæcia Episcopi, cum GERARDO presbytero. Munius, aliàs Martinus (quod idem nominis est, sicut & Nunnus, sive Nonnius, vulgò inter nos *Nuño*, annotantibus originum nostrarum vindicibus [c]) ex Thesaurario Compostellanæ Ecclesiæ factus Mindoniensis præsul, cappellanus & à secretis fuisse dicitur Alphonso Regi VII. *Imperatori* cognominato, instrumenti cujusdam testimonio [d], cui ita se subscripsit: *Munio Mondoniensis Episcopus, & cappellanus regius notavit*. Anno scilicet MCXXVI. Idem pars fuit regiæ adversus Sarracenos expeditionis circa annum MCXXX. factæ: cui inter alios, ut moris fuit, Episcopos interfuisse ipsum observavit Prudentius Sandovalius in hujus Regis Alphonsi VII. historia [e], sub nomine tamen Vallobricensis Episcopi, quod idem esse ait ac Mindoniensis. Verè enim locus, ubi ædificata urbs fuit, Vallibriensis [f], hodie *Valdeabria* dictus. Munius Alphonsus à nonnemine hic audit [g].

65. HUGO item Portucalensis antistes, Gallus natione, ut creditur, tam ex hoc ejus, quàm ex Guilielmi cujusdam nomine, qui se, his diebus, quibus Hugo sedem hanc tenuit, fratrem se Episcopi cuidam instrumento subscripsit; de quo a Roderico da Cunha in historia monemur Portuensium Episcoporum. Idem enim est oppidum *Portucalle* antiquum ab Idacio [h], & in Dulcidiano carmine Episcoporum sui temporis, memoratum, cum *Portu*, sive *Porto* Lusitanorum, cui urbi laudatus Hugo præfuit. Et hic ille est Hugo Portucalensis, quem hujus sæculi nugatores ante aliquot annos epistolę cujusdam ad Mauricium Archiepiscopum Bracarensem scriptæ auctorem finxere [i]; ut de prædicatione Jacobi Apostoli, Petri Ratensis vicariatu per Hispanias, quicquid in mentem iis venerat, pro certo venditarent.

66. His duobus accessit operæ supplementum GIRARDUS, & ipse Gallus, Compostellanæque Ecclesiæ canonicus, & ad Sanctæ Anastasiæ sacram ędem parochus, Didaci Gelmirii Archiepiscopi Compostellani, summi illius ætatis viri, familiaris, qui in Prologo illius partis, quam conscribendam susceperat, eidem Didaco antistiti, cujus verè jussu & auspiciis totum opus cœptum & absolutum fuit, directę, quibus id auctoribus acceptum ferri deberet, noluit posteros ignorare. *Tue igitur sanctitatis* (ait) *hortatui obsequentes, reverendissime pater Didace secunde* [k], *S. Jacobi antistites* [l], *præcedentis libri seriem ex parte contexere studuimus. Ejusdem namque libri precedentia Munio Mindoniensis, & Hugo Portugallensis, Episcopi, viri scilicet prudentes ac reverendi, scripserunt*. Quæ Girardi verba exscripsit è codice quodam hujus historiæ manu exarato laudatus nuper Rodericus Cunha; eademque ex alio collegii majoris Salmantini S. Salvatoris *de Oviedo* nuncupati, Joannes

c Mariana lib. 16. cap. 6. Colmenares *Historia de Segovia* pag. 282.

d Ægidius Gonzalez Davila in *Theatro Eccl. de Mõdoñedo* paginâ 411.

e Fol. 146. pag. 2.

f Davila ubi proximè pag. 407. & 412. Yepes *Hist. de la orden de S. Benito* cent. 1.

g Pellizer *en el Memorial de los Saavedras*. Ægid Gonzalez in *Theatro Compostell. Eccles.* cap. 9. pag. 44. Zurita lib. 1. cap. 39.

h In Chron. sub Marciani imperio.

i Vide Bivarium in Cõm. ad Dextri Chron. inter elogia pag. 9.

k Cùm primus fuerit Episcopus Compostellanus Didacus hic Gelmirez, secundum iccircò vocat auctor, quia Ecclesiæ Iriẽsi, cui Compostellana subrogata fuit, paullò ante ista tempora Didacus alter Pelagii præfuerat.

l Jacobi, non Compostellæ antistitem similiter inscripsit se cuidam dedicationi apud Cluniacense monasteriũ Dalmacius hujus Didaci decessor, quod vide in *Theatro Compostellanæ Eccl.* Ægidii Gonzalez pag. 42.

Vasęus de tribus his auctoribus prodidit [m]. Quos quidem ignoravit Prudentius Sandovalius, dum Alonsum (*Alonem* dicere debuit) grammaticum, cujus in ea mentionem ait haberi, auctorem hujus historię suspicatus fuit [n]. Cujus & aliud exemplum in bibliotheca Ecclesię Toletanę asservatum novimus. *Continet ea* (ut Vasęus inquit) *primordia, successus, incrementa Ecclesiæ Compostellanæ*. in qua plurima scitu digna se reperisse ait, quę suis locis ponere cogitabat. Videri possunt de ea Morales lib. 9. cap. 7. [o] & Sandovalius in historia Regis Alphonsi VII. [p] & Ramirezius ad Luitprandi Pseudo-Chronicon [q]; qui tribus eam constare partibus docet, primę duobus Episcopis, secundę tertięque Girardo auctoribus.

67. *Annales* ne iidem *Compostellani* sunt, quibus non semel Morales utitur [r]? Vix credo, cùm *Annales Compostellanæ Ecclesiæ* qui initio libri privilegiorum (*Tumbos* dicunt) ejusdem leguntur, alio loco totidem verbis laudet; quos *Annales* quosdam *breviores*, inde dictos *Compostellanos*, quòd in libro ejus Ecclesię ab eo reperti essent, non *historiam Compostellanę Ecclesię*, quam suo nomine appellare consuevit, existimamus. Hanc potiùs significare nobis videtur, quum lib. 17. cap. 20. *Archiepiscoporum Compostellanorum antiquioris historiæ* meminit.

68. Iriensis quoque Ecclesię historiam quandam vulgaris linguæ circumferri manu exaratam legimus [s]; sed ea nihil ad Compostellanam, de qua agimus, pertinet; quantumvis Irienses origines, unde Compostella derivavit, hęc prodat. Ferè latet adhuc antiquum hocce ac pretiosissimum historię monumentum, paucis olim visum, qui tamen inde ad areolas suas quicquid observatione atque memoriâ maximè dignum fuit, sese deduxisse ajunt, Vasęus nempe, Morales, Sandovalius, Joannes Tamajus, aliique. Ferè latere diximus: excusam enim jam fuisse hanc historiam in libello supplici, sive memoriali, ut nos vocamus, confecto pro instruenda lite votorum S. Jacobi, hoc est, solutione ejus partis, quę olim per totam Hispaniam voto promissa dicitur Ecclesię Compostellanę Sancti Jacobi, admonuit nos D. Josephus Pellizerius regius historicus [t], adjungens propriâ Pelagii Ovetensis Episcopi manu scriptam sese habere.

69. Sed falsus fuit amicus noster, si de historia Compostellana, qua de loquimur, excusam eam in laudato memoriali affirmat, & non de Iriensis Ecclesię historia quam typis edidit memorialis auctor. Nec prętermittendum est in bibliotheca Olivariensi, quę, ut credimus, hodie est in hortis Marchionis del Carpio Matriti, hanc historiam Compostellanam olim fuisse, quam tamen catalogus MS. quem penes nos habemus, ita per errorem appellat. *Chronica de España por el Arzobispo D. Gil Almeiriz*. ubi ad oram notatur: *Está en Salamanca en el colegio de S. Salvador. Estan al fin las guerras de D. Fr. Berenguel. Es del archivo de la Iglesia de Sant-jago*.

70. Sub Alphonso Aragonię Rege cui cogno-

m In *Chronico Hisp.* cap. 4. num. 10.

n In *Histor. Alphonsi VI.* fol. 163.

o Fol. 218 pag. 2. & 241. pag. 1.

p Fol. 116. & fol. 144.

q Pag. 451. edit. Antuerp.

r Lib. 9. cap. ..... fol. 241. & lib. 15. cap. 19. in fine.

s Sandoval *Observ. à los Obispos* paginâ 219. Pellizer ad Dulcidii Chronicon fol. 10. Tamajus in *Martyr. Hisp.* 1. Martii pag. 18. & 19.

t In lib. cui tit. *Tresro de la verdad de la historia* folio 14.

cognomentum fuit *Bellatori*, præſul fuit Rotenſis & Barbaſtrenſis Eccleſiarum ejus regni Raymundus Gulielmi Gallus, Toloſanę diœceſis, vir ſanctiſſimus, virtutibus ac rebus ſupra mortales vires geſtis eo tempore, ad omnemque memoriam admodum clarus, qui xx. Junii die anni MCXXVI. ad ſuperos fuit tranſlatus. Hujus Vitam, Godefridi, ſeu Gaufredi, earundem Eccleſiarum antiſtitis juſſu in literas retulit Elias Rotenſis canonicus, quam etiam nunc membranis deſcriptam in hujus Eccleſię archivo ſervari Vincentius Blaſcus prodit volumine hiſtoriarum Aragonenſium 1. lib. 5. cap. 4. Ex qua Vita quicquid de Beato iſto Raymundo in commentaria ſua retulere, dubio procul hauſerunt, tam idem Blaſcus dicto lib. 5. quàm ante eum Michaël Cercitus Barbaſtrenſis Epiſcopus peculiari libro, Didacus de Ainſa in *Hiſtoria urbis Oſcenſis*, Martinus Carrillus poſt Vitam Sancti Valerii in catalogo Epiſcoporum Aragoniæ, Hieronymus Surita in Indice Latino rerum ejus regni, & ſi qui alii.

71. Æqualis fuit huic B. Raymundo Barbaſtrenſi beatus item Tarraconenſis metropolita Olnegarius, ſive Ollegarius, qui de ejuſdem Raymundi ab Eccleſia Barbaſtrenſi per vim Stephani Oſcenſis Epiſcopi, connivente ipſo Rege, cui valdè is charus fuit, ejectione, clariſque virtutibus ad Innocentium II. Papam multa ſcripſit in epiſtola, quę apud eundem nuper laudatum Oſcenſis urbis hiſtoricum Ainſam lib. 2. cap. 42. exſtat[u]. B. Oldegarius, qui Barcinonenſis domo, natus anno MLX. patriæ urbis fuit Epiſcopus, atque eodem tempore aliquot annis Tarraconenſis Archiepiſcopus, tandemque ſanctitate & miraculis inclytus, obiit ſexta die Martii MCXXXVI. ætatis ſuæ LXXVI.

72. Vitam reſque ab eo geſtas deſcripſit Antonius Joannes Garſia Caralps canonicus pœnitentiarius in Eccleſia Barcinonenſi[x]. At prior eo anonymus laudatur ejuſdem Vitę ſcriptor canonicus Eccleſiæ Gerundenſis, ut ex Franciſco Diago in *Hiſtoria Comitum Barcinonenſium*, & Jacobo Rebulloſa, qui & is Vitam viri hujus ſanctiſſimi nobis poſt alios dedit, monuerunt ad ſextam Martii diem in actis Sanctorum PP. Henſchenius & Papebrochius. Anonymi Vita iſta reperta fuit in archivo Eccleſiæ Barcinonenſis, ubi ſanctum ejus corpus in veneratione magna habetur, teſte Antonio Dominico lib. 11. *Hiſtoriæ Sanctorum Cataloniæ*[y].

73. Anonymus hinc laudandus venit, cujus nomen ſilentio multari, ſi quod aliud, minimè debuit, auctor *Hiſtoriæ Alphonſi VII.* cognomento *Imperatoris*, Caſtellæ ac Legionis magnanimi ac victorioliſſimi, omnes inter omnium ætatum, Regis. Ex hoc auctore hiſtoriam ſuam hujus principis formavit Prudentius Sandovalius; qui, ſi mens læva noſtrorum hominum veteribus monumentis in ſchedis latentibus quodammodo bellum non indixiſſet, confirmandæ narratorum fidei Latinam hanc, quâ linguâ ſcripta eſt, vernaculæ ſuæ præponere debuit, magnumque ita operæ pretium facere. Vidiſſe hanc ſeſe ait in codice literis Gotthicis exarato, ab iis ſcriptam, qui rebus ipſi quas referunt, interfuere. Et, ut incurioſus eſſe ſolet (aliàs multa vir dignus laude atque optimè de hiſtoria noſtra meritus) in oſtendendis, quam nobis propinat, aquæ fontibus, hoc eſt antiquis libris, quos vidit ſcripſitque, aut ex quibus profecit, germana eorum facie, ac notis diligentiſſimè deſignandis, quod recentioribus viris, quo quiſque doctior eſt & eruditione præſtantior, non ultima conſuevit præfationum eſſe pars ad eorum operum, quę publici juris tunc primùm faciunt, editiones, nihil ultrà de iſto codice Gotthico docet nos, excepto quòd *Hiſtoriam Toletanam* opus hoc paſſim appellans, ejuſdem Eccleſię ſignificare librum planè videtur.

u Duas hujus ſanctiſſimi præſulis epiſtolas edidimus nos tomo 1. *Collect. Max. Conc. Hiſp.* alteram Raymũdo Auſonenſi Epiſcopo, alteram Innoc. II. Papę directam. Quarum poſterior à nobis primùm luce donata. Conſule in ea Innocentium circa conſecrationẽ Epiſcopi Barbaſtrenſis à canonicis electi. Cardinalis de Aguirre.

x Barcin. edita MDCXVII. in 8.

y Pag. 75.

74. Sandovalius quidem hiſtoriam Alphonſi hujus Regis VII. ex hac anonymi auctoris eorum temporum, ut credere eſt, æqualis, pluribuſque ejuſdem Regis publicis inſtrumentis, brevioribuſque aliis Chronicis locupletatam Matriti primùm ann. MDC. deinde cum aliis ſuperiorum Regum, quos Ambroſius Morales non tetigerat, Ferdinandi, Sancii, Alphonſi VI. & Urracę ejus filię, Alphonſi hujus VII. matris, recognitam ac reformatam, ut ipſe ait; capitum tamen, uti appellant, diſtinctione (quonam id conſilio?) mulctatam, Pampilonę MDCXV. iterum edidit. Nec eo tamen eruditorum ſitim ceimelion hocce antiquitatis curioſo legendi oculo potuit extinguere. Utinam aliquando D. Joſephus Pellizerius rixas ſuas cum nugacibus, atque otii, quo fruuntur, malè prodigis hominibus cuivis alteri curandas relinquens, è codice iſto, quem penes ſe dum viveret habere ajebat[z], deſiderio publico ſatisfacere voluiſſet!

75. Idem verò Hiſtorię auctor, ut Sandovalio viſum, ejuſdem fini carmen ſubjunxit, quod ſub titulo *Præfationis de Almeria* laudatus Sandovalius loco ſuo, idest, cùm attingit hiſtoria expeditionem contra urbem Almeriam ab noſtro Caſtellę, Garſiaque Navarrę, Raymundoque Berengarii Aragonię, Regibus, necnon & Genuenſium claſſe, anno quadrageſimo ſeptimo hujus ſæculi factam, intexuit. Malè autem, ſi quid video, exiſtimavit ille impoſitum ab auctore *Præfationis* nomen integro carmini, cùm hic titulus tredecim verſibus, qui nuncupationem totius continent operis, tantùm conveniat.

76. Atque id certè monumentum eſt quovis pretio dignum, barbari quantumlibet, &, ſi artem quęras, ferrei oris poëtaſtri. Nec id tamen perfectum. Auxiliaris enim Genuenſium claſſis, nec minus ſummę rei, communibus tot Regum viribus confectæ, notitiam deſideramus in eo carmine, quo quidē totius belli apparatum, vix nullum verò armorum ſucceſſum, deſcribit. Mutilatum dixeris aliqua ſui parte; ac Pellizerius judicio ſuo noſtrum confirmat, monens codicem ipſum originalem ultimo quaternione mutilum apud ſe habere: quod patratum ab eo ait, qui facinore iſto ſperavit fore, ne auctori ſuo, ſed alii, quàm is credi volui, facilè

z In *Memorial por D. Fernando de los Rios* fol. 6. nu. 17. in margine & in bibliothecarum libro fol. 146. pag. 2.

facilè tribueretur. Scilicet fuisse ait hunc codicem penes Hieronymum Romanum de la Higuera (omnes sciunt hunc ab eo, quamvis dissimulante, significatum) ut colligitur ex notis nonnullis scripturæ manûs ejus ibi exstantibus.

77. Nec tamen suspicari possum corruptum ab eodem Chronici, unà & carminis finem, in quo veri auctoris legeretur nomen, ut supposititio, hoc est Juliano archipresbytero Toletano, supponeret; sed potiùs, cùm reperisset mutilum & anonymum, genio suo obsequutum, finxisse Julianum ita de se alicubi enunciâsse. De quo nos in Juliano. Liber incipit post hunc titulum; *Chronica Adephonsi Imperatoris*, ita: *Quoniam semper ab historiographis antiquis historiæ memoriæque posterorum per scripturam tradita* &c. Post hanc præfationem lib. 1. incipit: *Notandum ergo quòd prædicta Regina Urraca* &c. Auctorem æqualem fuisse iis rebus quas narrat, prodit ipse, describere se ea quę ab illis qui viderunt, didicisset & audivisset, affirmans. Præfatio incipit:

Rex pie, Rex fortis, cui sors manet ultima mortis,
Da nobis pacem, linguam præbeque loquacem.

Opus autem ipsum, quod Leoninis ferè versibus totum constat,

Convenere duces Hispani Francigenęque,
Per mare per terras Maurorum bella requirunt.
Dux fuit imperii cunctorum Rex Toletani:
Hic Adephósus erat: nomen tenet Imperatoris &c.

78. Salvatus, aliàs Salvianus, per hęc tempora scripsit in Portugallia sancti Martini Sauriensis in eo regno presbyteri vitam. Hic fuit Martinus Arias, cui & Menendo fratri ejus germano, ad quem Salvatus Vitam fratris direxit, Conimbriensis Ecclesiæ utique canonico, Alphonsus Rex Portugalliæ I. sive ejus mater Teresia, *Sauriam* oppidum à Mauris destructum, non procul à Conimbrica urbe, restituendum, & civibus excolendum, ut in eo pastoris munus tam ii quàm ex eorum progenie alii successores (ita ferebant ævi illius mores) administrarent, anno MCXXIV. concessit. Vixit is sanctissimis moribus, & fructuosissimè peracto sacerdotis officio uno supra viginti annis, usque ad MCXLVI. quo à Mauris captus, Scalabimque, indeque Eboram, atque hinc Hispalim, atque Cordubam perductus, in pędore & angustia hujus urbis carceris spiritum cœlo sequenti hunc anno pridie Kal. Februarii reddidit.

79. Promiserat Andreas Resendius, lumen Portugalliæ magnum, hanc edere Vitam ex libro quodam cœnobii canonicorum S. Crucis Conimbriensium, ut in ejus primo libro *Antiquitatum Lusitanarum*, ubi de Tapiæo agit monte, legimus; cujus & Vitæ meminit quoque lib. 2. ubi *De fluminibus & Anco amne*. Eam tamen à D. Thoma Tamajo de Vargas, Philippi Regis IV. chronographo, habitam, Joannes Bollandus edidit in magno ab eo cœpto *De Actis sanctorum* opere XXI. die Januarii.

80. Sub Alphonso Raymundi Hispaniæ Imperatore Ferdinandus etiam vixit in monasterio S. Æmiliani Benedictinus monachus circa annum MCL. Hujus quædam scripta manu servantur opera in archivo ejusdem cœnobii, bonæ frugis plena, ut audio. *Translatio* scilicet ejusdem *S. Æmiliani* [a] eleganti sermone, necnon & *Conciones* aliquot; itemque *Narratio destructionis antiqui monasterii S. Æmiliani* patratæ ab Almanzore Sarracenorum Duce, quo tempore Fernicius abbas eidem præerat.

81. In idem tempus Anonymus auctor recidit *Chronici* cujusdam Hispanicarum rerum, quod vernaculâ illius ævi linguâ scriptum penes Andream Resendium fuit; de quo hujus verba subjecimus, cùm contenderet, matrem Alphonsi I. Portugalliæ Regis, Henrici Comitis uxorem, Terasiam, cui pater Alphonsus Castellæ ac Legionis VI. quicquid Portugallensis limitis a Maurorum manu recuperatum fuerat, nuptu ræ in dotem concessit, è Simena, non concubinâ, sed justa Alphonsi conjuge, procreatam: quod argumentum curiosissimè alii, quos inter Alphonsus Brandanus Cisterciensis, regius Portugalliæ post Brittum chronographus, pertractavit. *Verùm apud me* (ait lib. 4. *Antiquit. Lusitanarum* [b]) *Chronicon Hispanicâ vetustâ linguâ habeo factum, septuaginta annos ante Rodericum* (Toletanum præsulem intellige, qui contra stat) *in quo eadem Simena minimè concubina, sed justa uxor & Regina disertè perhibetur; de qua re ad Joannem Barram scripsi, & quidem prolixè*. Non potuit non esse plena doctrina: atq; antiquitatis hęc epistola, quæ inter ejus alias desideratur. At, si calculus Resendii non fallit, anno MCLXXIII. formata fuit hęc historia, quæ septuaginta annis Rodericianam præcessit. Hic enim clarus rerum nostrarum historicus, ut in fine annotatum voluit, anno MCCXLIII. suam absolvit.

82. Ab anno hujus sęculi XXXIII. usque ad LIII. Pistoriensem in Hetruria Ecclesiam sanctissimè rexit B. Atto, ex abbate octavo Vallis-umbrosani monasterii, hoc est totius Congregationis, quam B. Joannes Gualbertus è Benedictinorum ordine formavit, Generali præfecto ad istam dignitatem promotus. Hispanus hic fuit, domo Pacensis, sive ex Pace-Julia, quam *Beja* in Portugalliæ regno recentiores appellant, sive ex *Badajoz* hodierna Extremaduræ urbe satis clara, quæ *Pax-Augusti*, unde corruptum fuit barbarum istud hujus temporis nomen, ab antiquis appellata dicitur; quicquid nonnisi unam, eandemque *Pacem* Andreas contendat Resendius [c].

83. De patria quod dicimus, in eo conformes hi omnes sunt, qui literis B. Attonem, gestaque ejus consignaverunt, Franciscus Forteguerra, Arnoldus Uvion [d], Justinianus Marchettus, Ferdinandus Ughellus [e], &, quem hic non vidit, Ludovicus San-Laurentius noster peculiari libello [f]. Apud quem legimus instrumentum quoddam stipulationis VIII. Kal. Martii anni MCLIII. ab eo factæ laudatum, in quo sese ipse Pacensem profitetur. Scripsit Atto *Vitam S. Joannis Gualberti abbatis, Congregationis Vallis-umbrosanæ institutoris*, quam post

a Hanc Ferdinandi *Translationem*, sive translationis S. Æmiliani historiam, edidimus nos primùm tom 3 *Collect. Max. Concil. Hisp.* pag. 283. quò lectorem hujus monumenti studiosum remittimus. Cardinal. de Aguirre.

b In editione Coloniensi operum Resendii pag 239

c In epist. ad Joann. Vasęum *De colonia Pacensi*.

d *Lib. 1. Ligni Vitæ* c. 14.

e *Italiæ sacræ* tomo 3. in *Pistorien. Episc.* col. 360.

f *Vita B. Attonis* &c. Romæ ann. MDCXXII. in 4. apud Steph. Paullinum.

poſt tam longum tempus hoc noſtro typis commiſit ſeculo Theſaurus Velius, ejuſdem Congregationis Sanctę Praxedis in urbe abbas, Benedicto S. R. E. Cardinali Juſtiniano nuncupatam in typographeio Guilielmi Faciotti MDCXII. in qua editione *Pacenſis*, *Hiſpanique nominis propugnator* audit *eximius*.

86. Huic adjungitur *Vita S. Bernardi monachi abbatis monaſterii S. Salvii Vallis-umbroſæ, etiam Generalis, Parmenſis Epiſcopi, Sacræque Rom. Eccleſ. Cardinalis*, quam idem Velius Odoardo Farneſio Cardinali dedicavit. Sed hanc cùm dicat *à graviſſimis* ſuæ Farneſii urbis (hoc eſt, Parmæ) *viris deſcriptam atque laudatam*, agnoſcere videri poterat alterum, à noſtro Attone diverſum, ejus Vitæ auctorem fuiſſe. Attamen *deſcriptam* de tranſcriptionis opera debemus accipere. Nam diverſum minimè credidit Ferdinandus Ughellus, dum in *Epiſcopis Parmenſibus* Bernardi res geſtas prodit [g], quemadmodum & cum aliis San-Laurentius noſter.

[g] Tomo 2. *Ital. ſacræ*. col. 214. & 215.

87. Sequitur in eadem editione ſectio quędam, ſive tractatus, à *Vita B. Bernardi* diverſus, ita inſcriptus: *Quæ S. Bernardus, etiam Cardinalis exiſtens, pro ſua Religione geſſerit*. In cujus opuſculi quarto capite de ſucceſſore Bernardi in pręfectura monaſterii Vallis-umbroſæ, *Tandem Deo favente* (ait auctor) *S. Attonem Hiſpanum unanimiter elegerunt, optimè quidem ut ſancto ſanctus locum à ſancto Joanne ſanctificatum aſcenderet*. Et cap. 10. *Habetur lib. 2. cap. 10. in Vita S. Joannis* (Eudoxi, ut credimus, Locatelli, qui hanc ſcripſit) *quòd S. Bernardo S. Atto ſucceſſerit: fuit enim à Pacenſi* (ita eſt editum) *Hiſpani nominis propagator eximius*.

88. Scripſit idem Atto, ut refertur, epiſtolarum librum unum.

89. Item *De tranſlatione reliquiarum, & miraculis S. Jacobi Apoſtoli* librum unum, quem minus rectè *De tranſlatione capitis S. Jacobi Apoſtoli ad ſuam Eccleſiam ex Hiſpania* Arnoldus Uvion in *Ligno vitæ* appellat [h]. Exſtant enim teſtes omni exceptione majores in archivo Eccleſiæ Piſtorienſis, epiſtolę ſcilicet Rainerii cujuſdam Eccleſiæ hujus diaconi, & alia D. Didaci Gelmirez Compoſtellani pręſulis ad Attonem noſtrum directæ, unde liquet *non minimam* (ut ait Rainerius) *reliquiarum de capite beatiſſimi Apoſtoli Jacobi, fratris Joannis Euangeliſtæ, partem*, ab eodem Compoſtellano antiſtite difficillimè obtentam, & ad Attonem fuiſſe remiſſam. Has epiſtolas tam San-Laurentius, quàm Ughellus, publici juris fecere.

[h] Lib. 2. cap. 14.

90. Ad ſanctitatem quod attinet B. Attonis, prætermitti non debet, quòd in una ex jam laudatis Rainerii epiſtolis habemus dixiſſe quondam in Anglia Matthæum S. Georgii Cardinalem, interrogatum ab eodem Rainerio de ſtatu Romanæ Eccleſiæ, *quòd Romana & Apoſtolica ſedes beata foret, ſi Attonis duceretur moderamine gubernaculi*.

91. Diverſus à noſtro eſt Atto Vercellenſis antiſtes decimi ſeculi: cujus *capitula*, atque librum *De preſſuris Eccleſiaſticis*, atque item epiſtolas, e Vaticano codice, foràs dedit Lucas Dacherius tomo octavo ſui *Spicilegii*.

CAPUT V.

PETRUS SEGUINUS *Aurienſis Epiſcopus*. PETRUS *Toletanus magiſter, Alcorani Latinus interpres. Ubi de Roberto Ketenenſi Anglo altero interprete, Pampilonenſis Eccleſię archidiacono.*

92. SUB Ferdinando Legionis Rege, Alphonſi VII. Imperatoris filio, qui anno MCLVII. regnare cœpit, vitam agebat, miniſterque ejus à ſacramentalibus fuit confeſſionibus, D. PETRUS SEGUINUS Aurienſis Epiſcopus, quem Gallum fuiſſe, domo Pictavienſem, in libro quodam *Dotationum*, ut vocant, hujus Eccleſiæ, expreſſum exſtare ajunt [i]. Luſitani verò ſuum aſſerunt, & monaſterii S. Crucis Conimbricenſis urbis canonicorum regularium S. Auguſtini ex primis ſodalibus, de quo agit D. Rodericus da Cunha in *Hiſtoria Bracarenſi* ad an. MCLIII. Georgius Cardoſus in *Hagiologio Luſitano* die XIV. Februarii in commentario, D. Nicolaus de S. Maria in *Chronico ordinis canonicorum regularium* Luſitano lib. 11. cap. 28. qui, & Ægidius Gundiſalvi Davila in *Theatro Eccleſ. Aurienſis*, ex monumentis ejus monaſterii conſtare ajunt ex canonico hujus monaſterii factum fuiſſe Aurienſem antiſtitem. Seguini certè nomen alienum non fuit ab Hiſpanis hominibus, cùm in quodam teſtamento Latinè ſcripto ac Toleti reperto [k], neſcio quid ſeſe legare aut committere teſtator aſſerat *domino meo Seguino canonico ſanctæ Marię*.

[i] Ægidius Gonzalez Davila in *Theatro Aurienſis Eccleſ.* pag. 187.

[k] Apud Piſam in *Hiſt. Toletana* lib 4. cap. 20.

93. Scriptorum autem Hiſpanorum albo inſcribi jure is debet propter exaratum ab illo libellum, ſive relationem *De inventione corporis ſanctæ virginis & martyris Euphemiæ*, decem ab Aurienſi urbe leucis reperti, de qua martyrologi noſtræ gentis curioſè tractant. Hanc hiſtoriam barbarâ & vernaculâ ſui ęvi linguâ à Seguino conſcriptam, ex MS. commentario *De Sanctis Gallæciæ* D. Gregorii Lobarinhas Feixoò portionarii Eccleſiæ S. Creſcentii Tudenſis diœceſis deſumptam, ut ſuſpicor, Joannes Tamajus Salazarius publicavit in *Martyrologio Hiſpano* partim VII. partim XVII. die Auguſti, ejuſque Latinam tranſlationem ab Alphonſo, Seguini eâdem in ſede ſucceſſore, factam, quæ in antiquo hujus Eccleſiæ breviario exſtat. Sed utique affixum duobus his locis de ipſa re Latinum carmen, ut ait, vetuſtum, quaſi ex eodem Gregorii Lobarinhas opere acceptum, è penu Tamaji ipſius, harum inventionum inſtructiſſimo, eſſe, in omnes fortunas meas pignus dabo. Hujus quoque Seguini nomen præ ſe fert vulgaris ejus temporis linguæ interpretatio Latini operis Servandi de antiquis Hiſpaniæ familiis nobilibus: de quo Servando, Aurienſi eo quoque Epiſcopo, atque ejus hoc opere, aliàs egimus lib. 6. cap. 1.

94. PETRUS quidam magiſter Toletanus ſub idem tempus vixit, cujus operæ in Alcorani tranſlatione ex Arabico in Latinum facta juſſu Petri Venerabilis Cluniacenſis abba-

tis

tis tunc in Hispania degentis, exstat memoria in quodam codice MS. qui apud Marsilium Ficinum fuit ex donatione duorum fratrum germanorum Antonii & Michaëlis Miniatensium, anno MCDLIX. scripto; quem Martinus Siruela, noster in paucis olim, dum viveret, amicus, Hispalensis nostræ metropolitanæ Ecclesiæ portionarius, singularis vir fidei atque doctrinæ, se se vidisse, aut saltem annotata exinde habita, quæ jam producimus, nobis affirmavit. Continebat liber Alcorani Latinam versionem, & in fine hanc notam: *Illustri viro Petro Cluniacensi abbate præcipiente suus Angligena Robertus Ketenensis librum istum transtulit ann. Christi MCXLIII. an. Alexandri MXLIII. ann. Albigeræ DXXXVI. ann. Persarum DXI.* Attamen hanc consequebatur hæc altera nota: *Hunc librum fecit dominus Petrus Cluniacensis abbas transferri de Arabico in Latinum a Petro magistro Toletano, cùm esset ipse abbas in Hispaniis constitutus cum glorioso Adephonso, eo anno, quo gloriosus Imperator Coriam civitatem fecit.*

95. Planè Robertum Ketenensem Alcorani interpretem, qui hoc sæculo vixit, atque ex oriente redeuntem atque in Hispania Pampilone obtento sacræ ędis archidiaconatu hærentem magno stipendio ad id opus conficiendum Petrus Cluniacensis conduxisse dicitur, agnovere Nicolaus Cusanus in *Cribratione* ejusdem *Alcorani*, & ex eo Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ scriptoribus*, ad annum MCXLIII. & Haubertus Miræus in auctario *De scriptor. Eccles.* cap. 373. & post alios Augustus Pfeiffer Saxo in *Fasciculo dissertationum philologicarum*, dissertatione 4. Qui tamen, Erpenii fide, huic Ketenensi comitem in ea translatione adjungit Hermannum quendam Dalmatam.

96. Quo motus utique laudatus Siruela noster suspicabatur fuisse olim cum versione Alcorani compactum in eodem codice aliquod aliud opus, ex Arabico id etiam in Latinum conversum à Petro Toletano, ejusdem Petri Cluniacensis jussu, ad quod referri hęc nota posterior debeat. Sed bene potuit Cluniacensis iste abbas binum interpretem applicare operi, quod optimè conversum haberi cuperet; cum vel Ketenensis ea translatio hodie à multis culpetur, *tanquam parum accurata, & extra manifestas historias veram Arabismi sententiam satis rarò fideliter exprimens*, ut verbis loquar ejusdem Erpenii[l]: sive *ineptissima est & sententias miserè subvertens, frigosa ad hęc nonnunquam & exilis in nimiam statim molem assurgit, ut nemo inde Alcorani intelligentiam sibi spondere queat*. quod in libro secundo de interpretatione Petrus Daniel Huetius ait. Et Joannes Albertus Widmestadius jurisconsultus Germanus in *Theologiæ* suæ *Machometi* & *epitomes Alcorani* (quam Norimbergæ anno MDXLIII. editam vidit Alphonsus Ciaconius, quod in schedis docet) præfatione admonet Ketenensis translationem epitomen tantùm Alcorani esse. Præterea & à Josepho Scaligero Petrus Toletanus, ut Alcorani interpres, alicubi laudatur: quamvis inter eos qui huic studio incubuerunt, tam in Latii, quàm in aliarum gentium idiomata, id opus vertendi, laudatus nuper Pfeiffer, qui eos collegit, de Petro isto sileat.

l Ad *Suratam* 12. *Alcorani* quam edidit præfatione ad versionem antiquam.

CAPUT VI.

De Joanne Cirita *Taurocano abbate ordinis Cisterciensium*. Anonymus *Hispaniæ regni chronographus*. Ordonius & Stephanus *S. Rodesindi Vitę auctores*. Anonymus *auctor* Historiæ Alphonsi VII. Regis Castellæ. Anonymus *alter auctor libri cui titulus*: Flores de filosofia. Paschasius *abbas canonicorum regularium*. Martinus *Legionensis canonicus, & abbas S. Isidori*.

97. In Portugallia sub Henrici Comitis, & Alphonsi primi hujus provinciæ Regis imperio vixit, atque anno hujus sęculi sexagesimo quarto ad superos evocatus fuit, Joannes Cirita, abbas Taurocanus ordinis Cisterciensium, qui unà cum Guifcardo sodali suo *Equitibus militiæ de Avis regulam* scripsisse dicitur, quam Chrysostomus Henriquez in hujus S. viri Vita lib. 1. *Fasciculi Sanctorum ordinis Cisterciensium* dist. 19. in publicum edidit, unà cum duabus ejusdem epistolis, alterâ ad Taurocanos monachos, cùm renunciato abbatiali munere privatus ageret in S. Chrystophori monasterio, alterâ ad Boëmundum abbatem. Obiisse refertur XXIII. Decembris dicti anni MCLXIV. quod idem post alios Chrysostomus Henriquez in *Menologio Cisterciensi* nos docet.

98. De rebus ejus plura scribit Bernardus Britto in Chronico vulgari Lusitano Cisterciensis ordinis lib. 2. cap. 14. ac duobus sequentibus. Interim disquirendum nos aliis relinquimus, utrùm Augustinianus, seu Eremitarum fuerit monachus, antequàm Cisterciensibus à S. Bernardo in Hispaniam & Portugalliæ regnum missis sese & sodales suos aggregavit: quod Augustinianæ historiæ auctores referunt [m]. Ad hunc exstat S. Bernardi directa epistola, quæ numero 368. est, & ultima in prioribus editionibus, antequàm ex bibliotheca Oxoniensi auctarium aliarum hactenus ineditarum accessisset.

m Hier. Roman in *Hist. Eccles. Hisp.* MS. lib. 6. cap. 44. Joannes Marquez *Origen de los ermitaños de San Agustin*. cap. 15. §. 9. Thomas Herrera in *Alphabeto Augustiniano*.

99. Hujus temporis forsan ęqualis fuit Anonymus auctor *Chronici* (ut vocavit) *Gothorum*, sive *Historiæ* compendium usque ad monem Alphonsi Henrici Portugalliæ primi Regis, quę anno MCLXXXV. contigit, ab auctore continuatum. Latinè id scriptum fuisse apud Andream Resendium ex ejus monumentis constat. Quod & laudat Prudentius Sandovalius. Quędam autem ejus fragmenta in Alcobacienfi bibliotheca à se reperta Antonius Brandanus *Monarchię Lusitanæ* par. 3. in prologo, adjungens originale ipsum, qui fuit Resendii propriis quibusdam ejusdem locupletatum notis, ostendisse sibi Emmanuelem Severinum de Faria cantorem Eborensis Ecclesiæ, virum aliàs de Lusitana omni antiqua re optimè meritum. Editum fuit ab eodem Brandano in appendice laudatæ partis 3. *Monarchię Lusitanę*.

100. Ordonius monasterii Cellę-novę in Gal-

Gallęcia monachus ac Prior hęc eadem tempora notavit, quibusdam in bonæ frugis monumentis memoriam sui relinquens. Scripsit enim S. Rodesindi Vitam, amplissimi hujus monasterii fundatoris, qui primò Dumiensis, tandemque Iriensis [n], sive Compostellanus, presul fuit, munifica sanctitate clarissimus, & à Cœlestino Papa III. in Sanctorum catalogum relatus. De quo latè agit historicus noster pius ęquè ac diligens Ambrosius Morales lib. 16. historiæ cap. 36. [o] Quamvis enim S. Rodesindus anno CMLXXVII. prima die Martii ad superos abierit; nondum tamen aliquis res eius gestas pro dignitate literis consignaverat; quod Ordonius fecit, & post eum STEPHANUS ejusdem monasterii Prior, sancti confessoris miracula post mortem edita duobus libris comprehendens. Ut jam suspicio cesset Christophori Sandii in Notis ad Vossium *De histor. Latin.* Stephanum ab Ordonio non distinguentis.

[n] Aliàs tandem Dumiensis, ut Morales reliquit scriptum en el santo viage cujus libri statim mentio fiet.

[o] Cum aliis quos colligit Tamajus in *Martyr. Hisp.* 1. Martii pag. 26.

101. Duo hæc Ordonii & Stephani opera, Benedictini, quorum domus est, monachi, simulque *S. Rodesindi testamentum* in codice adservant curiosâ manu descripto versicoloribusque atque aureis literis passim ornato. Quem ibi Ambrosius Morales nuper laudatus vidit [p], adjungens custodiri quoque ab iisdem monachis ejusdem Ordonii Cellæ-novę monachi & Prioris *Exhomologeses*. Ita ille in *descriptione sanctę expeditionis*, regiis auspiciis à se factæ, de qua sæpè alias subiit loquendi occasio. Sed in historia nonnisi *Ex pomo nogeron* appellatum hoc opus ait, instarque esse *rationalis divinorum officiorum*. Cujus fini auctor hos versus affixit:

[p] Meminit d. lib. 16. cap. 36. & in lib. ms. *Del santo viage*.

Ordonius librum per Christum concedit [q] *istum,*
Bis denis annis septem supra mille ducentis.

[q] *Conferit* fortè, aut se donasse monasterio significat.

Quos eræ inter Hispanos vulgaris annum MCCXXVII. hoc est Christi nativitatis MCLXXXIX significare idem auctor censet.

102. Habemus tamen jam quicquid in Cellę-novę monasterio de S. Rodesindi rebus, dum viveret & post obitum gestis, fuit, reverendissimorum PP. Godefridi Henschenii, Danielisque Papebrochii Jesuitarum diligentiâ è manibus Benedictinorum hujusce domus sodalium acceptum, industriaque in publicam lucem editum magno in opere *De actis Sanctorum* 1. die Martii, quâ mortalem cum æterna vita is commutavit. Apud quos tamen unicum exstat opus tribus contentum libris, Magistro fratri Stephano ejusdem cœnobii Cellæ-novæ monacho adscriptum, quorum primus liber Vitam, duo posteriores miracula referunt. Exemplum hoc se habuisse ajunt, postquam alterum accepissent, quod præferebat scriptum opus fuisse *per Reverendos magistros fratres Ordonium & Stephanum monachos ejusdem cœnobii*. cujus exemplar fortè id est, quod Morales viderat.

103. Quâ differentiâ moti patres doctissimi in eam sententiam ivere, ut existimarent, omne id quod continetur duobus primis libris, ab Stephano; quæ autem tertio, ab Ordonio conscripta esse: acceperant enim ab Hispania Stephanum Ordonio priorem vixisse. Commentarium eorum prævium ad Sancti Rodesindi hanc Vitam consule, si vis, lector. Certè auctor quisquis ille sit, sine libri tertii sic loquitur: *Quia ea quæ nostris temporibus fiunt, magis delectant, & melius memorię commendantur; ideo de miraculis B Rudesindi nonnulla huic operi inserere dignum duxi. Tempore igitur clarę memorię illustrissimi Ferdinandi Regis genitoris gloriosissimi principis Regis Alphonsi, princeps quidam illustris & potens nomine Fernandus Roderici de Castro* &c. Qui Alphonsus patri Ferdinando successit in regno Legionensi à Castellæ regno seorsum habito, uti suprà diximus, anno hujus sæculi octogesimo octavo.

104. Post hunc ergo annum historicus, sive continuavit opus suum, sive alterius adjunxit, quę olim vel is vel alius commentariis digesserat. Hujus operis partem aliquam, aut schedas antiquiores, è quibus profecit auctor, Cœlestinus Papa III. qui Hyacinthus proprio nomine, cùm adhuc esset S. R. E. Cardinalis & Apostolicæ sedis Legatus in Hispania versatus fuerat, corpusque S. Rodesindi honorificè collocari concesserat, in hoc eodem Cellæ-novæ monasterio certè viderat. Siquidem in bulla solennis canonizationis ejus S. viri [r], quam summus Ecclesiæ creatus pastor edidit, pontificatus sui anno V. qui Christi fuit MCXCV. his verbis utitur. *Per multorum relationem agnovimus, & per ea quę in libro rerum gestarum à Rodesindo Episcop. Dumiensi, qui requiescit in Domino, apud cœnobium, quod Cella nova nomen, nos legisse fatemur, deprehendimus* &c.

[r] Apud Tamajum in *Martyrol. Hisp.* 1. Martii pag. 40.

105. Hujusmet ætatis fuit æqualis, ut credere par est, auctor innominatus Chronici Latinè scripti *rerum Alphonsi Regis Castellæ VII.* cognomento Hispanię Imperatoris, quod ad hoc usque tempus, quantumvis luce dignissimum & optimę fidei scriptum lucem non vidit. Eo tamen usus fuit ad conficiendam hujus Regis inclyti historiam Prudentius Sandovalius, qui prorsus debuit, ostenso hoc limpidissimo fonte vulgari suę narrationi auctoritatem prestruere. Æqualem verò eidem Regi, aut ętate paullò posteriorem fuisse, ex his ejus verbis constat: *Sicut ab illis qui viderunt didici & audivi, describere ratus sum.* Hunc autem codicem, qui apud Sandovalium fuit, pervenisse postea ad manus D. Josephi Pellizerii regii historici membranis scriptum, docuit nos Pellizerius ipse in *Bibliotheca suorum librorum* fol. 146. ubi initium operis, & aliqua profert ex ejus præfatione, observans inde aliqua notatu digna, presertimque hunc librum penes Hieronymum Higueram olim fuisse, à quo mutilatum aliquot foliis fuisse conjectatur; eo forsan proposito, ut Juliano Petri S. Justæ archipresbytero, manuum suarum operi, qui auctorem se hujus Chronici Alphonsi Regis in Pseudo-Chronico suo jactavit, contrariam aliquam ibi exstantem veri auctoris notam è medio tolleret. Hujus exempla habent Matriti Marchio Mondexarensis, amplissimæ possessor bibliothecæ, quâ optimè utitur, D. Joannes Lucas Cortesius Dicasterii Matritensis criminalium rerum judex, & Franciscus de la Sota Benedictinus, ordi-

ordinis sui chronographus, qui quidem hanc historiam cum Notis propriis edere in publicum, dum viveret, jactabat.

106. Sub Alphonso Rege Castellæ VIII. cui *Bono* fuit cognomen, & qui anno hujus sæculi quinquagesimo octavo Sancio patri successit, hoc est jussu illius, ANONYMUS conscripsit librum, *Flores de filosofia* nuncupatum, vernaculâ hujus ævi linguâ, quem non vidimus, sed laudat, verbaque inde refert, dominus Sebastianus de Covarrubias in *Thesauro linguæ Hispanæ* verbo *Lazeria*.

107. Sub eodem floruit PASCHASIUS primus abbas monasterii canonicorum regularium S.Mariæ de Bene-vivere diœcesis Palentinæ, qui distichis Latinis non omnino incultis conscripsit *Vitam Didaci Martinez de Villa-mayor* hujusce monasterii fundatoris, viri nobilissimi & optimi. Ea latet, nec prorupit se hactenus è curiosorum manibus, cujus carmina aliqua leguntur in libro D. Josephi Pellizerii ita nuncupato: *Informe del origen, antiguedad, calidad, y succession de la excelentissima casa de Sarmiento de Villa-mayor*, fol.32. & 33.

108. Sub Alphonso altero Legionis Rege, & Ferdinando ejus genitore, vixit sanctitate præclarus, doctrinaque, non quidem acquisitâ, sed infusâ, mirabilis, MARTINUS presbyter, Legionensis Ecclesiæ, dum viveret, canonicus, idemque nunc in cœlis protector; qui & abbas fuit insignis cœnobii canonicorum regularium S. Isidoro Hispalensi in ea urbe sacri. Fama est ex rudi atque illiterato repentè doctissimum factum ab eodem nuper memorato Isidoro, ut Joannis Marianæ [a] verbis utar, *oblato in somnis libro quem comederet*. Exinde intentus doctrinæ suæ cudendis ad posterorum utilitatem sacris monumentis, non minùs sanctissimè vivendi normâ æqualibus, quàm doctissimorum operum formatione quandocumque futuris, proficuus esse voluit. Asservantur apud canonicos jam dictæ Ecclesiæ S. Isidori non modò sacræ ejus exuviæ, manusque integra, scribendi adhuc gestum imitata; sed & libri plures etiam nunc inediti, & antiquissimo hujus, quo vixit, ævi charactere scripti. Nempe

[a] Lib. 11. cap. 16. in fine.

109. *In Apocalypsin commentarius*, cujus meminit Ludovicus Alcazar in suis ad eundem hunc librum *Investigationibus* notatione 26. proœmiali sect. 3.

In epistolas SS. Jacobi, Petri, & Joannis Apostolorum.

Conciones ab Adventu usque ad festum Trinitatis. Singularesque aliæ his titulis inscriptæ:

Quòd fratres non habeant proprium.

De prælatis Ecclesiæ juxta curam suorum subditorum.

De obedientia.

De disciplina Ecclesiastica.

Qualiter juvenes ab otio fugiant.

Qualiter senes ac juvenes Deo servire debeant.

Ne monachi & canonici Regis curiam frequentare præsumant.

Ne monachi & canonici secreta principum scire appetant.

De translatione S. Isidori.

De Spiritu sancto.

De sancto Joanne Baptista.

De Ascensione Dominica. Et plures aliæ conciones aliorum Ecclesiæ festorum. Hæc omnia ex Ægidio Gundisalvi Davila in *Theatro Ecclesiæ Legionensis*.

Alphonsus Venerus *Enchiridii* auctor adjungit insignem, ut ait, librum sic nuncupatum:

Concordię veteris & novi Testamenti.

110. Quo quidem sanctissimo viro ita perfunctoriè laudato, sæculum aureo veluti sigillo claudimus; ut tamen ad supposititiorũ classem, qui ad idem referri debent, flabello eventilandam nos transferamus: monito priùs, vixisse hoc eodem sæculo Hebræorum Hispanorum verè coryphæos, Mosen Maïmonidem, ejusque præceptorem Josephum Ben-Meir, Abrahamum Aben-Esra, Josephum, cum duobus filiis Davide & Mose Kimkiis, Jehudam levitam, & alios, quorum in *Bibliotheca Rabbinico-Hispana* proprio cujusque eorum nominis loco meminimus.

CAPUT VII.

AULI HALI, *sive* HALONIS, De adventu D. Jacobi in Hispanias *carmen suspectum*. *De Joannis Tamaji fide & libris judicium*. *Carmen istud ex Alvari Gomezii* Tali-Christiæ *versibus pluribus in locis consarcinatum fuisse ostenditur*. *Hujus tota est Hispaniæ descriptio, & ipsa à Joanne Tamajo, quodam versu de Ilipa, quæ patria ei fuit, mentione interpolata*. *Verè Halo, aliàs Alphonsus, poëta sive grammaticus hoc tempore, cujus aliqua producuntur carmina*.

111. DECERTANDUM nobis jam est capite isto & aliquot sequentibus cum apocryphis, aut veriùs chimæricis auctoribus, quos ætas nostra in lucem protulit, quasi ab hocce eodem duodecimo sæculo per manus acceptos, occultisque canalibus ad nos usque deductos. AULUM HALUM, sive HALONEM, poëtam, ut ajunt, natu Burdigalensem, at civitate Toletanum, & JULIANUM PETRI hujusmet ultimò dictæ urbis Ecclesiæ archidiaconum, intelligimus.

112. AULI HALI poëtæ Burdigalensis, civisque Toletani, *De adventu in Hispanias D. Jacobi Zebedęi filii* &c. carmen heroïcum ex MS. ut ait, Gothico codice erutum, correctum, & Notis brevibus illustratum, Joannes Tamajus Salazarius *Martyrologii Hispani* auctor Matriti ex officina Didaci Diaz de la Carrera anno MDCXLVIII. in publicum emisit. Ut verò ipse fidem adstruat novo auctori, sic de inventione ait in Notis [t]: *Ut ut sit, carmen hoc qualecumque in manus nostras pervenit, in vetusto codice literis penè Gothicis exaratum, cum alio* Carminum *libello, in quo varia Sanctorum Hispanorum sepulchralia, elegiæ, hymni, & istius generis alia, quę in meo Hispanico martyrologio suis locis apponimus, continentur.*

[t] Fol. 4. pag. 2.

nentur . Illum ergo codicem inter librorum molem cujusdam grammatici magistri,vulgò el ciego de Toledo , *quam venalem exposuerat librarius nomine* Andrada *in ipsa urbe inveniens,cum aliis* MSS.*vetustioribus accepi , & continuo labore perlegi, exscripsi , & eruditorum bono excudendum proposui hisce notulis illustratum* . Specimen formę characteris, quem penè Gotthicum appellat, in epistola ad lectorem typis expressit, lectu difficilem, & longęvitatem, si non ludimur, abundè repręsentantem . Et, quod magis me movet ad fidem ei non omnino denegandam , D. Josephus Pellizerius chronographus regius in censura de hoc opere facta atque ei prędixa,innuere videtur sese codicem ipsum pervetustum Gotthicis characteribus exaratum vidisse.

113. Sed cùm codex iste , in quo non modò Halus, sed & epigrammatum sive carminum continebatur libellus ille, unde Sanctorum Hispanorum elogia plurima Tamajus possessor ad martyrologium Hispanum transtulit, nusquam sit repertus, quamquam sedulâ conquisitus operâ librariam inter ipsius Tamaji fato functi supellectilem , & in amplissima excellentissimi domini D. Didaci Arce Reinoso, Placentini, dum viveret, Episcopi , & generalis Inquisitoris , quò nos Tamaji hęredes remiserunt , bibliotheca; integrum cuique erit , hoc pręjudicio interim silente, & inventoris fidem, & operis formam examini subjicere .

114. Joannes Tamajus, ut hinc exordiamur, homo diligens & laboriosus, insignique copia librorum , quæ ad manum semper ei fuit in laudata bibliotheca Inquisitoris generalis, usus, non tamen cunctas ad scribendum attulit dotes, quę in historico,maximè sacro, desiderantur . Nam, ut prętermittam Latinę linguę ignorantiam, quę omnibus ferè versibus sese prodit , non dico elegantis & idonei sermonis, cui aliqua deberetur laus, sed recti saltem & solœcismis vacui , de quo ad quemcumque Latina etiam balbutientē verba provocare possim, totum se dedit in ulnas confictorum nuper auctorum in officina Toletana, qui omnes ei paginas,& omnia illustrissimarū aliàs lucubrationum spatia nugis & fabulis intolerandis & enormibus implevere; adeò ut absque his vastum opus mole, senoque volumine turgens, majori ex parte, ad justamque decrevisset formam.

115. Sed & quo adhuc magis premitur viri existimatio , quamplura ipse conditurę suę, & aliorum recentiorum pro veteribus, antiquitatisque sigillo notatis monumentis venditavit ; qualia sunt ferè omnia epigrammata illa Juliani Toletani , Cypriani Cordubensis,& anonymorum aliorum titulis inscripta , ac per totum opus , ubi tamen fictiones Dextri & contubernalium aliis fictionibus corroborari expediens visum , non in veris & certis confirmandis(quod mirè arguit stupidam hominis securitatem) sparsa . Accedunt his breviariorum, & legendariorum,ut appellant, veterum exhibitio frequens, non in claris, & quę sua verę historię luce splendent ; sed in difficillimis & apocryphis , seu veriùs falsis , quę, nisi falsis etiam fulcirentur substructionibus, *perlucente jam* (quod Juvenalis ait) *ruina* citò casura erant . De Joanne Tamajo id breviter,ne partem hanc omitteremus litandi vero , & quod commissum fuit in Auli Hali libello facinus, hoc præjudicio faciliùs persuadendi .

116. Nil nos videmus in toto opere quod quicquam antiquum sapiat ; immo Joannis Tamaji stylum atque morem ineptè sentiendi & rusticè loquendi non redoleat; si tamen dempseris Hispani cujusdam clarissimi anterioris sęculi poëtę consarcinata his fragmenta, quæ vel cæcutientium & lipporum oculis assutæ vilissimo panno purpuræ instar ingerunt . Hic,de quo loquimur, Alvarus Gomezius *de ciudad Real* est , Guadalaxarensis eques, qui vena uberi & amœna versibus Latinis & vulgaribus, maximè sacris, pangendis laudabiliter vitam procudit . Nimirum Paulli epistolas sub nomine *Musę Paullinę*,& Salomonis Proverbia,& psalmos septem pœnitentiales nuncupatos, aliaque; item Christi Redemptoris triumphum , *Tali-Christiam* inscriptum,animi & elegantię pleno carmine ante sesqui-sęculum edidit.

117. Hujus postremi operis semel tantùm anno MDXXII. Complutensi pręlo subjecti exemplum, quòd raro jam inveniretur , fereque ignotus esset auctor, planè visus Pseudo-Halo est ditissimus thesaurus , quo augmentum facere rei domesticę ; cœptumque , aut conceptum jam *De adventu S.Jacobi Apostoli in Hispaniam* libellum, aliquot paginis augere posset . Ridicula hominis confidentia , cum hominibus agere quasi cum fungis aut stipitibus, persuaderique furtum sic manifestum è typis edito non ita pridem libro , cujus exstare multa exempla necesse erat,latere posse, omniumque eruditorum hominum , qui bibliothecarum & bibliopoliorum nullum non angulum in dies excutiunt, oculos fugere !

118. Paginâ 16. symbolum fidei , quod Jacobus Apostolus Hispanis populis prædicabat , duodequadraginta versibus contentum, illud ipsum est quod in *Tali-Christiæ* legimus libro 23.fol.185. [u] Incipitque: u p. 91.

Vult quicumque bonis securum vivere cœlis
Lucis opes , niveasque domos , camposque serenos
Sortiri, & mensis æternum vescier almis ,
Ardua vota nimis, quæ nonnisi viribus altis
Fas implere, fidem decet omni mente beantem
Catholicam veri teneat super omnia Christi
&c.

Usque ad illa de trina Deitate [x] . x p. 128.

Quam non personæ discindunt gloria ternæ .

119. Pag.23. alloquitur Jacobus beatam Virginem tanquam præsentem , refertque mœstus se parum in sua Euangelica expeditione Hispanica , quam ejus susceperat nutu, profecisse : ineptissimis porrò sensibus , qui sanctæ Dei genitrici adhuc in vivis agenti applicari minimè possunt .

[y] *Eja parens Domini , quæ & virgo & nupta, superni* y p. 318.
Quæ Regina chori, quæ lætis præsides arvis,
Quæ occiduas migrare ripas me compulis, eja
Di-

Dives opima, tuos sequutus ordine nutus
Hispanias lustro.

Quisnam autem huc deveniens conciperet animo, importunissimam succedere posse totius Hispaniæ descriptionem Jacobi verbis factam, alloquentis adhuc Christi matrem; quæ quidem descriptio totius libelli plusquam dimidium occupat, eamque ex eadem *Tali-Christia* clepere ausurum auctorem? Planè ita est, atque futura ipsa indicat ejusdem oscitantiam, qui tam diversis in unum coagmentandis ne quidem grammaticas advocare regulas novit. Nulla enim est, quæ jam notatis versibus, atque hemistichio isti:

Hispanias lustro,

adaptare valeat quæ sequuntur, & jam subjicimus:

a v.167. [a] —— *Quorum pede Calpes ad alta*
Locobrutini primus fastigia colli
Flectitur: hoc amplo quę est pressa Hispania gyro
Ulterior, quę animosa, ferax, mox fine resurgit
Vrgintaniaco, juga quæ protenditur usque
Citerior Pyrnæa, &c.

Adaptatur certè his quæ in *Tali-Christia* præcesserunt, relativum illud masculi generis. Integer enim hic est versus:

Quatuor inque sinus, quorum pede Calpes ad alta &c.

120. Gomeziana hæc Hispaniæ descriptio Halonianis assuta non minùs centum sexaginta tribus versibus constat; cùm operis reliquum (demptis his, & aliis ab eadem *Tali-Christia* transcriptis versibus) ducentos, quos asserere sibi centonis auctor possit, vix contineat. Cui quidem fidelis exscriptoris laudem utique tribueremus, nisi nimio is erga patriam affectu in transversa ductus, *Ilipæ* nomine, atque unius versus augmento alienæ operæ superstruxisset; hoc scilicet:

a v.157. [a] *Ilipa, quæ minor isti nunc contiguior urbi.*

Ilipam Tamajus, in Bæturia oppidum, *Zalamea* esse, unde is erat oriundus, credidit; falsus & hic malè transcripto lapide, qui ibi in Ecclesia cippus est, cui concha lustralis aquæ innititur, cui quidem apertissimè inscriptum legitur: MUNICIPIUM JULIPENSE, non ILIPENSE, de quo, ne aliis fidem haberemus, proprios oculos ac mentem attentam, nec unum aut alterum ex oppidanis testes vocavimus, illac ab Hispali anno DCLI. Matritum transeuntes.

121. Versus hic in *Tali-Christia* deest, insertusque fuit aliis Gomezianis, ut consignaret auctor huic libello aliquam patriæ, quæ desiderabatur, mentionem, judicio suo perennaturam. Ast secus contigit: vestigium enim luculentum vel in eo reliquit mentis male-sanæ, ac, veráne aut falsa diceret, propriósve quorumcumque labores auctoribus suis adjudicaret, an furto aliis supponeret, tantundem habentis. Animadversione dignum est etiam, quò magis se falsator proderet, inadvertenter eum reliquisse Hispalensis urbis quandam memoriam à Ferdinando Rege III. sancto in ea urbe relictam, cujus utique Halus eo antiquior, ac multò minùs Jacobi Apostoli verbis præteritum referentibus, non verò futurum prædicentibus, neutiquam potuit. Alvarus autem Gomezius, tribus sæculis posterior, potuit quidem mentionem habere. Gomezius ait de quatuor Bæticæ conventibus juridicis quos Plinius descripsit [b]. b Lib.1.cap. 3.

. . . .

Pro quibus hos Hali formator:

Quatuor hęcq; tenet conventus, Gadibus unus, c v. 185.
Ast alius toti fundavit [c] *nomina genti.*

Hispalensem conventum intelligit: nam ab Hispali mutuâsse nomen suum universam Hispaniam quorundam fuit sententia.

122. Sequitur:

Quo titulum magni præscriptum marmore Regis
Cæsar habet, nunc Hispalis.

In *Tali-Christia* deest Hispalis nomen, quæ tantùm indicatur, non disertè appellatur, ut vidimus. Hujus namque urbis illa nota est, quòd titulum Cęsaris adhuc servet in lapide à magno Rege posito, quo significare voluit auctor sanctum Castellæ Regem Ferdinandum, cujus auspiciis isthoc marmori sculptum legitur, supra Xereziensem (ut vocant) urbis portam, vulgaris linguæ carmen:

Hercules me edificò,
Julio Cesar me cercò
De muros y torres altas,
El Rey santo me ganò
Con Garzi-Perez de Vargas.

Et tamen commisit Pseudo-Halus, ut Jacobum Apostolum, qui duodecim sæculis, aut veterem (si quis fuit) Halum, qui ferè uno sęculo Regem præcessit sanctum, de eo jam loquentes, ac monumentum gestorum ejus laudantes, in ludum introduceret.

123. Conservavit idem transcriptor errores editionis *Tali-Christię*, quò magis furtum constaret [d]:

————*quam Betis circiter actis.*
Cursibus, ingrato brava haud dat robora ponto.

d De Ana fluvio abscondente passim sese agro Laminitano v. 336 *Modò se in præclusa referebat Hasta.* Sic in utraque pro *Ostia* editum fuit.

Ita excusum fuit contra mentem auctoris in opere isto, qui *parva*, non *brava* scripserat: & tamen huc veniens talpa fuit aut stertit Pseudo-Halus, qui parùm advertit vigilantibus & oculatis tantùm succedere, ut alios ludificare possint.

124. Simili errore fœda est editio *Tali-Christię* in his versibus:

Hic Nebrissa manet, Bętisq; est inter & æstus
Veneria & Colobona simul; quę hic regia signo
Asta alio, verè hasta, suos quę territat hostes.

Quem errorem in hybride hoc libello religiosè conservatum fuisse, oscitantia eadem auctoris fecit; qui distinguere & interpungere ita debuit:

Veneria & Colobana; simulque hic regia signo
Asta alio &c.

125. Mutavit & ex originali *Tali-Christię* textu quędam exscriptor, quæ mutari prosodiæ lex minimè permittit, in quibus poëticâ licentiâ decurtandi propria nomina usus fuit Gomezius, quale est hic versus [e]: e v.306.

Ensis adest, sonituq; tumens Pampilonia magno.

cùm lex metri postulet *Papilonia*, & ita editum sit in *Tali-Christia*.

126. Conſequuntur geographicam Hiſpaniæ deſcriptionem apud Gomezium in iſto opere cæterarum Europæ provinciarum aliæ ſimiles ab illis verbis:

Multa manent dictanda notis &c.

quæ, cùm minùs eſſent ad Pſeudo-Hali propoſitum, intacta relicta ſunt, & pro eis ſubrogata alia ineptiſſimam digreſſionem ſuam abſolventis Apoſtoli ruſtica & inficeta, ac ne quidem ſibi conſtantia, hæcce carmina:

En mater intacta hæc tuo ſacro nomine viſi
Oppida: nec labor improbus hiccine valet
Vincere ferocis tam ſubito pectora gentis?
Te ſatis ergo quidem cupiebam cernere. Quis te
Cerneret? O magnã! Non ſunt mihi pectora, quę ſe
Te capiant. Mihi ſat erit omnia volvere, quæ ſis.

Indigna prorſus quovis, vel qui primis labris poëſin guſtaverit, ac digna tantùm *Martyrologii Hiſpani* auctore.

127. Quid quòd ſtatim apparentis Jacobo Deiparæ placidiſſimæ Virginis miraculum eâ horroris & fragoris prævenit pompâ, qualem Chriſti judicis in majeſtate & judicio venturi, aut, ſi Deo placet, in conſpectum ſe dantis furioſi dęmonis apparatum magis decuiſſe, nemo refragabitur.

Vix ea fatus erat, cùm ſplendida ſubitò nubes
Cælicolûm totos loci penetravit amœnos
Sacrati latices: furibundo in tempore cœlum
Contremens ſubitas nubilavit murmure luces.
Obſtupuit divus: quid multa? fumigat orbis,
Montis vicini flammis cacumina prorſus
Igneſcunt: ipſas glomeravit gurgite flumen
Undas ferventes, concoquens littora fulmen
Cæſaris-auguſtæ (quo tot prodigia certant)
Ad ſonitum tanti fragoris mœnia tremunt.
Quid ultrò? titubavit totus ſtelliger axis,
Pulverulenta reddens tunc omnia concava cœli.
Tempora temporibus dant ſidera. Protinus omne
Quod penè corruerat, ſimul in jam corpore pulchro
Vertitur, has tetras virgo relegavit & umbras.

In quibus omnibus nec mica ſalis, ullúſve, aut congruo ſenſui, aut Latinis, aut poëticis legibus conſtat periodus. Atqui in hiſtoriola (qualis ea ſit, aut cujus fidei, nunc non quęrimus) hujus miraculi, omnia rident & allubeſcunt, placata omnia ſunt & affluentia ſuavitate [f]. *In hora ipſius mediæ noctis audivit B. Apoſtolus voces angelorum cantantium:* Ave Maria gratiâ plena, *quaſi ſuavi invitatorio matutinale Virginis officium inchoando, qui ſtatim flectens genua ſua vidit Virginem matrem Chriſti inter duos choros millium angelorum* &c. Furor ergo, non divinus poëtarum, ſed ægrorum atque inſanientium, Julipenſem arripuit Halum, ut ſic deliraret.

f Exſtat hæc *Hiſtoria* in Notis Tamaji ad hunc locum

128. Sequitur S. Jacobi oratio ad pręſentem ſibi ſactam columna ſuper Cæſar-auguſtana Deiparam:

Heus tu virgo parens, virgo pulcherrima, quę tu.

Cui verſui ſex alios ex eodem *Tali-Chriſtiæ* opere ſimili dolo cleptos, quamque potis eſt ineptiſſimè aſſutos, ac peſſimè cohærentes, ſubjecit. Ecce illos:

g V. 169.

[g] *Qualiter & Libano cedri exaltantur in alto,*
Atque in palma Cades, viridiſque in monte cupreſſus;
Tantum læta tuos extendis vertice ramos.
Tu terebyntus ades, placidi tu montis oliva,
Tu platanus aquis, tu myrrha & balſama; tuq;
In Hiericontino roſarum ſemina campo,
Tu vitis.

Hæc ex oratione apud Gomezium lib. 7. laudati operis [h], unius ex magis Chriſti Dei genitricem ſalutantis verba, redolentia quidem ſuum artificem. Cujus & ſunt, aliunde tamen carpti [i], apes ut imitaretur variis inſidentes floribus Halus, tria quæ ſequuntur carmina, cum initio quarti, ex ore Eliſabethæ Mariam hoſpitem ſalutantis deſumpta, & ultimò dictis peſſimè aſſuta, nec fideliter tranſlata:

h Pag 57.

i Ex lib. 6. *Tali-Chriſtiæ* fol. 41.

Tu vitis. Mihi quò tanta eſt gloria, mater,
Ut Domini miſerum dignetur viſere ſervum?
Fortunata domus! tecta hęc felicia, quæ te
Excipiunt!

Peſſimè, inquam, aſſuta: cùm primus verſus jam non conſtet, qui priùs apud Gomezium conſtabat integer, ita nimirum:

Sic ait. Unde mihi tanta hęc eſt gloria, mater,
Ut Domini &c.

Addidi, nec fideliter tranſlata. Abſurda enim ſunt illa:

Mihi quò tanta eſt gloria?

germanis & Latinis ſubrogata.

129. Quæ hunc leguntur ſolœcis jam lanę ſunt:

——— Hiſpania felix hęc tua, te te
Quę capit unica, vivam per miracula tanta
Intueri mecum. Sed & ego, lux mea, felix
Æternumque ero.

Sæpiuſque peccant in proſodiæ legibus: quæ quidem non veteri, ſed recentiſſimo ac perſonato Halo tribuenda ſunt, utpote quę inventis Pſeudo-Dextri paſſim velificentur; qualia ſunt, Lætum & Vincentium *Libiſocæ*, Aquilam & Priſcillam *Arſæ*, fuiſſe martyres, S. Jacobum Gallias & Britannias luſtrâſſe, aliaque.

130. Sed manum jam è tabula, ut moneamus Halonem quendam fuiſſe hujus temporis, quod luſtramus nunc, poëtam (cujus aliqua ſuperfuere ad noſtram uſque ætatem epigrammata) eundem cum eo, quem *Alphonſi grammatici* nomine compellatum, Prudentius Sandovalius [k] auctorem laudat epitaphii pro ſepultura Conſtantiæ Reginæ Alphonſi VI. uxoris.

k In *Hiſt. Alphonſi VI.* pag. 105.

Francia me genuit.

quod jam producemus integrum, eundemq; ut ſuſpicari poſſumus, cum Alone Aſturicenſi Epiſcopo, cujus *Compoſtellanæ* ſuprà laudatæ *hiſtoriæ* auctores meminere, cujuſque, annis hujus ſæculi XXIII. ac XXIV. non uni aut alteri piarum largitionum inſtrumento ſubſcriptum nomen legitur [l].

l Sandoval *Hiſtoria de D. Alonſo VII.* fol. 114 Franciſcus Bivar in addit. Braulionis ad Maximi Chronicon pag. 65. Ægidius Gonzalez in *Theatro Aſturic. Eccleſ.* Colmenares *Hiſt. de Segovia* cap. 14. §. 15. Marchio Acropolitanus ſtatim citandus.

Epigrammata Halonis grammatici hæc leguntur in MS. codice, qui fuit Petri Ruïzii de Azagra, cujus codicis ipſe Azagra meminit in Notis brevibus ad *Corippum Africanum* à ſe editum, quemque Joannes Baptiſta Perezius repoſuit in Toletanę Eccleſiæ bibliotheca [m]. quem tamen Hieronymus Romanus de la Higuera in MS. *Hiſt. Toletanæ urbis* lib. 16. cap. 12. non *Halonem*, ſed *Rollonem* appellare conſuevit, antequam Pſeudo-Juliano incumberet, ejuſque de Halonis rebus

m Marchio Acropolitanus in libro *Diſcurſo por el Patronato de S. Frutos* §. 15.

bus testimonio fabricandis, quó de statim erit referendi occasio.

131. Epitaphium [n] HALONIS grammatici in sepulchro Constantiæ Reginæ [o].

Si generis formæque decus, si gloria mundi
Non benè fida darent, ne [p] memoretur homo,
Regum sanguis ego Constantia, Regis & uxor,
His ornata satis, credito, viva forem.
At neque dant aliis, mihi nec potuere dedisse,
Quin genus humanum sorte pari sequerer.
Ergo precor, quicumque vides epitaphia nostra,
In me ne quęras nobilitatis opes.
Sed prece dulciloqua pius exorare memento,
Quò mihi culparum det veniam dominus.

n Asservamus hanc epigrammatum τετράδα inter schedas nostras, ex codice Toletano. Quibus, quandoquidem ita res postulat, variantes in apographo nostro lectiones, in margine adjiciemus. CARDINALIS DE AGUIRRE.
o Alphonsi VI. uxoris.
p *Ne memoretur.* in cod. Tol.

132. Item aliud [q] in mortem ejusdem.

Si pretium pro morte dari novus ordo petisset,
Et Deus omnipotens, qui cuncta jubet, voluisset,
Non Regum soboles Constantia morte perissem,
Omnia nam mundi pro me pretiosa dedissem.
Nunc ergo, quia non potuit sors hæc generalis
Non venisse mihi, supplex peto, quò specialis
Cordis in altare nostra [r] commemoratio [s] dignè
Fiat, ut inferni penitùs non tangar ab igne:
Ac procul effugiam, ne dirę torsio pœnæ
Stringere me possit; sed visio pacis amœnę
In me splendescens concedat gaudia cœli,
Atque frui vitam secum per sęcula sęcli.

q Fortè ejusdem Halonis, quamquam non ejusdem fili.
r *Mea* Cod. Tol. rectè.
s *F. memoria*, pro *commemoratio*.

133. Aliud in ejusdem sepulchro.

Francia me genuit, Adephonsus Rex sibi duxit,
Gloria magna mihi, multaque pompa fuit.
Fortè rogas nomen? Constantia noveris esse,
Quod docet hic tumulus, & notat hic titulus.
Felix valdè forem, nisi me cita mors rapuisset:
Nam Regina fui vivere dum potui.
Sex liberos genui, mox quatuor hic sepelivi,
Ipsa sequor statim, claustraque jam tumuli
Contineo: sed vivo Deo, cui supplice voto
Ut suplices rogito, idque rogans repeto.

134. Aliud in ejusdem sepulchro

Dormit in angusto [s] post gaudia vana sepulchro
Uxor Adephonsi, Constantia nomine, Regis,
Regalis proles, Francorum germine florens,
Consilii pollens: fuit huic sapientia sollers,
Constans, facunda, viguit benè relligiosa
Omnibus & grata [t] . . . .
Sex liberos genuit, generatos hic sepelivit
Quatuor; hos nempe quos [u] conspicis ipse jacere.
[x] . . . . . *gravidos moriendo clausit ocellos.*
[y] *Ac sepelitur* . . . .

Quatuor ista in Asturicensis codicis dicti Azagræ priore pagina, quæ vacua erat, epitaphia seu carmina scripsit possessor libri, quem Morales vidit, Hispanis characteribus, sed valdè antiquis, & ante quadringentos annos exaratis, ducta, referens.

s *Augusto* Cod. Tolet.
t *Omnibus & grato vultu fuit & venerando* Cod. Tolet.
u *Aspicis* Cod. Tolet.
x *Mater & hęc gravidos* &c. Cod. Tolet.
y *At sepelit hoc, sibi quod parat ipsa, sepulchro* Cod. Tolet.

135. Epitaphium verò Bernardi Toletani Episcopi, quod habere se in manuscripto suo libro Gotthicis penè literis exarato Joannes Tamajus jactabat [z], non ullius Hali, aut Halonis, sed ipsius Tamaji est; nec ovo magis ovum, quàm hocce aliis ejus carminibus, simile. Quod idem censeas, lector veri amans, de illis aliis, quæ per totum Martyrologii Hispani opus carmina, epitaphia, epigrammata, quoquomodo vocari placuit, sparguntur.

z In Notis pag. 5.

136. Sed cur Joannem Tamajum auctorem fuisse operis *De S. Jacobi adventu* verisimilius judicavimus, quod Julianus Petri S. Justæ Toletanæ archipresbyter in Chronico suo Aulo Halo attribuit? Promptum, dices, responsum est. Julianus & ipse hujus sæculi inventum, & fabulosus auctor est. Sed instas. Aut inventus fictusque ab eodem Tamajo, aut ab alio antea. Prius non dices, cùm jam olim ante Tamaji ętatem notum esset Juliani Chronicon. Si posterius, quonam potuit modo à Tamajo fingi, quod pridem in notitia erat Juliani, sive ejus qui Juliani opera credulis intrusit? Audi sis hunc Pseudo-historicum [a]: *Vivebat hoc tempore jam ætate decrepitus Aulus Halo, poëta Burdigalensis, donatus civitate Toleti ab Imperatore Adephonso VI. quem dicunt venisse ex Gallia cum D. Regina Constantia, filia Regis Gallorum Henrici, sorore Regis Philippi, cui munificus Imperator dederat villulam Arabicè dictam* Manalhabiam, *ab aliis etiam vocatam* villam Halonis poëtæ. *Semper enim hic poëta celebris fuit. Scripsit enim elegantissimo carmine adventum S. Jacobi Zebedęi filii ad Hispanias, fundationem ab eodem factam B. Mariæ Cęsar-augustanę de Pilari, idque uno libro versibus heroïcis. Vitam S. Elpidii, Juliani, Saturnini &c. Blasii, Servi-dei, & aliorum, ad Paschalem usque Toletanum Pontificem elegantissimis versibus. Coronationem Ildephonsi Raymundi filii, epitaphia multa, quæ dedicavit D. Bernardo Archiepiscopo Toletano, & jam grandęvus cecinit in pręsentia multorum Pontificum, abbatum, & palatinorum eleganter panegyricum carmen, Sidonium Apollinarem imitatus, in laudem ejusdem Imperatoris. Obiit hoc anno Kal. Februarii, jacetque in sacello Ecclesiæ majoris, quod est S. Margaritæ, cui ego tale composui cœnotaphium:*

a In Chron. num. 613. ad ann. MCXXXII

Dulce poëtarum lumen, Gallęque & Iberę
Gentis honos, numeris nobilitatus, Halo,
Patria Burdigali est vati: Constantia princeps
Attulit hunc secum Gallica regna sinens.
Ingenio felix, florens ętate poëta,
Ejus honestati Musa Latina favet.
Cui nil turpe placet, cui displicuere profana
Omnia, Toleti Pontificesque canit.
Atque, Jacobe, tuos adventus ad juga nostra,
Pilaris templum carmine concelebrat.
Hic fit Toleti civis, moriturque senectâ
Extremâ: cunctis civibus in pretio est.
Vita decens, mores placidi, sine felle venustas,
Vir pius hoc tumulo conditur Aulus Halo.

137. Hęc omnia Pseudo-Julianus, ut Halonis poëtæ memoriam in aliquot, uti monuimus, epigrammatis conservatam, oblatâ hìc aliorum ejus operum notitiâ illustriorem redderet: quod vanus iste passim conatus fuit. Quod ejus testimonium dignâ censurâ notatum dimisit in libello seu *Discursu historico patronatûs S. Fructi*, sive Fructuosi, *in Ecclesia Segobiensi*, vir in paucis eruditus & amicus noster

ſter D. Gaſpar Ivañez de Segobia Marchio Acropolitanus, jam hodie Mondexarenſis, ex Hiſpaniæ magnatibus. Neque ideo exiſtimare debemus, quicquam horum ab inventore, unà cum Juliani Chronico, unde ſuperior eſt de Alone concepta fabula, confictum, & ex idealibus latebris in lucem productum. Plura enim hujuſmodi, quæ nec formare cogitabat, ubique jactat ſe vidiſſe; ut ad conſcribenda ea, quæ vix fidem inventura prævideret, veterum quamplurimis & exquiſitis monumentis inſtructum veniſſe faciliùs perſuaderet.

138. Et planè deperditum fuiſſe Alonis librum *De S. Jacobi adventu* in Hiſpanias, ab eoque fundata Cęſar-auguſtana Deiparę Virgini ſacra ęde, poſt Juliani Chronicon editum Franciſcus Bivarius conqueritur [b]. Quare non ullum hinc naſcitur pro Tamaji bona fide argumentum. Potuit enim is nugacibus hiſce adinventionibus addictus, uti Toletanus Higuera Dextri Chronicon loco deperditi, atque olim à S. Hieronymo laudati, dolo malo ſuppoſuiſſe creditur, ita libellum Alonis à Pſeudo-Juliano, ut præſtigiis luderet, dumtaxat appellatum, ad eam reducere, quam prę ſe hodie fert, figuram vitæ ſenium affectantis. Sed nec omittemus lectorem monere, ut animadvertat libelli hujus carmina, barbara fermè, nulliuſque vigoris aut animi, elegantiſſima vocari vix potuiſſe ab eo, qui tam idoneè in laudem Alonis verſificatus eſt, ſive is fuerit, quod jactant, antiquus aliquis, ſive, quod re vera eſt, recentior Higuera; cujus quidem alii paſſim exſtant hujus commatis verſus. Hęc interim nos, dum codex ille antiquus è tenebris aliquando caput denuò extollens aliter nos exiſtimare cogat.

[b] Commentario ad Braulionis & Helecæ appendices ad Maximi Chronicon pag. 156.

CAPUT VIII.

JULIANI PETRI *S. Juſtę Toletanę archipresbyteri opera curiosè atque diſtinctè examinantur toto hoc libro, carboneque, uti falſa & commentitia, notantur. Eorum inventor Hieronymus Romanus de la Higuera Jeſuita Toletanus, cujus hiſtoriæ Toletanæ* MS. *quędam producuntur ad rem teſtimonia. Julianiſne aliquis Petri hoc tempore Toleti vixerit? Julianus Petri* Alvazil *non huc pertinet. De hujus muneris* Alvazil, *ſeu* Alguazil, *Arabico nomine. An quidam Conciliorum codicis ſcriptor qui habitavit in Alcalaga. Ignoratio Higueræ de Petro de Riga* Auroræ *auctore. Fruſtra adduci pro Juliani fide teſtimonia ex ſcripturis bibliothecæ Toletanę Eccleſiæ, quibus adaptatum Julianum ſuum finxit Higuera, cujus & in hac conformatione notantur errores. Quidnam ipſe de ſe narret Pſeudo-Julianus. Plura hic contradictoriè & inadvertenter ab eo jactata. Quęnam opera ſibi arroget. Inventum ejuſdem de Eutropio hiſtorico Chriſtiano, à ſe è Gręca lingua converſo, & de S. Pauli Apoſtoli epiſtola ad Hebræos Hiſpanos, & aliis.*

139. NUSQUAM aliàs viſus auditúſve, primùm hoc prodiit ſeculo in theatrum hiſtoricum, in quo veros tantùm rerum eventus, aut qui ſaltem exiſtimantur tales, pronunciari fas & ęquum eſt, ſub perſona veteris cujuſdam latens, JULIANUS PETRI, ut vocat ſe, archipresbyter S. Juſtæ Toletanæ urbis. Nempe ejus Chronicon, atq; item Adverſaria, necnon & *De eremitoriis Hiſpanis* brevem deſcriptionem, atque *Variorum carminum* ab eo factam *collectionem*, uno volumine, tanquam ex bibliotheca Comitis Olivarienſis habita, Laurentius Ramirezius à Prato ſenator regius eruditiſſimus, ſed qui hærere ſalebris his amabat, foras emitti anno MDCXXVIII. Lutetiæ Pariſiorum curavit.

140. Sed quoniam magnum ad fidem examinandam rei momentum affert, inventoris hujuſce vulgò nuper exiſtimati ditiſſimi antiquarum rerum Hiſpanarum theſauri, cognitio, Hieronymus ille ipſe Romanus Higuera eſt, Jeſuitarum ſodalis non vulgaris literaturæ, miræ tamen audaciæ ac ſecuritatis homo, in iis quæ nigra ſunt in alba mutandis, veriſque ac falſis, dum in gentis noſtræ honorem tendere viderentur, ęquè habendis. Ille inquam Hieronymus Higuera, quem Dextri & Maximi, cum Braulionis & Helecæ appendicibus, necnon & Luitprandi Ticinenſis Chronica, è Germania, & codice, qui olim fuit bibliothecæ Fuldenſis, curâ Thomę à Torr-alba ejuſdem Societatis, accepiſſe, jam ſępiùs, ubi exigebat res, prodidimus.

141. Quod ad Julianum attinet, è bibliotheca Olivarienſi, ut meminiſti, opera hęc ejus habuit Ramirezius, ut ipſe ait in libri veſtibulo, atque iterum in epiſtola ad eundem Comitem Olivarum nuncupatoria. Exemplum autem hoc ibi poſuiſſe D. Petrum de Sandoval & Roxas Moræ Comitem ab alio D. Franciſci fratris ejus germani deſcriptum, apud quem id ſe olim vidiſſe Franciſcus Bivarius alicubi reliquit annotatum [c], conſtat liquidò nobis ex confeſſione ejuſdem D. Petri Comitis, dum Laurentio Cocco viro docto, atque hujuſmodi rerum curioſo indagatori, in curia noſtra degenti, deque hac re per epiſtolam eum interroganti, ad oram, uti rogatus fuerat, ſecunda Decembris anni MDCXLV. reſponderet.

142. Habeo penes me autographas literas cum chartacea Cocci ſupellectile olim coëmptas. Verba ejus vernacula in margine legi poſſunt [d], unde certiſſimam rei mutuamus fidem. Quod ex parte confirmat Ramirezius editor in laudata nuncupatoria epiſtola, referens Hieronymum hunc Higueram Juliani operum quoddam habuiſſe exemplum. Nam quod item ait, exſtitiſſe aliud apud clariſſimum virum Tarraconenſem antiſtitem D. Antonium Auguſtinum, quod ad eum miſerat abbas Abis ex ipſius Juliani autographo, quod ea tempeſtate Ticini in Italia aſſervabatur exſcriptum, ſine ullo auctore, parumque veroſimiliter ait; cùm tantus hic theſaurus vix potuerit non alicubi ab eruditiſſimo poſſeſſore jactari ac prædicari; exſtetque bibliothecæ ejus librorum MSS. index, nullaque in eo Juliani hujus aut operum ejus mentio. Et quiſnam ille abbas eſt *Abis*, Antonii Augu-

[c] In comm. 3. ad annum Chriſti xxxiv. Dextri Chron. pag. 31.

[d] *Reſpondiendo à lo que ſe me pregunto, digo, que el Padre Geronimo Roman de la Higuera ſaſe de ſus los treſtaron de Julian Perez Arcipreſte de S. Juſta, y de Luitprando y ſus Adverſarios. Conſtame por havermelo dicho el Padre Franciſco Portocarrero de la Compañia de Jeſus que dexo traſladar el Chronico de Julian Perez à D. Franciſco de Roxas, ſegundo Conde de Mora mi hermano, que eſte Julian Perez lo havia havido el Padre Higuera de la libreria de Fulda, y que era el primero, que en eſtos Reynos andava. Y yo ſaquè una copia del que me dexò mi hermano, y ſe la di al Conde Duque de Olivares y de eſta le traſladò D. Lorenzo Ramirez del Conſejo Real, y de Indias, y le imprimiò.*

Augustini æqualis, qui Scytham, aut Ægyptium magis, quàm Italum hominem præseferre videtur?

143. Hanc certè Juliani primam inventionem in *Toletana historia* MSS. sæpè sibi arrogat laudatus Higuera; sed tamen his verbis arrogat, quæ potiùs brevem aliquem Toletanorum Episcoporum catalogum, quàm id opus, quod Chronicon hodie audit, vereque universalem Hispaniæ tam sacram quàm profanam historiam continet, significare apta sint [d]. Idem in prologo ad Luitprandi Chronicon Julianum subdiaconum Toletanum testem advocat [e] ex libro *De ordine Archiepiscoporum* his laudatis verbis, quæ in Chronico [f] ferè eadem leguntur. Neque abnuendum est quin aliquam in prædicta historia Toletana Julianæi Chronici mentionem habuerit. Locum indidem expromam, quasi fatalem omnium istorum, quæ ab Higueræ manu post aliquantulum temporis prodierunt Chronicorum sustaminandæ auctoritati; nec minus partium aut sectionum eorum aliquali substruendæ fidei; quæ turbatis primæ inventionis vestigiis, & confusis jam cum mendacio, si quæ fuerunt, veris, omnia in eandem conditionem suspicionis & incertitudinis pervenere. Ait ille lib. 18. cap. 5. utrâque linguâ à nobis repræsentatus.

144. *Plura in capite isto contenta, deducta fuere ex antiquis schedis regii monasterii S. Facundi, ... de his quæ in libro veteri membranaceo exstabant, qui olim fuit in bibliotheca monasterii S. Mariæ de la Sisla extra muros hujus Toletanæ urbis, manu exaratus in membranaceis, in quo erant* Dextri, Maximi, Luitprandi, & Juliani *Chronicorum fragmenta, resque aliæ hujus urbis notatu valdè dignæ, qui liber venditus fuit ejusdem urbis bibliopolæ cuidam unà cum aliis pariter manuscriptis. Hunc viginti duorum scutorum pretio doctor Joannes à Vergara redemit. Quem in prædicta bibliotheca nos vidimus, atque nonnulla ex eo scitu dignissima annotavimus. Venditi quoque ibi sunt manuscripti aliis libri, quos justum fuisset conservari; attamen deperditi jam sunt, aut disjecti eorum inter manus, qui eos minimè cognoscebant, cum ingenti bonarum literarum detrimento, de quo lamentabamur non ita pridem nos cum gravi quodam ac sene monacho illius domus, qui stragi præsens fuit.*

Muchas cosas de las que van en este capitulo estan sacadas de memoriales antiguos del real monasterio de Sahagun, y de las que se sacaron de un libro viejo de pergamino, que solia tener la libreria del monasterio de Santa Maria de la Sisla extra muros desta ciudad, escrito de mano, en pergamino, donde estavan los fragmentos de Dextro, Maximo, Luitprando, *y* Juliano, *y cosas desta ciudad bien notables, que se vendio à cierto librero desta ciudad con otros libros de mano, y el doctor Juan de Vergara dio por el veinte y dos escudos. Yo le vi en la dicha libreria, y de alli saquè algunas cosas bien dignas de saber. Vendieronse entonces alli unos otros libros de mano, que fuera justo se conserváran, que ya se han perdido ò deshecho, viniendo à manos de quien no los conocia, con notable daño de las buenas letras; segun yo lo llorava el otro dia con un grave y anciano padre de aquella casa, que se hallò presente al destrozo.*

145. Habes fragmentorum Chronici de quo agimus, Juliani mentionem expressissimam, sed planè deperditi, si demas tamen nonnulla ea notatu digna, si quæ sunt, ab Higuera ex iisdem fragmentis hujusce Chronici desumpta, quod specialiter non utique docet. Atque hoc testimonium eò magis evertit fabulam remissi ad Higueram è Germania & Fuldensi bibliotheca Julianæi Chronici, quòd è libro historiæ jam laudatæ 18. transcriptum sit, cùm jam in 14. libri cap. 16. idem admonuisset auctor ante annos aliquot ex antea dicta Fuldensi bibliotheca se accepisse *fragmenta quædam* (nempe Chronicorum Dextri & Maximi, quorum nuper meminerat) *nonnullasque successiones, & catalogos successionum* (quæ verba ejus sunt) *Hispaniæ Episcoporum*. Tam à vero longè est è Germania venisse integrum, quod possidemus, Juliani Chronicon. Sed tantùm (ut idem refert Higuera) catalogum Episcoporum Toletanorum, quo frequenter in eadem historia utitur.

146. Quod gratis quidem ei damus, causam istam ampliantes, quæ & ipsa, & catalogi veritas gravi quodam vulnere debilitata sunt ab eodem Higuera his verbis inflicto, quæ depromsimus ex toties adductæ historiæ lib. 16. cap. 1. a *Julianus archidiaconus, inde archipresbyter Toletanæ Ecclesiæ, ait se inter opera sua reliquisse librum quendam genealogicum de nobilitate Mixt-arabum Toletanorum, maximè Barrosorum, Portocarrerorum, Gudieliorum, & Pantoxarum. Neque tamen liber iste, aut ullus alius ex his quos auctor hic reliquit, nunc exstant*. Qua confessione videtur ipse Higuera sibi obstruxisse viam commendandi quicquam è Juliani operibus, quæ deperdita asserit omnia. Planè verò, id in quo retulit de suis scriptis, liber est aliquis, aut fragmentum libri; quorum hujusmodi aliqua, non tam duri sumus, ut vel ex Cislensi codice, vel è Germania habere eum potuisse obstinatè negemus. Certè in Chronico, seu Chronici fine, ubi de suis scriptis Julianus docens legitur, ne verbum quidem de libro isto repe- rias genealogico. De inventione affatim; unde colligi datur ex Higueræ penu & observationibus, sive iis quæ antiquitatis sigillo munita persuadere aliis impotenter voluit, catalogum brevem Toletanorum præsulum in Chronicon plenum & ex omni parte perfectum, quo Dextri, Maximi, & Luitprandi eo antiquiorum ludionum nugis confirmandis novus testis accederet, excrevisse. Quod semel & in genere dictum partibus infrà demonstrare conabimur.

147. Quæri nunc potest, fueritne aliquis hujus

d Lib. 14. cap. 2. *Y assi en ninguno de los catalogos viejos se pone por Arzobispo* (Urbano) *sino en el de Julian*. Et cap. 13. *Y que le ponen los catalogos de los Arzobispos de Toledo, el de Juliano, el del Sagrario, y el del Señor D. Garcia de Loaisa*. Et in tractatu *De quatro linages de Toledo: de los Higueras, Romanos, Cuellos, y Peñas*, qui penes D. Josephum Pellizerium fuit MS. *Pero Julian arcipreste de S. Justa en las vidas de los Arzobispos de Toledo dize*, &c.

e Edit. Luitprandi Antuerpien. pag. 288.

f Num. 301. & 302.

g *Julian arcediano, y despues arcipreste de Toledo, dize, que entre sus obras dexo un libro de genealogias de la nobleza de los Moz-arabes de Toledo, principalmente Barrosos, Portocarreras, Gudieles, y Pantojas. Este libro, ni alguno de los que este autor dexò, se hallan*, &c.

hujus ęvi Julianus, cui memorata hęc adaptari queant? Ajunt quidem, nec ſine documentorum auctoritate. Primò producitur charta quędam donationis, ſeu legati canonicis Eccleſiæ Toletanę relicti, his verbis: *In Dei nomine, ego Alvazil Julianus Petri corporali infirmitate detentus, ſana tamen mente, & gratuita voluntate, pro remiſſione peccatorum meorum dono fratribus meis Eccleſię S. Marię de Toledo pro anniverſario meo unam vineam,* &c. Integra legi poteſt in fine *Hiſtoriæ Toletanę*, ſeu primi ejus voluminis, D. Petri de Roxas Comitis de Mora jam laudati, anno MDCLIV. Matriti editæ.

148. Quominùs verò hic admittamus agi de Juliano archipresbytero Toletano, quantumvis S. Mariæ canonicos Chriſtiano cujuſvis ſtatus aut conditionis recepto more fratres ſuos vocare potuerit; nos cogit *Alvazili* munus, quod nomini ſuo teſtator prępoſuit. Hoc enim ex Arabica lingua deſumptum, vulgareque inter Chriſtianos etiam vocabulum, urbis aut loci rectorem, ſeu gubernatorem importat: quod minimè clerico Toletano convenit. Petitis ex eodem ęvo teſtimoniis id credere oportet. In Lamecenſibus comitiis Henrici Regis Portugallię primi tempore habitis [h], ſi ficititia non ſunt, *Omnes* (legitur) *de regno Portugallię obediant Regi, & Alvazilibus locorum qui fuerint ibi per nomine Regum, & iſti judicabunt per iſtas leges juſtitię*. Latina *Regis Alphonſi VII.* ms. adhuc *hiſtoria*, hujuſmet ſęculi ita habet de Zafadola Rege Sarraceno loquens: *Quando hęc audivit, vocavit filios ſuos ex uxore, & Alguaziles, & Alcaïdes, omneſque majores ſuos*, &c. Chronicon quoddam Gotthorum ex codice ms. Andreę Reſendii ab Antonio Brandano Portugallię hiſtoriographo editum [l]. *Erâ MCXXIX. octavo Kalendas Septembris obiit Alvazil dominus Siſnandus*. Cujus Siſnandi meminit Salvatus in *Vita S. Martini presbyteri Saurienſis*, de qua ſuperiùs mentionem habuimus, eodem uſus muneris vocabulo. *Verùm enimverò* (ait) *poſt longa annorum curricula ſub Adephonſi Regis imperio præfectum ſuum Alvazid Siſnandum Aben-Mir, qui tunc temporis Colimbricenſem urbem, Montiſ-majorenſiumque municipium ſuo ſolerti pectore procreabat, reædificationem habere cœpit*. Fruſtrà ergo in legato iſto Julianum hominem ſacris addictum quęrimus. Julianum, ſive Illanum (quod idem hominis nomen eſt) Toletanæ urbis pręfectum eo inſtrumento deſignatum credunt ex noſtris quidam.

h Apud Ant. Brandanum in *Monarch. Luſitan.* tomo 3. lib 10. cap. 13.

l Eodem tomo 3. *Monarch. Luſitan.* in fin.

149. Secundò, dicitur in almę Toletanę Eccleſiæ bibliotheca librum ſervari manu exaratum Gotthicis characteribus Conciliorum Hiſpanię, cujus ſcriptor ſui notitiam huic elogio commendatam in eo reliquit;

[k] *Finit liber Canonum Concilii*
nu me ro
Sanctorum patrum, ſeu decreta præſulum
ſo li o rum
Romanorum feliciter.
Deo gratias.
hu jus
Julianus indignus presbyter
ſcripſit, is,
li bri
Cujus eſt adjuvante Deo,
habitans
C. C. C.
In Alkalaga [l], *quæ ſita eſt*
ſuper Campum
L. I.
Laudabilem [m] *F. XVII. K.* ✠.
5. Jan. TCXXXIII.

k Apud Moralem lib. 17. cap. ult. & apud Comitem de Mora in *Hiſtor. Toletan.* lib. 1. cap. 12. qui addidit quod inter lineas ſcriptum eſt de foliorũ numero.

l De Compluto, & Alcalà, & *Campolaudabili* plura habet D. Thomas Tamajus ad Luitp. Chronic. ex pag. 131

m Apud Moralem legitur *iv. fer. Kalend. Jun. erâ TCXXXIII.*

Atque ad hunc ipſum à ſe ſcriptum codicem Conciliorum reſpexiſſe ajunt Julianum in Chronici fine, ubi ait Concilia Toletana ſæpè ſe tranſcripſiſſe, ubi & admonet ſe vixiſſe *Toleti, & aliquando in Alcalà, in Campolaudabili*. In qua relicta ibi nota ſuæ habitationis, notæ illi Conciliorum libri conſona, mirè triumphant Julianeæ fabulæ propugnatores. Cùm potiùs manifeſtè appareat, ob notam libri Conciliorum priùs obſervatam, impoſuiſſe Juliano ejus artificem, ut loqueretur de ſe congruè omnino his quæ libri ſcriptor incertus ſibi adſcripſerat.

150. Tertiò, adduci poteſt pro aſſerendo hujus temporis Juliano, Alphonſi Regis VI. epiſtola ad Petrum Toletanum S. Juſtæ (uti vocat) Epiſcopum xiv. Februarii, erâ MCXX. (qui an. eſt Chriſtianus MLXXXII.) directa. Habuit hanc epiſtolam à D. Roderico Zapata canonico Cæſar-auguſtano, & in ſenatu rerum Indicarum ſub Philippo Rege II. conſiliario, Hieronymus Romanus de la Higuera, quod ipſe refert ejuſdem *Tolet. hiſtor.* lib. 16. cap. 1. ex bibliothecæ magni Antonii Auguſtini vetuſtis ſchedis exſcriptam. In ea reſpondens Alphonſus Petri epiſtolæ, quâ eum ex urbe ipſa Toleto ad continuandam ejus obſidionem hortabatur, ea de Juliano ait, quæ, Latina ipſa non adepti, dabimus ex vernaculis ab Higuera productis in Latinum tranſlata [n]. *Fac ut Julianus archidiaconus conferat ſe in hunc locum, ubi ego ſum, ſecretò & cautè. Cum eo enim mihi opus eſt nonnihil agere. Mane inveniet me quo loco Agalienſe monaſterium fuit, aut propè in Prætorienſi SS. Petri & Paulli, horâ poſt meridiem quartâ. Salve iterum, pater, & ſancte, atque ora pro me miſero peccatore*. Hunc ait Higuera eſſe Julianum à ſe quandoque laudatum, qui ſcripſit *Vitarum Toleti Archiepiſcoporum catalogum*. Sed cùm hæc non aliunde quàm ex eodem Higuera ad nos pervenerint; ſedet utique Thomæ Tamaji monitum de hominis ingenio, quod, ne toties repetamus, in Notis ejus ad Luitprandi Chronicon [o] videri poteſt.

n *Procurad que Julian arcediano venga à verme do yo eſtoy, con ſecreto, y recato. Tengo ciertos negocios que comunicar con el. Hallarme ha mañana donde fue el Agalienſe, ò cerca de alli, en la Pretorienſe de San Pedro y San Pablo, à las quatro deſpues de medio dia. Otra vez ſalud, padre, y ſanto, y ruega por mi pecador miſerable.*

o Ad annum DCCXLVIII. pag. 119.

151. Suggerunt & alia, non jam ut Julianum aliquem per hos dies exſtitiſſe creda-

mus

mus Toleti presbyterum; sed pro certitudine ejus operum, quæ circumferuntur, maximè Chronici, argumenta, qui seduci se his figmentis semel passi sunt [p].

p Comes de Mora in Histor. Toler. lib. 1. cap. 11.

152. Primò id quod refert Julianus [q], expugnationi nempe se interfuisse Almeriæ urbis, eamque carmine descripsisse, confirmari ajunt eo quòd in Toletanæ Ecclesiæ bibliotheca liber sit manu exaratus, qui opus hoc metricum unà cum *Historia rerum gestarum Alphonsi VII. Imperatoris* continet: quam historiam Julianus ipse attribuit sibi Adversario 582. sive ultimo. Sed cùm noviter Hieronymus Romanus eo loci, quem frequenter adire solebat, prædictum exstare codicem non ullo auctoris notato nomine; fecit quod sæpè aliàs, nominavitque eorum, qui ibi erant, proprio illius testimonio, auctorem Julianum.

q In Chron. num. 615. & Adv. ultimo.

153. Æquè plumbeum est, atque eodem impulsu declinatur telum secundum, quòd scilicet in eadem bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ reperiatur liber quidam, cui titulus: *Biblia sacra versibus exposita*, qui Rigam quendam habet auctorem. Quem quidem Rigam fuisse archidiaconum Toletanum à Raymundo primo Episcopo creatum, ejusque libri scriptorem, Julianus nos monet in epistola Chronici præambula ad Albertum Furnensem. Attamen & hunc ibi librum Higuera viderat, quem fallendi occasiones captanti proclive fuit fictitio archidiacono Toletano Rigæ tribuere apud Julianum. Sed, quod mirere, ignoravit bonus pater hujus libri, quem *Auroram* vocavit, auctorem Petrum de Riga fuisse appellatum, nec ultrà quàm clericum Rhemensis Ecclesiæ, Henrici Gandavensis, qui laudat inter scriptores Ecclesiasticos, testimonio [r]. Exstat quidem opus non modò in Toletanæ Ecclesiæ, sed & in collegii sancti Bartholomæi Salmantina bibliotheca, ut audio, estque metrica explanatio Bibliorum, sive eorum partis.

r Cap.12.

154. Tertium adjungitur eadem responsione retorquendum. Ait Julianus [s]: *Decimo quarto Decembris occisi sunt in persecutione Numeriani Imperatoris in urbe Beaci, consulari Holybrio Beticæ provinciæ, Justus, Sisinius. Isidorus Pontifex Hispalensis sanctissimus & doctissimus in horum laudem eleganter hymnum edidit*. Exclamatur hîc, & in cœlum attollitur Juliani diligentia, qui horum martyrum, cùm nomina, tùm passionis locum, solus memoravit, ab Smaragdo quodam Benedictino monacho, S. Michaëlis abbate, doctus, qui eorum acta literis commendaverat, in bibliotheca eadem Toletana, unà cum Vitis aliis Sanctorum, in membranis descripta. Certè laudari debuit potiùs quàm veteris Juliani, recentioris Higueræ industria, qui cùm bibliothecam istam Toletanam frequenter excuteret, eâ, tanquam armamentario, usus fuit ad milites suos armandos, quibus hoc erat in mandatis, vera omnia ut everterent, falsorúmve aggestu deformarent. Dicam quod res est. Legit is in Toletano isto codice *Acta Justi & Sisinii* sub Holybrio consulari pastorum Numeriani Imperatoris tempore. Justi & Sisinii, inquam, quomodo ibi appellantur; bibitque imprudens errorem. Haud enim Justi comes Sisinius, sed Abundius fuit, ut constat ex illo, quem Julianus adducit, S. Isidori hymno in Missali Mixt-arabico, sive Isidoriano. Unde missi sunt à Baronio in *Romanum Martyrologium* [t]. Addidit tamen pro petulantia sua Juliani artifex loci nomen, quod acta reticent. Et hoc existimatur congruum esse argumentum bonæ fidei Juliani!

s Chronici num. 281.

t Eadem die xiv. Decembris.

155. Sed antequam ad particulares eum refellendi locos descendamus, è re erit de Juliano nunc nos id, quod de se ipse, deque suis operibus annotavit, in medium producere; nec interim omittere quænam vel hic contraria aut improbabilia dixerit annotare. Filium se esse ait alicubi Nonnii Petri [u]. Cur autem non vocatus fuit Julianus Nonnii, ut mos fuit illius ævi? Alibi [x] Petri Juliani, (patrum duorum prolem!) Toletique natum, & baptismo lotum à Paschali Archiepiscopo Toletano [y], cujus principium ab eodem auctore ponitur [z], anno MLV. sicut & obitus anno MLXXV. sive MLXXIX. Intra hoc ergo vicennium, plus minus, natus Julianus fuit, seu verè initio ejus, ut colligere datur. Qui enim tardiùs potuit natus, tricenario scilicet minor, ad vicariatum sive regimen Toletanæ suæ Ecclesiæ, dum vacaret sedes, cooptari? quod factum jam anno MLXXXV. quo ipso urbs Toletum capta ab Alphonso VI. fuit, eidem credimus affirmanti [a]. Peregrinationem item unà cum Raymundo Toletano antistite in Galliam suscepisse; in Portugallia quoque peregrinatum [b], & in Valentino regno in comitatu Bernardi Archiepiscopi Toletani, Apostolici per Hispanias legati. Temerè quidem & inadvertenter, cùm Valentiæ regnum in ditione infidelium Machometanorum eo adhuc sæculo perseveraret. Tum Romæ semel atque iterum fuisse [c], senili jam, seu decrepita ætate, hoc est erâ MCLXXXIX. sive anno Christiano MCLV. Ex archidiacono Toletano ejusdem Ecclesiæ archipresbyterum à Raymundo Archiepiscopo creari meruisse [d], qui Raymundus hoc anno diem suum jam obierat, ut Joannes Mariana docet lib. 10. cap. ultimo.

u Adv. 93.

x Chron. num. 541.

y Ibidem.

z Chron. num. 540.

a Chronic. num. 554 & 557.

b Adv. 398.

c Adv. 410. pag. 96. & in Chron. num. 641.

d In Præfat Chronici.

156. Audivimus quoque eum anno isto MCLV. factum fuisse archipresbyterum, qui ante triginta circiter annos eadem dignitate mactus, referente ipso, adstitit coronationi Alphonsi VII. Regis, atque ad eum orationem habuit [e]. Centenario majorem se scribere adhuc ait in fine libelli *De eremitoriis*, & perduxisse Chronicon suum usque ad MCLX. in calce Adversariorum. Sed nondum vivendi metam ei ponimus, qui alicubi scriptum reliquit, cùm de S. Isidori Mantuani, hoc est Matritensis, sacratis exuviis loqueretur [f], factam fuisse primam earum translationem anno MCLV. à cœmeterio ad Ecclesiam S. Andreæ, secundam verò à Celebruno

e Chronicon num. 663.

f Adv. 527. & 528.

Archiepiſcopo ad latus altaris SS. Petri & Paulli, cùm in pavimento ante dictum altare XXXVIII. annis priùs jacuiſſet. Vixit ergo uſque ad MCXCIII. ſive centeſimum triceſimum octavum circiter ætatis annum. Id enim temporis ab initio Paſchalis uſque huc intercedit. Quam ejus ætatem ſic extendere ut naturæ leges ſupergrederetur, minimè debuit is, qui fabulis ſuis propitia cupiebat legentium judicia.

157. Multa quidem tam longævus vir ſcribere potuit, & ſcripſerit utique, ſi æquum & fas eſſet credere de ſe affirmanti tam nullius fidei (ſic putamus) hiſtorico. Nam præter ea quæ diximus pro Julianæis edita, de quibus ſigillatim diſtinctèque paullò pòſt queremus, ſequentia idem Julianus ſibi attribuit opera:

158. *Hiſtoriam* ſcilicet *Regis Alphonſi VI.* Nempe in Adverſariis 422. & 582. ſive ultimo.

159. *Hiſtoriam Alphonſi Regis VII. cognomento Imperatoris*, quam anonymo jam ſuprà (ignoratur enim auctor) adſcripſimus, Adverſario ultimo. In *Hiſtoria Toletana Ms.* Patris Higueræ lib. 17. cap. 18. id quoque aſſeritur ex Juliano.

160. *Hiſtoriam domini Bernardi Archiepiſcopi Toletani*, primi poſt recuperatam à Mauris urbem. In eodem Adverſario ultimo.

161. Hiſtoriam ſpecialem *De obſidione & captione Toleti, ac de tempore captivitatis.* Ibidem.

162. *Vitas multorum Sanctorum* tam proſâ quàm carmine. Ibidem.

163. *Origines & ſucceſſiones multorum nobilium Muz-arabum & Toletanorum, videlicet Barroſorum, Nucumque, & Toletanorum, Godielium, Columbatorum, Ficulnorum, Portocarrerorum, Pantoxarum, genus Munionis Adephonſi, Arlarum* (mendosè editum cognomen hocce credimus) *& ſimiliter Alcarramarum*. Ita diſertis verbis ibidem. Meminit hujus operis, uti deperditi, Hieronymus Romanus de la Higuera in *Hiſt. Ms. Tolet. urbis* hiſce verbis, quę Latina damus ex lib. 16. cap. 1. jam in ſuperioribus utrâque linguâ in medium producta. *Julianus archidiaconus, poſtea archipresbyter Toletanus, refert ſe inter alia reliquiſſe opus, ſive librum genealogicum* De nobilitate Muz-arabum *Toletanæ urbis, precipuè Barroſos* (Hiſpanâ formâ hæc damus cognomina, ut notiora lectoribus reddantur) *Portocarreros, Gudieles, & Pantojas. Neque hic liber, neque alius ex his quos auctor hic reliquit, uſquam exſtant: qui ſanè magnum attuliſſent antiquis hujuſce urbis atque nobilium Muz-arabum rebus lumen*. De hoc opere facienda nobis erit mentio, cùm Chronicon in examen vocabimus.

164. *Pro Officio Muz-arabum*. Ex Adverſario 434. hęc ſunt: *Ego, utpote archidiaconus prius, nunc archipresbyter Sanctæ Juſtæ, defendi libris editis Officium Muz-arabum, vel Sancti Iſidori Miſſale, Breviarium, Manuale, & Antiphonarium, quod primus reformavit Sanctus Melantius Epiſcopus Toletanus*, &c.

165. *Volumen epiſtolarum, & bullarum, ac privilegiorum, à Sancto Eugenio primùm ad Raymundum de Patriarchali jure ſanctæ Eccleſiæ Toletanę, ſatis longum.* Adverſario ultimo.

166. *Librum carminum & panegyricorum* dicatum Alphonſo VII. Imperatori. In Chronico num. 639.

167. Carmina quędam *De captivitate Almerię*. Hoc eſt carmen, quod ſervari diximus unà cum hiſtoria Regis nuper laudati Alphonſi VII. in codicibus MSS. Adverſario ultimo.

168. *Epitaphia aliquorum Archiepiſcoporum Toletanorum & virorum illuſtrium*, de quo (ait ibidem) exſtat juſtum volumen.

169. *Prologum in librum Soliloquiorum B. Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani, quod* (potiùs *qui*) *incipit: Dominus meus*. Adverſario 412.

170. Translationes quoque has ex Arabico in Latinum:

171. *Hiſtorię Hiſpaniæ Raſis, Mauri Arabici*. Adverſario 422.

172. *Averroïs medici Cordubenſis quorundam operum*. Ibidem. Averroïs (inquam) qui ſæculo integro poſt hunc interpretem ſuum vixit: de quo errore & anachroniſmo loco ſuo lectores admonebimus.

173. Item ex Arabica, ſeu Hebrea, in vernaculam Hiſpaniæ tunc temporis linguam,

Trium epiſtolarum in Tabulario S. Juſtę repertarum. Primę *Judęorum Hieroſolymitanorum ad Hebręos Hiſpanos, præcipuè Toletanos, ut ſuffragarentur in morte Jeſu Chriſti*, &c. *& ipſi noluerunt horum petitionibus conſilioque conſentire*. Secundę *Reſponſivę Toletanorum ad Hieroſolymitanos*. Tertię, *in qua petebant Hieroſolymitani Annas, & Caiphas, & Joſeph, & alii, ne ſi venirent diſcipuli Chriſti, & in primis Sanctum Jacobum Zebedęi filium, nullo modo eos admitterent*. Adverſario 421.

174. *Epiſtolę* aliûs, *quam ſcripſerunt Judęi Toletani, qui erant Hieroſolymis, De Reſurrectione Chriſti & Adventu ſuper diſcipulos Spiritus ſancti, & quòd Apoſtoli loquerentur variis linguis*, & *de miraculis Petri*. Adverſ. 424. & Adverſ. 474. 475. 476. 477. Meminit & Adverſario 10.

175. *Epiſtolę, quam Rabbi Calelutenſis* (ſcribe ·········) *miſit ad Moyſen Hiſpanum Rabbinum maximum, conſiſtentem in Hieruſalem, qui & venit cum literis de non recipiendis à Judęorum Hiſpanorum ſynagoga diſcipulis Chriſti*. Adverſario 424.

176. *Scripturarum* quarundam ex Arabicis ferè mille, quę erant in archivo Toletano tempore Maurorum. Adverſario 425.

177. Necnon de Gręco in Hiſpanum,

Hiſtorię Europii hiſtorici Chriſtiani, in qua multa de ſanctis Apoſtolis Dei tractat, &c. Adverſario 423. Eutropius quidem, cujus *Breviarium* exſtat *rerum Romanarum*, utpote Italus, Latinè ſcripſit, non Grecè,

neque

neque compertum, gentilisne an Christianus fuerit. Hoc tamen ejus Breviarium Grecè vertit, auctore Suida, Capito Lycius. Vossium vide, si lubet, lib. 2. *De historicis Latinis* cap. 8. ac *De historicis Græcis* lib. 2. cap. 17. Nullum tamen in hoc Breviario de Christo aut ejus discipulis, que quidem nec ad alium ex Eutropiis, qui usquam fuerunt, memorati ab eodem Vossio g, pertinere possunt. Quare hanc existimamus meram Pseudo-Juliani fabulam.

g Dict. lib. 2. cap. 8. De H.L.

178. Item de Latino in Hispanum,

Epistolæ Sancti Paulli ad Hebræos Hispanos, præcipuè Judæos, qui venerant ex XL. *quos transtulit Nabuchocordam Hieros* ········ *& ad Zamorenses, qui dicuntur nonnullis vocati Numantini, & hanc apud se dicunt autographam conservare*. Adversario 426. Quæ insignis est fingendi audacia ac temeritas. de qua alibi.

179. *Historiæ, quæ erat in tabulario Sanctæ Mariæ Cæsar-augustanæ de Pilari*, &c. (hæc est celebris historiola de apparitione Deiparæ Virginis Apostolo Jacobo, & ædificatione cappellæ extra Cæsar-augustam urbem ejus nomini, ut ferunt, dicatæ) Adversario 428.

180. *Historiæ Sancti Memmii Mentii, primò Catalaunensis, mox Eborensis Episcopi, cujus corpus sepultum est in Hispania*, &c. Adversario 431. Unum ex duobus Sanctis Memmio, & Mantio finxisse Julianum, alibi erit comprobandi locus.

181. Transtulisse quoque se ait *Poëmata Orontii patriâ Tarraconensis, Episcopi Illiberitanæ Ecclesiæ, ad quem Sidonius Apollinaris scribit*, &c. Adversario 433. Ejusdem Orontii meminit in Chronici num. 256. ubi appellat Episcopum Tarraconensem. quem *alii* (ait) *vocant Orientium, & fuit Episcopus Illiberitanus in Bætica, civis autem Tarraconensis, & scriptor nobilis*. Diximus jam, cùm de Orentio ageremus, nullam, sive hujus, sive Orontii, sed unam Oresii, mentionem in epistola 12. lib. 9. epistolarum Sidonii reperiri.

182. Memorat & Hieronymus Higuera in *Toletana historia* MS. h libellum, seu Memoriale Juliani se vidisse, in quo annotaverat quosdam libros Ecclesiæ Sanctæ Justæ Toletanæ, atque inter alios *Historiam Artuagi Cislę monasterii abbatis tempore Sisebuti Gotthorum Regis*. De qua dictum à nobis loco suo quid existimandum esset.

h Lib. — cap. 6.

183. Equidem hæc de se ipse, aut alii de Juliano scriptore (vera an falsa?) literis consignavere. Chronicon, Adversaria, *De eremitoriis* libellum Collectionum variorum carminum à superioribus seorsum habuimus, eò quod edita jam simul hæc sint, uti diximus: atque item epistolas præsulum à Juliano collectas cum ejusdem annotationibus, quibus adjunxit suas D. Laurentius Ramirezius in editione Antuerpiensi operum Luitprandi, ex schedis, ut suspicamur, toties memorati Hieronymi Higueræ Toletani.

184. Sed de his strenuam, nec parum brevem, instituere opus est disquisitionem, ad calcem hujus Bibliothecæ veteris, quam prosequimur, depromendam, jactis dumtaxat hic fundamentis seu locis convincendi falsitatem Julianææ suppositionis, ferè iisdem cum his, quorum tenore usi sumus ad similium Dextri, Maximi, Luitprandique, pseudo-historicorum, arguendas nugas.

CAPUT IX.

Duodeviginti ostenduntur loci, ex quibus refelli promptum est cuivis Juliani Chronicon & Adversaria.

185. JULIANI fidem in Chronico & Adversariis multi redarguitionum loci seu capita collabefactant, multi affligunt; quos omnes summatim dabimus, indicatis tantùm, non perpensis aut comprobatis, exemplis confirmatos. Hoc enim majoris argumentum operis, Juliani scilicet hypobolimæi, fecimus.

I. *Anachronismos sæpè committit; ea, quæ infra tempora ejus contigere, aut non eo tempore, quo contigere, incautè memorans.*

II. *Contradicit sibi ipsi, & aliis authenticis scriptoribus, quorum fides non lubrica.*

III. *Desiderantur in his scriptis ea ejus testimonia, quæ alii ex iisdem scriptis, priusquam ederentur in publicum, laudavere: aut non ea facie in publicum prodierunt, quam præ se ferebant apud laudatores.*

IV. *Depromit auctor ea quę dicit ex scriptoribus eo recentioribus, & ubi illi à vero deviant, cum his & ille fallitur.*

V. *Errores crassissimos, falsa, absurda multa passim continet.*

VI. *Impiis narrationibus piorum aures offendit, & sanctitatem iis tribuit, de quorum sanctitate aliunde non constat.*

VII. *Homines duos in unum coagmentat, aut unum in duos dividit, ad conciliandas variantes sententias.*

VIII. *Sanctis, quorum ignoratur natalis locus, Hispanos natales temerè asserit: atque item ęquivoco usus, assignata his martyrii loca in martyrologiis, cum Hispaniæ aliis eadem facit.*

IX. *Eundem æquivocationis ludum in locis ludens; peregrè facta quæque in Hispania contigisse ridiculo ausu scribit.*

X. *Archiepiscopatus Toletani primatialem dignitatem à prima Euangelii apud nos promulgatione sæpissimè ac ferè omnibus paginis ridiculè & importunè inculcat.*

XI. *Hispanis Episcopis, qui non eò venêre, constare facit aliarum nationum Concilia.*

XII. *Hispanis Episcopis nuncupatas decretales summorum Pontificum fingit epistolas.*

XIII. *Quibusnam scripta sint Martialis epigrammata, ridiculè anxius est.*

XIV. *Ex iis quæ vidit, monumentorum vete-*

veterum inſcriptionibus, aut recentiorum auctorum obſervationibus, ſuas procudit.

XV. *Ut emergat è difficultatibus heri aut nudius tertius, ut ſic dicam, ſuſcitatis, totum ſe in affectatas effundit expreſſiones.*

XVI. *Certis incerta addit & fabuloſa.*


XVII. *Nova, inaudita, inveriſimiliaque, & ab aliis indicta refert.*

XVIII. *Quibus ut fidem adſtruat, fingit ſe ex nunquam aliàs auditis, aut viſis auctoribus, quorum opera laudat, profeciſſe. Inquiritur in ea omnia, quæ ex hiſce derivavit fontibus. In re geographica Hiſpaniæ multa is temerè, multa ineptè, & antiquitati contraria excogitanda, dicenda, ſibi indulſit.*





BIBLIO-



BIBLIOTHECÆ VETERIS HISPANÆ

LIBER OCTAVUS,

De scriptoribus decimi tertii sæculi.

PRÆMONITIO DE REGIBUS.

1. SUCCESSIONES Regum præmittere operæ pretium duximus, ut in superioribus libris, eo fine, ut sub quonam eorum se quisque fecerit merito scriptorum illustrem legentibus, duo simul ordines, cùm Regum, tum doctorum hominum, sive duę Imperii ac doctrinæ facies, in conspectum veniant.

2. In Castellæ regno Alphonsus VIII. *Nobilis* cognominatus & *Bonus*, inchoavit sæculum jam vetus princeps, absolvitque Vitæ cursum anno ejus decimo quarto. Successit ei Henricus filius decedens ann. MCCXVII. relicta regni hęrede sorore Berengariâ Alphonsi Legionensis Regis conjuge; quorum filius Ferdinandus, hujus nominis Tertius, *Sanctus* vulgò dictus, à matre hoc eodem anno Castellano sibi renunciato, patre verò anno MCCXXX. diem suum obeunte, Legionensi imperio susceptis usque ad sæculi quinquagesimum secundum simul tenuit. Hoc anno ad superos evolans, Alphonsum X. aliàs XI. *Sapientem* appellatum, utriusque regni hęredem reliquit; quem anno MCCLXXXIV. vitâ functum, Sancius excepit IV. ejus filius, *el bravo* cognominatus. Hoc decedente post undecim annos, hoc est MCCXCV. Ferdinando ejus nato contigit, ut sæculo finem imponeret.

3. Hoc ipsum inchoavit in Aragonia Petrus cognomento *Catholicus*; cui filius successit Jacobus I. anno MCCXIII. huic autem Petrus ejus natus anno MCCLXXVI. Petro Alphonsus III. anno MCCLXXXV. Alphonso Jacobus II. anno MCCXCI. Portugalliæ post Sancium I. qui obiit anno sæculi XII. Alphonsus II. usque ad XXIII. Alphonsus III. usque ad LXXIX. Dionysius, quod superest, Reges fuere. Navarræos ineunte sæculo Sancius VIII. seu *Fortis*, regebat, cui successerunt hoc ordine: Theobaldus anno XXXIV. alter Theobaldus LIII. Henricus LXX. Joanna LXXIV. quæ Philippo Pulchro Galliarum Regi post decennium nubens, ad Francos Navarræ regnum transtulit.

CAPUT PRIMUM.

De DURANDO DE OSCA, *è Waldensium hęresi ad Ecclesiam recepto, & ejus scriptis.* ALPHONSO RAMIRI *Auriensi Episcopo, & ejus S. Euphemiæ martyris, & S. Antonii abbatis historiis. De hac ultima quæritur.* DE DOMINICO *Placentino antistite, ejusque Chronico* De Alphonsi VIII rebus. *De* DIDACO DE CAMPIS *atque ejus opere* Planeta *Toleti* MS.

4. CIRCA hujus sæculi initium reliquiæ adhuc supererant Waldensium hæreticorum sectæ, quæ in Galliis maximè grassata fuit. Ex his quidam ad se reversi meruerunt in gremium recipi Ecclesiæ ab Innocentio III. tunc Pontifice. In quibus nominantur prçipuè DURANDUS, scilicet DE OSCA, quem nullus dubito ab ejus nominis in Aragonia urbe cognominatum a; & Wilielmus de Sancto Antonino, cum aliis, fidem catholicam solenniter professis apud eundem Innocentium; quorum confessionis tenorem, & novi, quod sibi imposuerunt, instituti ratio- nem

a Et ita videtur Francisco Bosquero in Notis epist. 77. seu 76. Innocent. III.

nem continet epistola ejus 78. libri 13. *Regesti*, qui respondet anno hujus seculi decimo, quæ quidem epistola inscripta est Archiepiscopo Tarraconensi, & suffraganeis ejus, impositumque in ea his omnibus, aut Archiepiscopo cum suffraganeorum aliquo, ut pœnitentes eos juxta Ecclesiæ ritum reconciliare procurarent. Pertinet quoque huc epistola Innocentii 77. iisdem *Durando de Osca*, *Willelmo de S. Antonino*, *eorumque fratribus* scripta.

5. His equalis auctor Gulielmus de Podio-Laurentii (*Puy-laurens* vulgò audit) quem Guilielmus Catellus publici juris fecit ad calcem historiæ suæ Comitum Tolosanorum in Chronici cap. 8. hujus Durandi, ejusque consignatæ scriptis doctrinæ, recordatur, dum ait: *Fuit alia disputatio apud Apamiam, in qua soror Bernardi Roverii &c. Fuitque ibi disputatum contra Waldenses sub magistro Arnaldo de Camprano tunc clerico sæculari arbitro à partibus electo; qui cùm ejus judicio succubuissent, ex eis ad cor aliqui redeuntes, ad sedem Apostolicam adierunt, & pœnitentiam habuerunt, datâ sibi licentiâ vivendi regulariter, ut audivi. In quibus Durandus de Osca fuit Prior, & composuit contra hæreticos quædam scripta. Et tunc in quadam quidem parte Catalonię annis pluribus sic vixerunt; sed paullatim postea defecerunt.* Hęc ille.

6. Cessit è vivis erâ MCCLI. qui annus est seculi decimus tertius, in sede sua Auriensi regni Gallęciæ ALPHONSUS RAMIRI, aliàs FERNANDI, post tricesimum pontificii annum, ut in libris ejusdem Ecclesiæ legitur: è quibus *Theatrum* ejusdem scribens Ægidius Gundisalvi Davila profecit[b]. Qui & ait præsulem hunc historiam quandam *De miraculis S. Euphemiæ martyris* (quonam autem sermone quęrimus) scripsisse; atque item à Gręco in Latinum Vitam S. Antonii abbatis transtulisse, scriptam scilicet à S. Athanasio: alia enim nunquam exstitit. Et quis auderet post hunc historicum? Hæc tamen S. Hieronymi operâ in sermonem venit Romanum[c], eaq; vulgò creditur quæ in manibus omnium est, laudata à Gelasio Papa inter scripturas à fidelibus suscipiendas[d]. Nam Euagrii Antiocheni Episcopi alia in Latinum translatio, cujus meminit idem Hieronymus[e], periisse videtur. Quare non video quid movere potuit nostrum Auriensem Episcopum, nisi è Latina Hieronymi versione vernaculam dederit: quod magis eredo.

b Tomo 1. *Theatri Eccles. Hispan.* pag. 157.

c Ut ipse ait in epist. ad *Pammachium* 101.

d in Cap. *Sancta Romana Ecclesia* 15. dist.

e *De script. Eccles.*

7. Occasione mortis Alphonsi Regis Castellæ VIII. quæ MCCXIV. contigit, laudamus hic de rebus ejus gestis quandam historiam, cujus notitiam Hieronymo Romano de la Higuera Societatis Jesu acceptam ferimus. Hic enim in toties à nobis memoratæ *Toletanæ urbis & regni historiæ* adhuc ineditæ libro 20. cap. 8. Chronicon citat, sive historiam hanc manu exaratam, quæ olim fuit Comitis de Comares (immo Marchionis, & Didacum Fernandi à Corduba indicatum credimus, qui tertius fuit Marchio de Comares, & ultimus hujus tituli: filius enim ejus ex Joanna Folchia Cardona susceptus, & reliqui successores Duces de *Cardona* & *Segorbe* appellati fuere) nunc autem, ait, penes Didacum de Frias Haro est Ocaniensem civem: cujus auctor, ut videtur, fuit D. DOMINICUS Episcopus Placentinus, post conditam ab eodem Alphonso Rege urbem, secundus. Si vera hęc sint[f], Dominicus patriam habuit oppidum *Bejar*, à quo Duces amplissimæ Zunigarum domus appellantur, electusque fuit Placentinus Episcopus hoc ipso an. MCCXIV. mortis Alphonsi; sacro Concilio Lateranensi sub Innocentio III. sequenti anno interfuit, sed longè postea vixisse adhuc dicitur, usque ad Ferdinandi III. sancti Bæticarum expeditionum tempora, & annum MCCXXXII. & ultrà.

f Hæc quæ sequuntur ex Ægidii Gundisalvi Davila *Theatro Eccles. Placent. Ecclesiæ* tomo 2. pag. 484.

8. In bibliotheca Toletanæ Ecclesiæ asservatur codex membranaceus cum hoc titulo: *Planeta*. de quo hæc annotata lego in exemplo meo librorum MSS. in ea exstantium. *Liber est de Christi regno, de B. Virgine, de S. Michaële, de anima beata, & de pace, auctore* DIDACO DE CAMPIS, *membrana mediocri fol.* 1. 20. Ad oram autem hæc: *In tabulis hujus libri in parte interiori hæc habentur verba scripta manu Joannis Baptistæ Perez canonici Toletani, & Fabricæ prefecti*. Verba sequuntur, quæ ex Hispanis Latina damus: *librum hunc scripsit Didacus de Campis cancellarius regiæ domus Castellæ anno MCCXVIII. Vocavit eum* Planeta, *ex eo quòd septem libris constet; ejusque materia clarissima sit. In primo, secundo, & tertio, de Christo agit; & quomodo is in omnibus vincit, regnat, & imperat. In quarto de B. Virgine Maria sanctissima, deque ejus laudibus atque dignitate, in expositionem salutationis Angelicæ. In quinto de Michaële archangelo ac de ejus excellentiis, ac de beneficiis, quæ fidelibus semper contulit, & quotidie confert. In sexto de anima Christi, ac de animabus omnium beatorum. In septimo de pace interiori & exteriori, atque universæ Ecclesię. Dirigit hunc librum D. Roderico Archiepiscopo Toletano, cujus ibi sunt duę epistolæ, prior post prologum, posterior in fine libri. In proœmio summis Archiepiscopum laudibus extollit, liberrimeque de Regibus & pręsulibus, ac de ejus temporis loquitur moribus, unico tantùm summo Pontifice excepto. Stylus est copiosus, absque eloquentia tamen*. Hucusque Perezius, vir valdè eruditus, & judicio præstans, qui ex canonico dictæ Ecclesiæ datus fuit Segobricensibus in Valentiæ regno Episcopus.

9. JOSEPHI ABEN ISAAC Judæi quidam medicæ doctrinæ commentarius anno Christi nati MCCLXVII. Toleti exaratus exstabat in bibliotheca Scorialensi.

CA-

CAPUT II.

De S. ANTONIO *Lusitano* , PATAVINO *passim appellato , atque ejus mysticis & moralibus scriptis . Vitæ ejus scriptores , insigneque cujusdam eidem æqualis de doctrina divinitùs ei infusa ineditum hucusque testimonium . De* ANONYMIS *duobus, stupendi* de los corporales de Daroca *miraculi dicti, celebratoribus . De* FRANCISCO XIMENIO , *ejusque* Historia restaurationis Hispaniæ . *De* RODERICO XIMENEZ *Toletano Archiepiscopo , atque ejus pace belloque gestis rebus , multiplicique eloquentia , & obitu extra Hispaniam , inque Hortensi Cistercienſium monasterio sepultura. Ineditum ejus* breviarium *scilicet* Ecclesiæ catholicæ , *sive historiam veteris & novi Testamenti, satis prolixum opus, servari apud D. Joannem Lucam Cortesium Matriti .* Rerum Hispaniæ Chronicon *quo tempore ab eo scriptum . De peculiaribus ejus Ostro-Gothorum , Hunnorum , & Wandalorum , atque item Romanorum historiis , non rectè dubitari .* Arabum historiæ *certissimum esse auctorem . Sphalmata in his omnibus propter seculi barbariem . Jornandes ex Roderico emendatur . De harum omnium historiarum vulgari translatione aliqua notantur , atque* historiæ Hispaniæ *continuatione . Regis Ferdinandi sancti vernaculam historiam non esse Roderici . De aliis ejus scriptis ineditis . De* PETRO RIBERA PERPEJA, *qui omnia hæc Roderici Toletani opera Catalanâ linguâ reddidit .*

10. SEQUITUR clarissimum sanctitatis lumen simul & doctrinæ ANTONIUS Lusitanus, vulgò PATAVINUS dictus , quod è Patavio Italiæ nobilissima urbe ad cœlum anno hujus sæculi primo supra tricesimum evolaverit . Non hîc propositum nobis est de vita ejus angelica & miraculosissima quicquam post dignissimæ historiæ tot ac tam idoneos editores repetere , industrieque sæpiùs actum de novo agere : summatim tantùm dicam , Ulyssippone natum , ex canonico regulari , sodalitii Minorum, tunc temporis à S. Francisco Assisiate inventi , sacramentum dixisse, primumque inter sodales theologiæ professorem Bononiæ creatum, in eum reportatæ ob doctrinæ claritatem,& sacrarum habendarum ad populum concionum excellentiam , famæ apicem ascendisse, ut à Gregorio IX. Pontifice *Arca Testamenti* appellari jure optimo meruerit, eoque concursu,attentione, atque profectu audientium ubicumque de verbo Dei publicè diceret , sacrum hoc munus exercuisse, qualem Hieronymi Plati Jesuitæ [g] luculentissimis verbis Lucas Wadingus, Minorum Ordinis inclytus chronographus, prodit [h]. Abreptus in flore ætatis Patavii jacet, magnaque religione ab Italis omnibus , nec minùs exteris , ejus sepulchrum frequentatur . Scripsit.

11. I. *Sermones quadragesimales* , & *de tempore* , Parisiis per Badium editos anno MDXXI. Raphaël Maffæus ejusdem Ordinis correxit , auxit , & marginalibus illustratos Notis prodire fecit Venetiis ex officina Jo. Antonii Bertani MDLXXV. in 8°.

12. II. *Sermones de Sanctis* . quos post alias editiones Carolus recudit Rouillard Parisiis anno MDCXLI. operâ Joannis de la Haye Parisiensis regii ecclesiastis , *Bibliorum magnorum* compilatoris . quibus adjunxit

13. III. *Expositionem mysticam in omnes fermè sacræ Scripturæ libros , vel ab ipso S. Doctore scriptam, vel ex ejus sermonibus decerptam.* Item

14. IV. *Concordantias morales S. Scripturæ , prædicatoribus ad virtutes commendandas & vitia condemnanda utilissimas* . Has Lucas Wadingus anno MDCXXIV. Romæ apud Alphonsum Ciaconium ex antiquiss. codd. MSS. Ara-cœlitani cœnobii , Urbano VIII. dicatas, edidit .

15. De rebus sanctissimi ac doctissimi viri totâ vitâ gestis, patratisque post mortem miraculis , multa supersunt , sive domesticorum sive non domesticorum commentaria . Eundem Wadingum consulere lector Antonii , immo & virtutis , amans poterit primo *Annalium Franciscanorum* volumine . Hieronymus à Ponte Italicè , Joannes Franciscus à Rodrasem Polonicè, Antonius de S. Maria, Christophorus Moreno , Franciscus Lopez , Matthæus Aleman Hispaniarum linguis, hoc est, Castellanâ Lusitanâve, alii aliis Spartam hanc amplissimam ornavere .

16. Adjungemus nos non vulgare de eo atque ejus doctrinâ à Deo infusâ testimonium F. Thomæ Galli , vulgò dicti abbatis Vercellensis anonymi in commentario ad S. Dionysium Areopagitam , qui asservatur manu auctoris exaratus in bibliotheca serenissimi Sabaudiæ Ducis . Hic ait : *Multi penetrârunt arcana sanctissimæ Trinitatis , sicut expertus sum in Antonio ex Minorum ordine , in familiari consuetudine quam habui secum , qui parum instructus disciplinis sæcularibus, tam brevi mysticam theologiam est adeptus , ut ecclesi amore intus perustus , foris divinâ scientiâ illuminaret .* Hæc ejus Antonio æqualis verba ex MS. produxit , & in syllabum *scriptorum Pedemontanorum* , sub nomine *abbatis Vercellensis* conjecit, Andreas Rossottus Cistercienſis.

17. ANONYMOS duos hîc sistimus , Catalanum alterum, qui vernaculo Provinciali, sive, uti appellari solet , Lemosino idiomate , alterum Darocensis in Aragonia Ecclesiæ canonicum , qui & ipse , ut suspicior , eodem sermone , literis tradiderunt stupendum editum anno MCCXL. à Deo miraculum pro certitudine realis præsentiæ corporis Jesu Christi domini nostri in Eucharistiæ sacramento , corporalibus , seu palla corporali (sic vocat ordo Romanus) quâ sacrificatum fuerat , sex hostiarum sanguine de'ibuta , qui hodie vividus,& recenti similis, hostiæque post quatuor & ultrà sæcula incorruptæ adhuc manent , eâque, quâ decet religione in Darocensi urbe asservantur, (*Misterio de los corporales de Daroca* apud nos audit) cujus mentionem sub Jacobi Regis Aragoniæ primi hujus nominis tempus patrati omnes Aragonensium, immo Hispa-

g De bono statu Religion. lib. 2. cap. 11.
h De script. ordin. Min. in S. Ant. Lusitano.

Hiſpanarum hujus ſæculi rerum, hiſtorici conſtanter habuere [l], ſpecialemque commentarium Gaſpar Michaël de las Cuevas, ejuſdem Eccleſię Darocenſis canonicus, è monumentis his duobus veteris illius ævi deſumptum anno MDXXXIX. Compluti edidit.

l Martin de Viciana *Hiſtor. de Valencia*. Petr Ant. Beuter. in *Hiſt. Hiſpaniæ*, Pet. de Medina *Grandezas de Eſpaña*, Mariana lib. 13. cap. 1. Lanuza *Hiſt. Eccleſ. de Aragon*. tomo 1. lib. 2. cap. 27.

18. Darocenſis viri, quem diximus, memoria ſuggerit nobis Darocenſis alterius notitiam exhibere hic, FRANCISCI XIMENII nomine, ex eadem urbe presbyteri, qui anno hujus ſæculi quinquageſimo vixiſſe dicitur, ac *Hiſtoriam reſtaurationis Hiſpaniæ* ſcriptam, (quâ autem linguâ, Latinâve an Lemoſinâ, non dicitur) reliquiſſe. Hunc verò auctorem, ſi quis fuit, ineditum hactenus, Valentinorum ſcriptorum nullus, quod ſciam, hucuſque laudavit. Unus etenim Franciſcus Boïl Sardus S. Theol. magiſter, ex inſtituto Mercenariorum, reginſque Philippi IV eccleſiaſtes in hiſtoria *cameræ angelicę Deip. Virginis del Puche regni Valentini* cap. 5. auctorem hunc laudat, atque ejus fide Joannes Tamajus Salazarius in Notulis ad *Actum Halum*.

19. Miror tamen uni Boïlio hunc ſcriptorem cognitum, inviſum aliis omnibus; qui quidem repertæ campana quadam hujus venerabilis S. Mariæ de Podio, ſive del Puig, aut del Puche, iconis, recuperari Valentini regni cœpti tempore, multis meminere; quorum poſtremus Gaſpar Eſcolanus, diligens patriæ ſuæ hiſtoricus, lib. 7. cap. 6. poſt Beuterum, Bernardinum Gomezium Miedem, Martinum Vicianam, & alios, inventionem hujuſce imaginis narrat: nihil autem de campanæ illius olim Gotthicis literis ſcripto elogio, ubi adventus in Hiſpaniam Deiparæ Mariæ Sanctorumque trium Apoſtolorum Petri, Paulli, & Jacobi mentio diſerta legeretur, adjungit, vel ex traditione illius gentis ad poſteros propagatum; nedum ut auctorem rei laudet hunc Ximenium inventioni æqualem: quod referre is dicitur apud Boïlium Tamajumque. Nempe, ut ultimi hujus utar verbis, refert Ximenius prædictus ſe inventioni hujus ſacrę imaginis interfuiſſe, & tintinnabulum, ſub cujus cavo effigies delituerat virginea, conſpexiſſe, in eoque foris expreſſas Virginis & SS. Apoſtolorum Petri, Paulli, & Jacobi fuſiles iconas demiratum fuiſſe, & in circulo ſeu limbo nolæ has ſigillatim Gotthicis characteribus literas perlegiſſe. *S. Maria ora pro nobis. Imago tua ſit nobis tutrix, quę fuit ab angelis in lapide ſepulchri tui dedolata, & ab eis adſportata, ac Apoſtolorum adventu decorata. Servi tui te colimus. Abige fulgura, tonitrua ſonitu campanę quam fecimus erâ DCLX.* Quæ, judicio meo, majori teſtimonio probari æquum eſſet, quàm hoc eſt latentis etiam nunc & unica unius laudatoris fide probati ſcriptoris.

20. Ingens huic ſæculo & Hiſpaniæ noſtræ cùm dignitatis ac rerum pace belloque geſtarum, tum doctrinæ multiplicis nomine RODERICUS SIMONIS, vulgò XIMENEZ, Archiepiſcopus Toletanus, ornamentum præſtitit. Origo ei regnum Navarre, familia nobiliſſima ſive *de Rada*, ſive *Tiſon*; quarum utraque ex paterno & materno potuit genere ad eum pertinere. Nam avi ſui D. Petri Tiſon meminit ipſe in charta donationis abbati & monaſterio S. Mariæ *de Fitero* regni Navarræ erâ MCCLII. hoc eſt anno MCCXIV. factæ [k]. Qui famâ clarus fuit duodecimo ſæculo Aragonenſium procer ex eorum numero qui *Ricos hombres* vulgò audiebant [l]. *De Rada* verò Navarræorum ſtirpe Rodericum progenitum apud veterum conquiſitores monumentorum non obſcura fama eſt [m]. Stephanus certè Garibajus rerum Navarrę haud parum gnarus, Rodericum Ximenez de Navarra, nec aliter, vocat [n].

k Adducit eam Hieronymus Higuera *Hiſt. Tolet.* MS. lib. 20. cap. 3.

l Meminit ipſe Rodericus, ut monet Surita lib. 1. *Annal. Arag.* cap. 71.

m Ex fide Franciſci Rades de Andrada idem Higuera ibidem docet.

n Lib. 11. *Comp. hiſt.* cap. 4.

21. Pariſiis literas didicit, quarum quidem, & morum gravitatis nomine ætatis juſtæ factus, eò gratiæ apud Regem ſuum pervenit, ut privatus etiam auſpex fieret pacis Alphonſum inter Caſtellæ, Sanciumque Navarræ, Reges initæ. Quod recens meritum viam munivit, ut in Martini Toletani præſulis anno MCCVIII. è vivis erepti locum ipſe ad hanc totius Hiſpaniæ ampliſſimam dignitatem aſſumeretur. Quam quidem tot egregiis factis, tot pietatis, prudentiæ, fortitudinis, miſericordiæ geſtis decoravit, ut nunquam non Rodericum in omnibus, quæ ſive ſacrorum apud nos principis, ſive Sarracenorum perpetui hoſtis munera reſpiciebant, illius temporis hiſtoriæ loquantur. Poſt biennium auctor Alphonſo Regi VIII. fuit [o] Palentię veteris Caſtellę academiam inſtituendi, quę poſt aliquot annos in eam, quę Salmanticæ totius orbis celeberrima nunc audit, tranſlata fuit. Nec diu pôſt Romam ad Innocentium III. amandatus, cruce ſignatis omnibus, qui bellum Hiſpanienſe adverſus Mauros excidium genti minitantes ſequerentur, veniam peccatorum obtinuit, atque in Italia & Gallia ingentem numerum ad ſacram iſtam expeditionem excitavit [p]. Interfuit ipſe in comitatu ejuſdem Alphonſi Regis prœlio omnium, quę apud nos toto captivitatis tempore commiſſa ſunt, celeberrimo ad Navas Toloſę Bæticę anno duodecimo ſæculi profligato; de quo ſcriptam ad Innocentium epiſtolam [q] rei feliciſſimè geſtæ nunciam conſulere non pigebit.

o Mariana lib. 12. cap. 11.

p Mariana lib. 11 cap. 23.

q Extat apud Marianam ibidem cap. 24.

22. Elapſo triennio Romam rediit vocatus cum aliis totius Chriſtiani orbis Epiſcopis ad Lateranenſe Concilium IV ſub eodem Pontifice Innocentio celebratum, in quo, ſi vera nobis proferuntur ex ſchedis Eccleſię Toletanę, à Garſia de Loaïſa [r] *de facultate Pontificis Latinè concionatus eſt. Sed quia ex diverſis mundi provinciis tam clerici quàm laïci convenerant, ut omnibus ſatisfaceret, rationes, & teſtimonia Latino ſermone prolata laicis, & maternis linguis ſingulis exponebat, Romanis videlicet, Theutonicis, Francis, Anglis, Navarris, & Hiſpanis. Hujuſmodi autem prædicationis expoſitio* (ſubjungit auctor) *valdè placuit, utpote quæ admirationem omnibus propter concionatoris acumen & ingenii ſubtilitatem attulit, cùm ab Apoſtolorum tempore auditum non ſit aut ſcriptum reperiatur quemquam ad populum eandem concionem habuiſſe tot actam diverſis linguis cunctâ exponendo.* Quæ quidem verba, ni

r In Notis ad decretum Gundemari pag. 288. in editione Concil. *Hiſpaniæ*, & Concilior. editionis noviſſimæ tom. 2. par. 2. pag. 233. Garibay lib. 13. cap. 4.

ni fallimur, antiquitatis percussa videntur notâ. Sed quod sequitur de obtento ibi superioritatis adversus ceteros omnes Hispaniarum Archiepiscopos privilegio, ex Honorii Tertii, qui Innocentio successit, literis, ad Rodericum Toletanum & antistitem Bracarensem datis, unde pendere adhuc tempore illo caussam liquet, falsi convincitur [s].

[s] In edit. Concil. ultima Parif. tom. 2. par. 2. col. 144. & 145.

23. In patriam reversus, regia castra, quandocumque bellum Dei hostibus inferretur, omnium primus (moribus id honestum & sanctum existimabatur) sequutus fuit [t]. Sub Ferdinando III. Rege sancto nihil absque eo magnæ rei gestum invenire se Joannes Mariana ait lib. 12. cap. 12. In urbe Toleto templum maximum antiquo disjecto ædificare cœpit [x], quod urbis nobilissimæ decus & ornamentum vel hodie præcipuum est. Post emensum verò longum vivendi ac de omni posteritate bene merendi spatium, anno sæculi quadragesimo quinto Lugdunum Galliarum ad Concilium profectus, quod eò convocaverat Innocentius IV. præcipuè adversus Friderici Imperatoris II. contumaciam, è conventu isto breviter absoluto dimissus, dum secundo Rhodano patriam versus navigaret, seu maris jam potitus, vitæ cursum absolvit [y]. Cadaver ejus ad nos delatum Hortenses monachi Cisterciensis ordinis in Castellæ & Aragoniæ regnorum confinio positi, honorificentissimo sepulchro tumulavere; quod hodie incorruptum, post quatuor, & ampliùs, sæcula, vestibus etiam illibatis, magna cum sanctitatis, miraculorum argumentis quampluribus sustentatæ, famâ, in præcipua veneratione est.

[t] Monent Mariana lib. 12. cap. 4. Surita lib. 2. Annal. c. cap. 67.

[u] Mariana lib. 12. cap. 11. & 12.

[x] Mariana lib. 12. cap. 12.

[y] Mariana lib. 13. cap. 5. Garibay lib. 13 cap. 4. qui tamen ait obiisse in Hortensi monasterio, Ægidius Gonzalez Davila ubi proximè laudandus, Balthassar Porreño Vida de santa Librada. Escolanus Hist. de Valencia 2. par. lib. 2. cap. 3.

24. Viri maximi historiam exhibet eò venientibus hoc epitaphium lapidi insculptum [z]:

Angelicis manibus ad sidera tollitur iste
Cœli nominibus sociandus, laus tibi Christe.
Continet hæc fossa Roderici corpus & ossa,
De cujus morte soli bene contigit Hortæ.
Præsidum, gemma, totius gloria gentis,
Lux, decus Hispaniæ, verus fons, arca sophiç;
Et pius, & mitis, cunctis uberrima vitis
Exstitit alumnis, caruit sua vita calumnis
Mater Navarra, nutrix Castella, Toletum
Sedes, Parisius studium, mors Rhodanus,
Horta
Mausoleum, cœlum requies, nomen Rodericus.
Bis quater adde fuit, erit constructio plana.
Anno Domini MCCXLVII. obiit Archiep. Toletanus quarto Idus Junii.

[z] Ægid. Gonzalez Davila in Theatro Eccles. Seguntina 1. volum. Theatri Eccles. Hispaniarum pag. 318.

25. Unde emanavit aliorum opinio decessisse eum hoc anno MCCXLVII. non, uti suprà diximus, & ex habiti Lugdunensis Concilii tempore colligitur, XLV. Roderici elogia quærenda sunt apud nostros historicos [a].

[a] Garibay lib. 13. Comp. histor. cap. 4. Mariana lib. 13 cap. 5.

26. Venimus jam ad monumenta literarum ab eo relicta, quorum pars aliqua adhuc inedita est, scilicet:

Breviarium Ecclesiæ catholicæ compilatum à Roderico Toletanæ Ecclesiæ sacerdote. Hic libri titulus, cujus initium est: *De opere primi diei. Rerum principium creavit Deus in principio, dans rebus principium, quod est à principio sine principio* &c. Continetur hoc opus quodam satis grandi volumine, quod fuit collegii S. Ildephonsi Complutensis, novem divisum partibus, & propriè est *Historia veteris & novi Testamenti*, usque ad Ascensionem Dominicam, & Apostolorum divisionem, qualis Petri Comestoris *Scholastica historia* est. Hæc autem Roderici nostri prolixior aliquantò; quam præcedit prologus etiam prolixus. Opus est historicum, theologicum, & philosophicum, sanè doctum & eruditum, nec planè inelegans, si captum illius temporis consideremus; quandoque tamen subobscurum adeò, ut sæpè acumen legentium eludat. Scriptum fuisse postquam auctor *historiæ Arabum* incumberet, ex his verbis ejus, dum de Hismaël & Agare agit, liquere credimus. *Sed de his, & de genere Hismaël, si Dominus dederit, in alio volumine proposui prosequi, & genealogiam, & facta suorum.*

27. De omnibus his certiores facti sumus literis D. Joannis Lucæ Cortesii civis nostri eruditissimi, ac judicii ad unguem facti, in curia nostra Matritensi litium judicandarum olim Duodecim-viri, nunc Indiarum senatûs patris, penes quem liber est. De alio autem operis hujus exemplo in regia Escurialensi bibliotheca servato, Laurentii Cocci Umbri, qui apud nos diu vixit, conquirendis & examinandis monumentorum reconditiorum arcanis intentus, diemque suum obiit, quædam nota in schedis ejus à me reperta aurem vellit. De Roderico enim ait: *Scripsit aliud opus hujus tituli*, Historia catholica, in qua figuræ utriusque Testamenti conferuntur, *ut legitur in catalogo regiæ bibliothecæ D. Laurentii in Escuriali confecto anno MDLXXVI. Tit.* Historici MSS. Latini *in folio, scriptione veteri, numero 123. in quo, loculo sive numero 123. comprehenduntur libri seu codices quinquaginta quatuor.* Hucusque nota Cocci.

28. Sed quæ lucem viderunt, & viri famam sustinent, sequentia sunt:

I. *Rerum in Hispania gestarum Chronicon*, quomodo editiones præferunt, sive, ut nos existimamus, *historia Gothica*. Hoc enim, nec alio appellat nomine auctor in *historię Arabum* capp. 32. & ultimo. Nec alio titulo insigniuntur veteres quique codices. Hęc primùm subjecta prælo fuit Granatæ anno MDXLV. in folio, & quidem Xanti Nebrissensis, Antonii filii, operâ, valdè tamen vitiata, adeò ut Joanni Vasæo hanc eandem Spartam ornaturo, ut ipse conqueritur [b], passim sistendum, aut aberrandum fuerit, nisi in codicem non paullò emendatiorem hujus historiæ ab Henrico Cardinali Portugalliæ sibi communicatũ incidisset, unde ait innumeros locos in codice suo se restituisse, ac propemodum videri sibi suæ eum integritati reddidisse. Prodiit deinde auctior & correctior in systemate auctorum *Hispanię illustratę* [c] Andreæ Schoti clarissimi viri, de Hispaniaque optimè meriti, industriâ. Habemus nos hujus historiæ varias lectiones è duobus codicibus MSS. altero sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, & altero monasterii S. Joannis Regum ejusdem urbis, cum quibus anno MDLXVI. editam historiam contule-

[b] Chronici Hisp. cap. 4. & 6.

[c] Volum. 2. & pag. 25.

tulere Joannes Lopez de Leon, & Franciſcus de Mendoza, Petri filius, qui, ut ibidem annotatur, in Goletam arcem Tunetani portus, quo die ductu & auſpiciis Caroli V. Imperatoris capta fuit, primus irrupit.

29. Liber hic noſter in ejuſdem Laurentii Cocci, non ita pridem laudati, mancipio fuit, à quo notatum invenio, codicem, de quo dictum eſt, Eccleſiæ Toletanæ his numeris 29.25. ſignatum eſſe; quo adjutus ipſe Rodericianam hanc hiſtoriam edere cogitabat. Neque hanc notitiam rerum antiquarum, veterumque librorum amore captis celare debui. Extare autem MS. hujus hiſtoriæ codicem auctoris olim proprium, ejuſque notationibus ad oram ſcriptis illuſtratum, in cœnobio S. Mariæ Hortenſis, in quo Rodericus jacet, docuit nos in ſchedis ſuis Alphonſus Ciaconius. Ex quo, vel ſimili alio emaculato exemplo, Hiſpanicam verſionem hujus hiſtoriæ factam fuiſſe ait, quæ edita fuit. Exemplum quoque bene antiquum Matriti ſervat Marchio Mondexarenſis, in quo eſt & *hiſtoria Romanorum*, de qua infrà: aliudque non minoris antiquitatis D. Joannes Lucas Corteſius: quod libris tantùm, non capitibus conſtat. In quo libro MS rariſſimum, valdeque notatu dignum eſt, nuncupationem Ferdinando III. Caſtellæ ac Legionis Regi factam legi cum titulo etiam Luſitaniæ Regis, ita ſcilicet: *Regi Caſtellę & Toleti, & Legionis, & Gallicię, Cordubę, Murcię, Luſitanię, & Gienii.*

30. Nuncupavit Rodericus Chronicon ſuum Ferdinando (B. Ferdinandum jam lætabundus Chriſtianus orbis appellat) Regi Caſtellæ, Toleti, Legionis, & Gallęcię, Cordubæ, atque Murcię. Unde colligere datur ſcriptionis tempus fuiſſe poſt captam Cordubam, anno ſcilicet MCCXXXVI. immo & Murcię Regem in fidem receptum anno MCCXLI. & ante recuperatam anno MCCXLVIII. Hiſpalim urbem, cujus in titulo iſto non meminit. Immo in fine operis abſolviſſe id anno Incarnationis Domini MCCXLIII. liquidè admonet. In epiſtola nuncupatoria, quâ Regem alloquitur, ſeſeque hoc opus juſſu ejus aggreſſum refert, notandum eſt *Dionis Gotthicæ hiſtoriæ*, ut ait, ſcriptoris, quo inter alios uſum ſe inquit, nomen. Addendus nempe hic eſt Voſſianis hiſtoricis Græcis, ignoratus aliis præterquam Jornandi, qui *De rebus Gotthicis* libro Dionem laudat, *qui hiſtorias Gotthorum annaleſque Gręco ſtylo compoſuit*. Quo quidem ſæpè idem Jornandes utitur, fortè jam non alibi quàm in hujus hoc opere, cùm hiſtoriam noſter Rodericus ſuam ſcribebat, quodammodo ſuperſtite. Iterum enim Jornandes recordatur Dionis, præcipuè his verbis [d]: *Dio hiſtoricus & antiquitatum diligentiſſimus indagator, qui operi ſuo* Gethica *titulum dedit*. & ſæpè aliàs.

d Pag 601.

31. Sed Rodericus laudat quoque alios, per quos profecerat in originibus depromendis Gotthorum, nempe lib. 1. cap. 9. Abavii deſcriptoris ejus gentis egregii (hic eſt Ablavius Gotthus) & *Joſephi Annalium relatoris veriſſimi, qui veritatis regulam, & cauſſarum origines retraxit fideliter*. quæ quidem vix eſt ut ad Joſephum Hebręum *hiſtoriæ Judaïcæ* ſcriptorem referri poſſint. Quid enim illi cum gente Gotthica, ut Rodericus Gotthorum originem, quam ex Ablavio profert probatque omiſſam apud Joſephum, uti & apud Iſidorum Hiſpalenſem, veluti incuſet? Sed ad Joſephum quod attinet, eatenus incuſatur apud Jornandem, per quem & Ablavii multa mentio fit in *Gethicorum* libro; & apud recentiores [e]; ex quo Jornandis opere omnia ferè ſunt, quę Rodericus de Gotthorum origine toto libro 1. & initio ſecundi uſque ad ſextum ſcribit. Conſequuntur in editionibus hiſtorię hujus peculiares alię illarum gentium, quę in Hiſpaniis pręter Gotthos dominatę ſunt:

e Voſſium *De hiſt. Latinis* lib. 3. par. 2. *De hiſt. incertæ ætatis.*

32. II. *Oſtro-Gotthorum*, quę cum altera *De rebus Hiſpanię* Franco-furtenſibus typis edita fuit anno MDLXXIX. in folio.

33. III. *Hunnorum, & Wandalorum, & Suëvorum, & Alanorum, & Silingorum.*

34. IV. *Arabum.*

35. V. *Romanorum*. Omnes hę ſimul editę ſunt cum *hiſtoria Gotthica* in corpore *Hiſpanię illuſtratæ* auctorum volum. 2. Sed Arabum illam correctiorem edidit Jacobus Golius unà cum Elmacini *hiſtoria Sarracenica*, laudans operam in utraque à Thoma Erpenio, viro de Arabica doctrina optimè merito, collocatam. Prodiit Lugd. Batav. anno MDCXXV. in folio. Ambroſius tamen Morales noſter lib. 11. cap. 13. Roderico abnegat barbararum gentium hanc hiſtoriam, ac potiùs credit alicujus eſſe Iſidoro antiquioris, à quo ille deſumpſerit ea, quæ ferè iiſdem verbis apud Iſidorum in ejuſdem tituli hiſtoriis, & hunc auctorem, qualis ille ſit, narrata legimus. Sed hujus ſui judicii non ullum argumentum profert. Id enim nullum eſt quo utitur; cùm potuerit Rodericus ex Iſidoro quædam, ut & facit in Gotthica hiſtoria, mutuare: mutuavitque ex Jornandis *Gethicorum* libro ea quæ diximus.

36. Joannes quoque Vaſæus videtur & hanc Severo cuidam tribuiſſe: conveniunt quippe quæ ex Severo is paſſim refert, cum hac hiſtoria [f]. Quem Severum, ſive de Sulpicio, ſive Aquilio, Morales intelligit, falſum in eo Vaſæum pertendens: antiquiores enim his quæ hìc narrantur duo illi, Sulpicius Severus, & Aquilius Severus, ſæculo & ampliùs fuere. In eadem hac re dubium ſeſe oſtendit Andreas Schotus [g]. Codex ille meus MS. qui continet varias lectiones è duobus codicibus vetuſtis MSS. poſt *Hiſpanam hiſtoriam* integram, has alias habet minores hoc ordine: *Hiſtoria Romanorum*, *Hiſtoria Hunnorum, Wandalorum* &c. *Hiſtoria Oſtro-Gotthorum*, *Hiſtoria Arabum*. *Hiſtoria Romanorum* habet prologum jam editum, qui incipit: *Quia direptiones Herculis* &c. unde clariſſimè apparet hanc, & quæ ſequuntur, omnes hiſtorias ejuſdem auctoris eſſe, qui *De rebus Hiſpanię* ſcripſerat, atque his aliarum nationum, quæ in Hiſpania dominatæ olim ſunt, quarumque res ibi geſtas veluti per tranſennam literis conſignaverat, origines pro complemento rei adjungere voluit. Nonne hęc ejus verba cùm auctorem eundem omnium eſſe, tum eo ordine,

f Vide Vaſæum ad ann. CDXX. & hiſtoriæ caput. 12.

g In Notulis ad hiſtoriam Roderici pag. 159. tomi 2. *Hiſp. illuſtr.*

quem

quem assignavimus, collocandas quatuor has historiolas planè convincunt? *Quia direptiones Herculis, quas gens misera pertulit Hesperorum, in superioribus capitulis declaravi, qui* [h] *Romani, qui Wandali, & Suëvi, Alani, & Silingi, & Arabes Mahometi, & qualiter Hispanias invaserunt, & quę ei multiplicata supplicia addiderunt, prosequi dignum duxi*. Ostro-Gotthorum historię non hîc meminit, eo quòd Ostro-Gotthi Hispanias non vexaverint, in Italia tantùm & alibi dominantes; Uti nec eorum recordatus fuit Rodericus noster in fine epistolæ ad Ferdinandum Regem historię *De Hispanię rebus* nuncupatorię; quę mirè cum his prologi hujus consonat.

h Ita, non quæ (in codd. Tolet. MSS.

37. Subjungit à Romanis exorsurus: *Romani quippe* &c. *quorum Reges successionibus prosequutus usque ad eos, qui Hispanæ calamitatibus* (fortè *calamitates*) *adjecerunt, genealogię eulogia supputavi, ut discat Hispania (quę Dei misericordiam persimilitoriè vix attendit) a tot tempestatibus jam respirans, quantum debeat divinæ gratiæ inclinari*. Sanè videtur hæc pars defuisse *Hispanæ historiæ*. Rodericus enim, si propositum habuit res in Hispania quocumque tempore gestas describendi, Romanorum in ea imperium, bellaque inter Hispanos & Romanos tamdiu tamque acriter continuata omittere vix debuit. Aut si *Gotthicam*, uti appellat, *historiam* tantùm, hoc est Gotthorum in Hispania res gestas, stylo comprehendere in animo habuit; (quod sanè videtur ex eo quòd leviter memoratis Hispaniæ antiquissimis incolis, primis nempe libri primi capitibus, in octavo per saltum transit ad Gotthorum origines inquirendas, eorumque cum Romanis, antequam ad nos venirent, progressus, quos usque ad cap. sextum secundi libri prosequitur) certè is conscius prætermissæ à se Hispanarum rerum tot annorum historiæ, peculiaribus his libellis supplere voluisse credendus est, quod ad Gotthicam, quantumvis Hispanam historiam, haud pertinere noverat.

38. Ita est, nec differt stylus & mos utendi poëtarum carminibus in designandis antiquitatibus, quod fecit Rodericus lib. 1. *De rebus Hispaniæ* per multa capita [l], & auctor hujus Romanorum historiolæ cap. 1. Interlucentque in hac Hispanismi, quos bene Rodericus, non verò antiquior alius, &, uti credebat Morales, ante Isidorum florens, committere potuit. Ut, *in casu discriminis adjuvarent*. Hispani dicimus: *en caso de peligro*. *Cum Ænea iterum iter fecit*. quasi dicere volens: prœlium inivit: Hispani: *Llegar à jornada*. Et, *Campi victoriâ jam obtentâ*. Hispani *campo* pro exercitu dicimus. Frequentes ad hęc sunt errores in digerendis Romanorum rebus, quales frequenter Rodericus in geographica re & in antiquis quibuscumque committere solet. At hanc historiolam codex MS. ille, quem diximus D. Joannem Lucam Cortesium penes se habere, *historiam Romanam de Regibus Latii* appellat.

l Nempe 1. 4. 5. 6. 9. 10. 12. 13.

39. Pone consequi hanc Romanorum *Historia Ostro-Gotthorum, Hunnorum, & Wandalorum, & Suëvorum, & Alanorum, & Silingorum* debet: una quidem atque eadem barbararum omnium harum gentium. Quam ab Ostro-Gotthis exorsus fuit, non quòd pars fuissent rerum Hispaniæ Ostro-Gotthi; sed ne ignoraretur de gente Gotthorum, quam illustratum ibat, quibusnam Regibus gestisque rebus ubivis claruissent. Ad quos veniens ait se *in alio libro successiones & acta Visi-Gotthorum* digessisse, *Gotthicam historiam* significans.

40. *Historia Hunnorum* à cap. 7. sequitur, in cujus prologo indicat iterum se, nec alium, esse eorum, quæ precesserunt, auctorem. *Quia stylo flebili* (ait) *nostræ gentis repetita excidia recitans, ad eorum tempora* &c. Et in fine, quòd *Gotthorum originem, gloriam, & processum in superiore volumine* declaraverit. De *Gotthica historia* intelligit, ubi latè de Gotthis egerat, non de *Ostro-Gotthorum*, aut alia ex his peculiaribus historiolis: uti & in cap. 7. *Hermanaricus* (inquit) *Rex Gotthorum, qui (ut superiùs retulimus) multarum gentium exstiterat triumphator*. Quæ verba desumpta sunt ex cap. 19. lib. 1. *Historiæ Gotthorum*, in cujus libri 18. capite hęc de Hermanarico enunciaverat. Similiter ait in eodem septimo capite: *Post quod bellum* (Catalaunicum) *de quo in superiore libro latiùs expressum est*. nempe cap. 8. libri 2. *Gotthicæ historiæ*. nusquam enim in pusillis istis gentium aliarum historiis hujus belli mentio exstat. Octavo etiam capite: *sed eorum* (Hunnorum, Gotthorum, Romanorum) *prœlia & processus in superiore volumine descripsi calamo latiore*. scilicet cap. 8. libri 2. ubi Rodericus iisdem verbis utitur quibus noster in describendo secundo Thurismundi Gotthorum Regis cum Attila pro Alanis prœlio [x].

x Attilæ Regis Hunnorum Vitam scripsit Juventius Cœlius Callanus Dalmata, quam exstare MS. penes se ait Thomasinus in *Bibliotb. Patav* MS. pag. 127.

41. Caput nonum *De Wandalis* inscribitur, ubi ait: *Wandalos autem Scythas fuisse superioris libri auctoritas protestatur*. *Historię* nimirum *Gotthicæ* cap. 9. lib. 1. cap. 12. Waliæ adversus Alanos victoriam verbis narrat ex lib. 2. cap. 7. ejusdem *Historiæ Gotthicæ* desumptis. Hîc & facit mentionem translatæ in Toletanam Carthaginensis Ecclesiæ metropoliticæ dignitatis, quod innuere Toletanis rebus obnoxium auctorem videtur. Ibidem & Arabum & *Andaluziæ* appellationis meminit, quæ pertinere nequeunt ad auctorem S. Isidoro ex suspicione Moralis antiquiorem.

42. Cap. 17. quod *De historia Alanorum* audit, historiam Alanorum sese ait superiùs enarrâsse: & cap. 18. quod *De regno Suëvorum* horum originem *superiore se opere* declarâsse; quibus non quidem jam ad Gotthicam, sed ad superiora hujusmet infestatricum Hispaniæ gentium historia, sive ad caput ejus nonum respexisse auctorem credimus. Caput 20. totum ferè desumptum fuit, aut ejusdem telæ est cum posteriore parte capitis noni libri secundi *De historia Gotthorum*, ubi de divisione Suëvorum Gallęciæ Regum in duas factiones agitur.

43. Cuncta hęc manifestè indicant peculiaria ista de nationum rebus commentaria, non ab alio quàm à Roderico, ut compleret Gotthicæ historiæ veluti lacunas, suppleretq; quæ in ea desiderari poterant, elucubrata.

De *Hiſtoria* enim *Arabum* adhuc manifeſtiùs conſtat ab auctore hoc eſſe, eodemque cæterarum, & *Hiſtoriæ Gotthicæ* ſcriptore. Prologus enim ait: *Quę calamitatum acervus* (lego *acervis*) *Hiſpania diſpendia ſit perpeſſa, in ſuperioribus, ut licuit, explicavi. Nunc de excidiis Arabum* &c. Fatetur quoque ſeſe *Gotthicæ hiſtoriæ* auctorem, dum ad eam ſe refert hujus cap. 32. & cap. ultimo.

44. Deſcriptæ hujus Arabicæ tempus ex eodem prologo palam deducendum ad Rodericum quoque nos manuducit. Nam de Hiſpania ait, *jam à quingentis triginta duobus annis & ultrà* à gladiatorum, hoc eſt Sarracenorum, gladio diſſecatam: qui numerus annorum adjunctus ſeptingenteſimo decimo quarto nati Redemptoris anno, quo Hiſpaniam invaſiſſe ab Africa Mauros vulgò magis exiſtimatur, annum elicit hujus ſæculi quadrageſimum ſextum. Quod mirè convenit Roderici lucubrationum tempori, & emiſſæ ante triennium in vulgus *Gotthicæ hiſtoriæ*, ut ſuprà diximus.

45. Retardat nos aliquantulum ſcrupulus, quòd ſcilicet, cætera omnia cùm aſſenſum urgeant, illud tamen non bene componi videatur cum feliciſſimis B. Ferdinandi temporibus, & juſtiſſimo imperio, his annis vigente, quod auctor in prologo *Romanorum hiſtoriæ*, quaſi de convulſo aliquo & peſſimo regni ſtatu paratragœdiatur. *Sed(proh dolor!) nec prępterita memoratur* (Hiſpania) *nec quæ accidere poterit pertimeſcit. Principes etenim & potentes volitis & libitis involvuntur, & perturbato ordine rationis enervant judicii veritatem, & procuratis injuriis conſuetudines violentę pro juſtitia inducuntur; & in partes juſtitiæ advocati id juſtum judicant, quod aures mulceat pręſidentis, & à ſummi judicis intuitu alieni oculos ſuos in terram ſtatuunt declinare; nec eſt qui pauperi condeſcendat, niſi familiari debito inducatur. Sed utinam Altiſſimus videat, & permittat, & non Hiſpaniæ miſeræ, ſed facientibus imputetur, & non luat univerſitas oppreſſorum, quod meretur iniquitas dominorum, & ceſſit* (lege *ceſſet*) *indignatio majeſtatis compatiens clamoribus paupertatis, qui faucibus* (an *auribus*?) *præſidentium ingeri non ſinuntur mediatorum rabie* • • • • • •

46. Et poſt brevem quandam lacunam: *Cùm enim cęteræ mundi provinciæ certis agariis ſeu pangariis* (*angariis* & *parangariis* emenda, juxta titulos utriuſque codicis *De curſu publico, angariis, & parangariis*, & vulgarem poſtea horum nominum pro quibuſcumque tributis & oneribus acceptionem [l]) *deducantur, Hiſpania miſera incertis oppreſſionibus cruciatur.* & quæ ſequuntur. Quæ quidem niſi ad quorundam procerum tyrannicas adverſus ſibi ſubditos vexationes, ſilentibus inter arma legibus, & oneratam ad immenſos belli ſumptus plebem tributis, reſpectum habuiſſe dicamus, rem non illius temporis, non illius Regis, ſignificare videntur. Lucas Tudenſis nonne hujuſmet temporis ſcriptor omnino fidem his derogat, dum inter alia, *in tanta pace* (inquit) *regnum ſibi ſubditum rexit, ut majores vel minores in aliorum res inſurgere non auderent*. Aliter enim vix potuit Rodericus, qui certiſſimè harum hiſtoriarum auctor fuit, ita Regi charus, perpetuuſq; ejus in acie comes, defectum juſtitiæ in publicis monumentis paullò pòſt publicandis ſic acribus verbis taxare ac deteſtari. Niſi tragica hæc lamentatio alicujus ætate inferioris ſit appendix oræ libri adſcripta Rodericianum prologum pro lubidine continuare, & ad ſua tempora, infelicia forſan & turbida, qualia hîc deſcribuntur, accommodare volentis. Quod facinoris genus exemplis non deficitur; & plerique hujuſmodi inſultus ab ora in auctorum textum facti paſſim deprehenduntur.

l Ut in Gloſſis Iſidori, Suida, & Matthæi Evangelio.

47. Planè ex his hiſtoriarum monumentis, quantumvis plura minùs rectè, in antiquis præſertim rebus, ſenſerit Rodericus, utpote qui Singilim Bęticæ fluvium (*Xenil* hodie) *Silinguium* vocat, ac à Silingis mutuâſſe nomen aſſerit cap. 12. *Hiſt. Oſtro-Gotthorum*, &c. Cęſar-auguſtam urbem Carpetaniæ adſcribit ejuſdem cap. 19. paſſimque in Romanis rebus ab Romanæ hiſtoriæ idoneis ſcriptoribus ſecedat; graviſſimus ante alios eſt, atque integer Hiſpanicarum rerum uſque ad ętatem ſuam ſcriptor, omneſque adivit vetuſtiorum ſe auctorum fontes; dignus equidem in quo major aliqua & accuratior docti alicujus ac diligentis viri, cui chara eſſet antiquitas, collocaretur opera, computus annorum, qui ſæpè fallit, obſervante Ambroſio Morali[m], quodque librariorum incuriæ Mariana adſcribit[n], adamuſſim veræ chronologiæ corrigeretur, in collationem vocato Roderici autographo, quem Hortæ in monaſterio Ciſterciensium ſuprà laudato ſe vidiſſe idem Morales prodidit[o], Vaticano item codice bene antiquo, pluſquam trecentorum annorum ni fallimur, quem Romę vidimus hanc ampliſſimam bibliothecam excutientes, qui n. 2007. ſignatus eſt, & fuiſſe Cardinalis D. Bernardini Caravaxalii, ex quadam huic præfixa nota, ſcilicet *Chronica de España Caravaxal*, non temerè ſuſpicamur.

m Lib. 16. cap. 10. & lib. 12. cap. 58.
n Lib. 12. cap. 3.
o Lib. 12. cap. 31.

48. Jornandis item hiſtoria *De rebus Geticis* cum Roderici Gotthicis libri primi & ſecundi collata invicem emendarentur. Cujus rei exemplum breviter dabimus. Rodericus ait lib. 2. cap. 8. Thuriſmundum Wiſi-Gotthorum Regem, antequam à ſuis per dolum interimeretur, *una manu parvo ganipulo, quem tenebat, ſui ſanguinis ultorem* fuiſſe. Unde corrigendus eſt Jornandes, à quo profecit Rodericus, qui pro *ganipulo*, *ſcabellum* habet, parum aptum inſtrumentum, quo, ut auctor iſte ait, inſidiantes aliquos exſtinguere poſſet. Legerim ego *ſcalpellum*: idem etenim ferè ſonat *ganipulum* Roderici, quo vocabulo paullìſper ad vernaculam detorto, *ganivete* nimirum pro cultello ſeu gladiolo, jam duobus ab hinc ſæculis uſos fuiſſe majores noſtros obſervavimus[p]. Scalpellum verò, quod reſtituendum Jornandi cenſemus, ferrum eſt exciſorium.

p Vide Theſaur. linguæ Caſtell. verbo *Ganivete*.

49. Expediret non minùs *Hiſtoriam Gotthicam* aliaſque conferre cum earundem in vulgarem linguam facta, ut fama eſt, à Roderico ipſo translatione; quæ, ſi alium non

habet

habet auctorem, eorum saltem quæ Latina ejus continet, continuationem à Roderici morte usque ad Ferdinandi Sancti mortem ab aliquo factam fuisse oportet. Atque ea quidem lucem sortita fuit anno, ut credimus, MCDXCV. Toleti. Manuscriptam vidit hanc translationem (quæ quidem plura habet, quæ in Latina desunt, omnia autem illa, quibus Latina constat, habet; ut solent operum suorum interpretes passim ac liberè divagari à prototypo, & quælibet adjungere) Joannes Pineda Hispalensis Societatis Jesu [q], membranaceo codice, qui Marchionis de Tarifa erat, quadringentis septuaginta octo foliis descriptam.

50. Hunc codicem à laudato Marchione donatum fuisse monasterio S. Hieronymi Hispalensis urbis, quod Cartusianis per errorem attribuit, indeque exemplum à se procuratum, D. Laurentius Ramirez de Prado in Notis ad Luitprandi Chronicon [r] scriptum reliquit. An id exemplum è supellectile Ramirezii libraria coëmerit vir summus D. Petrus de Guzman, Castellæ senatûs præses, Marchio de Montalegre ac de Quintana, Comes de Villa-umbrosa, penes quem quoddam esse ajunt, moneri cupimus. Planè in eo codice, simul cum omnibus his Roderici historiis Gotthica, barbarorum, & Arabum, aliud anonymi opus, *Conquista de ultra mar*, ò *de la Tierra santa*, nuncupatum, de quo paullò pòst dicemus, descriptum legitur. Asservatur & in Toletanæ Ecclesiæ bibliotheca, ut ex catalogo ejus, quem manu exaratum habemus, constat. In quo codice annotatum scimus Jo: Baptistæ Perezii Toletani canonici doctissimi [s] manu, hanc esse Roderici Historiæ interpretationem Hispanam, quæ ex stylo videtur ejusdem temporis esse, quo scripta fuit Latina. Interpretem verò plura è penu sua addidisse, quæ magnam historicæ veritati, cùm in Latina desint, lucem afferunt. Quare libro eximiam utilitatis laudem consignat Perezius, magni judicii, & insignis eruditionis nomine vir clarissimus.

51. Nec parum attinet scire visam olim à D. Thoma Tamajo de Vargas regio Philippi IV. chronographo interpretationem hanc è Latino vernaculam, in cujus vestibulo hæc habentur: *trasladola* (æquivocum hoc nomen est inter nos, haud minùs ad interpretationis, quàm ad descriptionis operam referri pronum) *por mandado del Duque de Alva, Marques de Coria, Joan de Canal clerigo en Tale arrabal dela villa de Salvatierra de Tormes*. Hoc est: *Transtulit*, sive malis, *descripsit*; *jussu Ducis de Alva, Marchionis de Coria, Joannes Canal presbyter in Tale suburbio oppidi Salvatiera ad fluvium Tormes*. Cui Joanni deferendam iccircò esse translationis laudem nullus credo. Translator enim fidum interpretem, non paraphrasten, seu potiùs sic locupletem amplificatorem, qualis hic est, agere debuit. Planè haud hic est Gaufridus Toletanus archidiaconus, qui Roderici historiæ *De Hispaniæ rebus* continuationem, eorum, quæ sub Alphonso X. Ferdinandi filio, contigerunt, adjecisse dicitur; de quo nos alibi. Absolvam de historia hac, si dixero, epitomen ejus quandam incerti auctoris in membranis ducentorum annorum exstitisse inter Antonii Augustini Tarraconensis præsulis libros MSS. in catalogo ejus me legere. Ad alia ejus pergimus.

52. VI. *Relationem* Hispanâ linguâ scriptam *victoriæ*, *quam à Sarracenis ad Navas Tolosæ in Bætica Alphonsus Rex VIII. Castellæ anno hujus sæculi duodecimo reportavit*. Quam cùm Latinè descripsisset pluribus octavi libri capitulis, vernaculam nihilominus relinquere voluisse dicitur. Atque eam inseruit *Annalibus suis urbis & regni Giennensis* [t] Martinus Ximena Juratus, desumptam è pergameno libro sodalitatis sanctæ Crucis oppidi de *Bilches*: quę quidem sodalitas constanter jactare solet, & quòd penes eam sit ipsum id crucis signum, quod Rodericus præsul prę se in eo prœlio ferebat, & quòd memoratam *Relationem* à decessoribus eorum acceptam quatuor jam sæculis, & ultrà, possederint: quod & annotatum habemus à Josepho Moreto Jesuita, eximio hujus ęvi historico [u].

53. VII. Tractatum quoque *De primatia Ecclesię Toletanę* circumferri ejus nomine auctor est Joannes Mariana lib. 12. cap. 4.

54. Frustrà autem sunt [x] qui eidem Archiepiscopo vulgaris linguę historiam *De Ferdinandi Regis gestis rebus* attribuunt; cùm ea ferè descripta sit ex historia, quam appellant, *Generali*, Alphonsi ejus filii jussu & auspiciis formata, de quo nos monuit qui ejusdem Ferdinandi adornare historiam pergit, dum hęc scribimus, D. Jo: Lucas Cortesius, jam laudatus, vir apprimè eruditus, & veri amans.

55. Exstant in codice illo, quem suprà laudavimus, monasterii S. Joannis Regum Toletanæ urbis, unà cum Roderici memoratis operibus, peculiares aliæ lucubrationes; quas ut eidem auctori adjudicemus, ea monent quæ in eorum singulis annotabimus. scilicet

56. VIII. *Chronica omnium Pontificum, Imperatorum Romanorum, ubi anni eorum ponuntur, & notabilia facta eorum, & distinguitur quis Papa, quo Imperatoris tempore, incipiens à Christo, qui fuit primus & summus Pontifex, & ab Octaviano Augusto, qui ejus tempore imperavit, & vadit usque ad Innocentium Papam III. & Fredericum Imperatorem*. Incipit: *Dominus noster Jesus Christus* &c. In exemplari meo ab isto codice Toletano exscripto, primâ paginâ Pontificum, atque è regione Imperatorum series ponitur; idemque ordo alternis paginis servatur. Innocentius III. ultimus est, quem cum elogio celebravit auctor, carmine Leonino ac verè barbaro, quod ait Martinum Episcopum Zamorensem composuisse. Hic est D. Martinus Arias, qui per hæc tempora huic præfuit Ecclesiæ [y]. Cujus Innocentii memoriæ adjunxit auctor quatuor aliorum Pontificum nomina tantùm, sic: *Post hunc Honorius*, *post Honorium Gregorius*, *post Gregorium Cœlestinus*, *post Cœlestinum Innocentius*. qui omnes unus post alium successores fuere Innocentii, nempe Honorius III. anno MCCXVI. Gregorius IX. qui MCCXXVII. Cœlestinus IV. qui MCCXLI.

q Ut ipse ait in *Memorials de la Vida del santo Rey D. Fernando*.

r Pag. 590. in omissis.

s *Esta es la Historia de D. Rodrigo Arzobispo de Toledo, y es en Romance, y segun su manera y estilo, debiera de ser de aquel tiempo: y en trasladar añadió muchas cosas el trasladador de suyo, y dan gran luz à la verdad de la historia, que no estan en la Latina. Y assi este libro es de muchissima estimacion.* Hæc Perezius, uti ex schedis Laurentii Cocci, qui descripsit, constat.

t Pag. 26. & sequentibus

u *Investigaciones del reyno de Navarra* lib. 3. cap. 9.

x D. Josephus Pellizerius in *Memor. de la calidad, y servicios de Don Fernando de los Rios*. fol. 17. num. 11. in margine.

y Ægid. Gonzalez Davila in *Theatro Zamor. Ecclesiæ* pag. 400.

MCCXLI. Innocentius IV. qui MCCXLIII. ad cathedram Romanam promoti. Supervixit autem Innocentius IV. Roderico noſtro, uti & Fridericus II. Imperator, qui anno obiit MCCL. unde ordo Pontificum in Innocentio, & Imperatorum in Friderico, deſinens, palam evincit opuſculi auctorem illis viventibus id ſcripſiſſe.

57. Laudat is in mentione Juſtiniani II. Gotfridi *Pantheon*, & in Friderici I. Aënobarbi, hiſtorias ejus, quæ *Fridericæ* (ait) vocantur. Potuit quidem utrumque opus laudare Rodericus noſter; cùm Godefridus Viterbienſis *Pantheonis* [z] auctor ſub eodem Friderico I. & Henrico ejus filio, ad annum uſque MCLXXXV. floruerit: *Fridericæ* autem ille *hiſtoriæ* abſque dubio Othonis Friſingenſis Epiſcopi duo libri ſint, quos *De geſtis Friderici I.* [a] fideliſſimè ſcripſit, atque anno MCLVIII. aut ſequenti è vivis eceſſit. Hæc eadem Chronica Pontificum & Imperatorum poſt hiſtoriam Gotthicam Roderici in codice legitur venerandæ antiquitatis (quóde ſuprà diximus) D. Joannis Lucæ Corteſii.

[z] Editi à Piſtorio inter Rerum German. ſcriptores

[a] Voſſius De H. L. lib. 2. cap. 53.

58. Sequitur in eodem codice Toletano VIII. *Provinciale* quoddam (ſic enim appellare poſſumus, cùm inſcriptione careat) *cathedralium Eccleſiarum totius orbis*. Incipit: *Iſti ſunt Epiſcopi ſub Romano Pontifice, qui non ſunt in alterius provincia conſtituti. Oſtienſis, Portuenſis*, &c. cujus quidem germanus eſt *codex Provincialis vetus* &c. quem Haubertus Miræus è libro Cancellariæ Apoſtolicæ excerptum edidit lib. 2. *Notitiæ Epiſcopatuum orbis Chriſtiani*; idem cum *Provinciali Romano*, quem publicavit, unà cum *Praxi Cancellariæ Apoſtolicæ*, Hieronymus Paullus Barcinonenſis. Sed noſtrum, de quo loquimur, à Roderici manu eſſe, illud indicat, quòd cùm in Hiſpania Cordubenſis Epiſcopatûs mentionem faciat, Hiſpalenſis tamen non recordatur: quippe qui poſt recuperationem Cordubæ urbis, & ante liberatam à jugo Maurorum Hiſpalim, hoc eſt inter annos MCCXXXVI. & MCCXLVIII. ab auctore ſcriptum. Expediret utique cum libris Provincialibus, è quibus Miræus profecit, noſtrum hunc, atque item alium bibliothecæ Viennenſis conferre, quem, quòd à Miræano haud parum diſcrepat, editurum ſe ante paucos annos promiſit vir doctrina & induſtria ſingulari Petrus Lambecius lib. 2. comment. *De bibliotheca Cæſarea* cap. 8. [b]

[b] Pag. 931.

59. Hactenus de Roderico Toletano antiſtite. Cujus tamen interpretem quendam ab eo ſegregare, quamvis ævo aliquantulum inferiorem, hujus tamen ejuſdem ſæculi, piaculum ſit. D. PETRUS is eſt RIBERA DE PERPEJA Catalanus, ut videtur, qui Roderici Toletani *Hiſtoriam* univerſalem *Hiſpaniæ*, & peculiares alias Romanorum, Gotthorum, Wandalorum, Silingorum, & Arabum, poſt vicennium ab earum publicatione, Catalano, ſeu, quod idem eſt, Provinciali, (*Lemoſino* vulgò dicunt) Catalanis vernaculo convertit ex Latino auctoris. Profeſſus fuit nomen ipſe ac tempus in *Hiſtoria Arabum* his ejus idiomatis verbis: *Aqueſta obra ſo feta en lany de la encarnació de Jeſu Chriſt MCCXLIII. en lany que on contava de la era MCCLXXXI. en lo veyntyſeys any del Rey Ferrando; e ſo feta en Romans per en P. Ribera de Perpeja, que la feu ne ſegons ſon poder en lany que on contava de Jeſu Chriſt MCCLXVI. en temps del Rey noble en Jacme Deragó & de Valencia, & de Mallorca, lo qual morì en lo ters dia de S. Jacme de Joliol en la ciutat de Valencia*. Vides ut *Romans* vocat interpres vernaculam gentis, è Romana ſive Latina lingua converſam, linguam; quomodo & Caſtellani, & Galli, & Itali faciunt, nomine ipſo agnoſcentes dialectorum, quibus utuntur, fontes.

60. Hanc verſionem penes ſe habuit D. Franciſcus de Urrea Aragoniæ chronographus, cujus copiam fecit Joanni Franciſco Andreæ Uſtarrozio, qui in munere iſto ei ſucceſſit, ex quo nos didicimus. Sed laudatus Uſtarrozius ſuſpicabatur hanc eandem eſſe cum ea hiſtoria, quam Hieronymus Surita lib. 11. cap. 51. & 63. *Annalium* tamquam Jacobi Regis tempore conſcriptam, iis ipſis rebus adductis laudat, quæ in hac verſione reperiuntur. Ita ille ad me datis literis. Quæ ſi vera ſint, utpote à probatæ in aliis fidei viro profecta, oportet utique factum, ad ea quæ Roderici ſunt, adjeciſſe nonnulla interpretem. Hæc enim quæ Surita ex Catalana hac hiſtoria dictis locis adducit de Petro, Jacoboque ejus filio, Aragoniæ Regibus, in Rodericiana minimè ſunt.

CAPUT III.

De LUCA TUDENSI *Epiſcopo. Eum veroſimiliter fuiſſe auctorem egregiè facti, quod anonymo cuidam ipſe attribuit. De ejus patria, & Chronicorum libris, Iſidorianum cum ejus appendicibus SS. Ildephonſi & Juliani continuantibus, atque eorundem Chronicorum vernacula translatione. De opere ejus alio* adverſus Albigenſes, *atque item* Vitâ S. Iſidori Hiſpalenſis præſulis, *&* ejuſdem translationis hiſtoriâ, *vulgarique hujuſmet hiſtoriæ verſione. De* ANONYMI *hujus ævi æqualis alia hiſtoria inedita. De* ANONYMO *altero, qui* De rebus Caſtellæ ac Legionis *ſcripſit. De* VITALE CANELLAS *Oſcenſi Epiſcopo, Aragoniæ legislatore. De* BERNARDO *Compoſtellano archidiacono, & quinque decretalium epiſtolarum ante Gregorianam collectionem auctoribus: quarum tertia, aliàs Romana, Bernardi eſt, ab Antonio Auguſtino edita. Ejuſdem opera alia laudantur. Diverſum eſſe* BERNARDUM *alium theſaurarium ejuſdem Compoſtellanæ Eccleſiæ. De* JOANNE DE DEO, *ejuſque* Cavillationibus, *ſive* correctione cavillationum Huberti de Bovio, *& aliis ineditis.* PETRUM, JOANNEM, *ac* VINCENTIUM *Hiſpanos in Canonum explanatoribus circa idem tempus laudari. De* ANONYMO *quodam, qui ſcripſit* De rebus in Portugallia geſtis, Gotthorum excidio, *&* Chriſtianorum ſub dominatione Maurorum vivendi forma. *De* ÆGIDII *Luſitani, Dominicanorum ſodalis, quadam epiſtola. De* PETRO FERDINANDI, *Vitæ S. P. Dominici hiſtorico, ac* THO-

MA

MA DE TEMPLO *ejusdem ordinis Dominicani*. *De* BARTHOLOMÆO *quodam ejusdem instituti sodali, auctore cujusdam* Summæ grammaticalis. *De* PETRO DE AMERIO *ex Mercenariorum ordine*. *Deque* ALVARO DE LURIA ET MENDOZA *ex equestri militia Calatravensi*.

61. DISJUNGENDUS non est à Roderico Toletano LUCAS Episcopus TUDENSIS, quippe ejusdem temporis, ejusdem dignitatis, sub iisdem ambo Regibus Alphonsis duobus & Ferdinando, & eximius uterque ac celeberrimus apud omnes famâ & historiarum de rebus nostris scriptarum laude, quæ nomen eorum æternitati consecravere. De patria Lucæ nil est quod dicamus certum: sed cùm in Legionensis urbis S. Isidori Ecclesia canonicus fuerit regularis; non malè colligimus inde aut è vicinia originem sortitum. Quod in sequentibus conjecturâ aliâ ex ejus monumentis confirmabimus. Diaconus cùm esset, eruditionis, religionisque studio, ut Joannes ait [c] Mariana, *Romam, Constantinopolim, ipsamque Hierosolymam abiit*, quo tempore vanissima in eadem urbe Legionensi superstitio Arnaldum quendam hæreticum, ex Albigensium, ut credimus, fæce, ante sedecim annos defunctum, sanctissimum martyrem acclamantium vires alere, & magna eum Christiani populi turbatione reclamantibus piis ac religiosis hominibus, grassari cœpit.

[c] Lib. 12. cap. 1. & 12.

62. Quo nuncio excitus diaconus quidam qui tunc Romæ versabatur, zelo Dei accensus in patriam repedavit, ut increbrescenti malo pro virili obviam iret; veniensque, piis officiis, comminationibus, promissionibusque largè dispensandæ à Deo, statim atque superstitiosus cultus damnati hominis abolaretur, arescentibus campis pluviæ, id tandem evicit, ut ejectis hæreticis, prisca rediret urbi spiritualis pacis serenitas. Id quod latiùs memorans in eo opere quod *Contra Albigenses* scripsit Lucas noster, qui se aliàs diaconum nuncupare solet, nec proprium viri sic in Dei caussa efficacis & strenui nomen, quod ignorare vix potuit, adjungens, videtur mihi tecto modestè suo nomine proprium factum narrare voluisse. Quod si admittimus, præterquam quòd hujus diaconi in patriam ab Roma urbe reditus Legionenses Lucæ natales confirmare videtur, quod suprà innuimus; cùm Roderici Legionensis Episcopi, cujus obitus superstitionem præcessit, memoria, usque ad eram MCCLXXV. vel annum Christianum MCCXXXVII. ut ex epitaphio ejus [d] & monumentis aliis liquidum est, duret; vero mihi videtur simile, statim ab hac pia pro negotio fidei pugna, quam his diebus decertavit, & quasi in præmium servatæ patriæ, vacanti Tudensi sedi Lucam fuisse præpositum. Hoc enim fungebatur munere anno hujus sæculi nono suprà tricesimum; fortè ex ejusdem Ecclesiæ scholastico (hanc enim dignitatem gessisse ante Episcopatum, immo & cum Episcopatu ipso, refertur [e]) assumptus. Nec ante quinquagesimum decessit è vivis. Olim verò, cùm & diaconus tantùm audiret, & in laudata Legionensi S. Isidori Ecclesia canonicum ageret; propter insignem eruditionem delectus fuit à lectissima omnium sui temporis Reginarum Berengaria, B. Ferdinandi III. parente, qui de rebus Hispaniæ commentaretur. Scilicet hujus Reginæ jussu scripsit

[d] In Theatro Eccles. Legionen. Ægidii Gonzalez Davila.

[e] Sandoval *Obispos de Tuy*. Ægid. Gonzalez in *Theatro Eccles. Tudensis*.

63. *Chronicon Hispaniæ*, sive *Chronicorum libros à B. Isidoro, & à quibusdam aliis peritis de historia Regum Hispanorum & quorundam aliorum editos*. ut ejus utar verbis in hujus præfatione. Qui ipse in alio, quod sequitur, prooemio *De excellentia Hispaniæ*, manum jam se mittere ait *ad libros Chronicorum à doctore Hispaniarum Isidoro editos*, prosequuturumque *secundùm quosdam alios auctores Hispanorum Regum*, & *quorundam aliorum seriem*. Constat enim opus ex Chronico prædicto S. Isidori, atque eo quidem luculentiore, quàm Isidorianum vulgare est, de quo jam in Isidori rebus conjectati sumus, quo primus liber clauditur. Secundus continet ejusdem sancti doctoris Wandalorum, Suevorum, & Gotthorum historias. Tertius *Continuatio* audit *Chronicorum B. Isidori per B. Ildephonsum Archiepiscopum Toletanum composita*. cujus telæ suam annectit Lucas. *Divisione* interim *Hispaniæ Ecclesiarum atque diœcesum*, quæ Wambanem præfert auctorem, deinde Juliani Toletani Episcopi libro *De ejusdem Wambanis expeditione adversus Paullum* rebellem, insertis. Quæ sequuntur in eodem tertio libro, & quarto integro, Lucæ omnia sunt, pertinguntque usque ad expugnationis Cordubæ urbis tempus, quæ an. MCCXXXVI. sub gloriosissimi ac B. Regis Ferdinandi ditionem venit.

64. Hanc historiam *ingenio styloque non ineleganti*, *neque prorsus vasto*, conscriptam, Joannes ait Mariana [f] auctorem hunc & Rodericum Toletanum, qui *non ad voluptatem aurium*, *sed ad memoriam & judicium posteritatis scripserint*, *quàm à deliciis longè*, *tam ab ineptiis & mendacio procul abfuisse*, Alphonsus Garsias Matamorus existimat [g]. *Pro illo seculo non pœnitendum* Joannes Vasæus vocat [h]: *Sed vel temporum vel scriptorum vitio ita depravatum*, *ut non facilè queat à quovis intelligi*. Habemus nos exemplum è codice bibliothecæ S. Ecclesiæ Toletanæ à Joanne quodam Lopez de Leon fidelissimè descriptum, & à descriptore recognitum anno MDLXVI.

[f] Lib. 12. cap. 12.

[g] *De Academ. & doctis Hisp. viris.*

[h] *Chronico Hisp.* cap. 4.

65. Certè hanc historiam seu Chronicon in vernaculam vertit linguam, an ipse auctor, an alius aliquis? quod non facilè dixeris. Mihi postremum placet, atque interpretis operam esse; quòd non, ut Latinum opus, in captione urbis Cordubæ Hispanum desinat, sed ad mortem usque B. Ferdinandi, & initium Alphonsi sapientis, Regum, pertingat. Translatio autem id non tacere debuit, mantissam adjunctam hanc Lucæ Historiæ; ne retenta *diaconi* appellatio, & ad Berengariam Reginam directio vetus operis, crucem figeret legentibus in fine historiæ ea quæ diu post susceptas à nostro Luca Tudenses infulas, Berengariamque fato functam contigere.

66. Hi-

67. Hiſpanę hujus hiſtorię exempla quędam laudantur MSS. quoddam ſcilicet in bibliotheca ſereniſſimi S. R. E. Cardinalis, atque Hiſpaniarum Infantis Ferdinandi, olim fuit; & fortaſſe nunc eſt penes excellentiſſimum Comitem *de Villa-umbroſa & Montalegre*, ſupremi ſenatûs Caſtellæ præſidem: alterum in Cartuſianorum Hiſpalenſium libris. Latinę autem codice ſatis antiquo atque correcto (quem à ſummo viro Benedicto Aria Montano mutuò habuit) uſum ſe eſſe Ambroſius Morales affirmat [l]. Hęc prodiit primum in ſyſtematis *Hiſpanię illuſtratę* volumine quarto, Franciſci, Andreę fratris, Schoti operâ. In codice Vill-umbroſano, cujus nuper meminimus, hiſtorię hujus, exſtare etiam, liber, elenchus, ſeu index ejuſdem bibliothecę ait, hiſtoriam *De la conquiſta de la tierra ſanta por el miſmo Arzobiſpo D. Rodrigo*. ubi forſan ſubſtituendum Lucę Tudenſis nomen eſt, atque ei hęc hiſtoria tribuenda.

l In *Prolegom.* tom. 2. tit. *Las ayudas*, &c. fol. 19.

68. II. *De altera vita, fideique controverſiis adverſus Albigenſes* tribus libris. Quod opus Joannes Mariana Societatis Jesu primus, adjunctis Notis, in lucem prodire fecit. Exſtat idem editum cùm Monachii, tum Ingolſtadii MDCXII. in 4°. unà cum ſuccedaneis aliquot *Scriptoribus contra Waldenſes*, necnon in *Bibliotheca veterum PP.*

69. III. *Vitam S. Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi*. Quam ante aliquot annos in *Actis Sanctorum Aprilis*, quarta die hujus menſis, à me acceptam, Godefridus Henſchenius Danielque Papebrochius Antuerpienſibus typis edidere, unà cum brevibus meis ac propriis eorum Notis, ac mea item epiſtola: in qua cùm conjectatus fuiſſem vix videri, ut eundem vita hæc & Chronicon vocare auctorem poſſent ob diſcrepantiam in iiſdem rebus utriuſque operis, ſtylique differentiam; nunc ſiſto, & doctiſſimorum hominum ſententiam non improbo; potuiſſe hanc differentiam ætatis maturioris aut provectioris varietate excuſari; non adeò tamen ut Epiſcopus jam Tudenſis Chronicon Lucas, quod ajunt, ſcripſerit, qui *diaconum* ſe ad Berengariam id mittens nuncupavit. Annexa eſt planè huic Vitæ in codice Toletano noſtro

70. IV. *Translationis S. Iſidori Epiſcopi Hiſpaniarum primatis hiſtoria*. Quæ incipit: *Quæ dignè non plures*, &c. Quam in iiſdem *SS. Actis* legere eſt. Hujus tamen, & Vitæ jam laudatæ, quin unus & idem fuerit auctor, vix nobis dubium eſt; adeò ut nullius horum operum, aut utriuſque laus Tudenſi noſtro ſit conſignanda. Diſpeſcuntur tamen in hac re expedienda recentiores hiſtorici. Vitam Lucæ quidam abnegant, *Translationis hiſtoriam* concedunt, Franciſcus Padilla [k], Ægidius Gonzalez Davila [l], Ambroſius Morales [m]. Utrumque opus Lucæ nomine ſignatum voluit Alphonſus Morgudus lib. 1. *Hiſt. Hiſpal. urbis*. cap. 5. & lib. 4. cap. 4.

k *Hiſt. Eccleſ. Hiſpan.* cent. 7. cap. 22.
l In *Theatro Eccleſ. Hiſpal.*
m Lib. 12. cap. 21.

71. Vidiſſe hujus hiſtoriæ exemplum Salmanticæ in domo S. Mariæ *de la Vega* canonicorum regularium, idem Davila docet. Manuſcriptam ſupereſſe in tabulario etiam Legionenſis Eccleſiæ, Joannem de Palacios in *catalogo Tudenſium Epiſcoporum* docuiſſe, auctor nobis eſt Ludovicus Souza in *Hiſtoria Ordinis S. Dominici regni Portugalliæ* 1. parte ſeu libro [n]: qui addit: precibus Fr. Suarii Gomezii, Dominicanorum illius temporis præfecti provincialis, dediſſe Lucam, ut hanc Spartam, quam eidem nuncupavit, ornandam ſuſciperet. Idem ſcribit in *Hagiologio Luſitano* XXVII. die Aprilis Georgius Cardoſus. Vidit & in bibliotheca Complutenſi S. Ildephonſi ab ejus collegii & Univerſitatis magno fundatore D. Franciſco Ximenio Ziſnerio Toletano antiſtite, ex S. Iſidori Legionenſi monaſterio deſcriptum exemplum Ambroſius Morales, uti in proœmio ſecundi hiſtoriæ ſuæ voluminis ſub titulo *De los libros antiguos*, &c. refert.

n Pag. 41.

72. Planè ſcriptum hoc tranſtuliſſe in vernaculam videtur nobis Joannes de Robles in eo libro, qui ſolet vulgò ei adſcribi, *Hiſtoria de los milagros de S. Iſidoro Arzobiſpo de Sevilla* nuncupatus, & anno MDXXV. in lucem editus [o]. Hic alicubi canonicus Legionenſis Eccleſiæ, aliàs ſacerdos militaris Ordinis S. Jacobi, ac Prior S. Joannis *de la Calzada* nuncupatur. Lucæ autem, ut jam abſolvamus de eo dicere, memoriam antiquis monumentis ſignatam ab era MCCLXXVII. uſque ad MCCLXXX. hoc eſt ab anno hujus ſæculi triceſimo nono uſque ad quinquageſimum, reperire ſe dives hujus ſupellectilis, quâ Hiſpanas res locupletavit, Prudentius Sandovalius Tudenſis, atque inde Pampilonenſis Epiſcopus, in *Tudenſis Eccleſię hiſtoria* ſcriptum reliquit [p].

o Vide Moralé in *prologo* 2. part. tit. *De los libros antiguos*, &c. Athã. Lobera in *Hiſt. urb. Legionen.* cap. 12. fol. 311. & cap. 11. Monachum appellat per errorem D. Didacus Ortiz de Zuñiga in *Annal. Hiſpalenſib.* ad annum MCCLII. num. 17.

p Ubi de Tudẽſi Luca agit. Idem ait Davila in *Theatro ejuſdem Eccleſ.*

73. Ad B. Ferdinandi III. Regis obitum pertingit quoque ANONYMI cujuſdam *Hiſtoria rerum Hiſpanarum*, quæ à Froïlanis II. Regis tempore initium ducit, in pluribuſque ab hiſtoria, quam vocant generalem, Alphonſi Regis X. auſpiciis juſſuque compilata diſfert; nec pauca continet quæ alibi fruſtrà quæras. Exemplum hujus MS ab alio, ut notatum ibi eſt, Salmanticę an. MDLXXXVII. deſumptum, poſſedit Matriti excellentiſſimus dominus D. Petrus de Guzman olim Marchio Mont-alegrenſis & Vill-umbroſanus, Caſtellę ſenatûs pręſes, literatorum Mecęnas; de quo ad nos detulit, cùm prędictorum notitia, pręcipuo amicorum loco ob inſignes virtutes nobis ſemper colendus D. Joannes Lucas Corteſius, toties mihi dictus atque laudatus.

74. Diverſa videtur, utpote ab inferioris temporis principio ducta, quam ad hoc tempus Ferdinandi Regis, ut ſuperiorem, referimus, hiſtoria ANONYMI *De rebus Caſtellę ac Legionis* poſt obitum Veremundi III. Legionis, uſque ad Ferdinandi Regis III. Caſtellę, ſancti, mortem, quam aſſervari Pariſiis in regia bibliotheca docet nos Philippus Labbeus *Bibliothecæ ſuæ Ms.* pag. 315.

75. At iſto ipſo anno, quo B. Ferdinandus in cœlum fuit translatus, ſcilicet ſęculi quinquageſimo ſecundo, vitam cum morte commutâſſe dicitur VITALIS DE CANELLAS, aliàs CANIELLAS [q], Catalanus gente, Oſcenſis Epiſcopus, *vir literatus* (ut Michaëlis Molini verbis utar [r]) *valdè practicus & expertus in foris*,

q Zurita vocat eum *Canellas* lib. 2. cap. 64. Beutherus autem malè *Canallos*.
r In *Repertorio fororum Aragonię*, verbo *Fororum*.

foris, *& magnæ auctoritatis jurisconsultus*. Interfuit hic bellicis ac politicis expeditionibus Jacobi I. Aragonensium magni Regis, Valentiæ nempe urbis recuperationi anno MCCXXXVIII. peculiaris ejus fori sive juris formationi, necnon & Concilio Valentino anno MCCXL. celebrato, comitiisque Cataloniæ & Aragoniæ anno MCCL. in oppido *Alcañiz* habitis, ut ex *Annalibus Aragonensibus* Hieronymi Suritæ [r], Petri Antonii Beuteri historia [s], & Martini Carrilli *Catalogo præsulum Aragoniæ regni* [t], constat.

r Lib. 3. cap. 12. 13. 34. & 45.

s Lib. 2. cap. 41.

t *Catalogo de los Obispos de Huesca* pag. 302. simul cum *Histor. S. Valeri Cæsar-aug. Episc.*

76. Huic veluti legislatori suo laudem Aragonenses consignant. Cùm enim in comitiis Oscæ anno MCCXLVII. celebratis placuisset, ut universum regni Aragoniæ jus, diffusum aliàs & dissipatum, in singula genera cogeretur digereturque; in fororum collectione ista, quæ publica sanctione decreta fuit, *præcipuam operam navavit* (utar jam Hieronymi Blancæ verbis ex *Aragonensium rerum commentariis* doctissimis [u]) *reverendissimus ille Vitalis Canelis Oscensis Episcopus, magnæ eruditionis vir, ac in priscis nostri regni scitis valdè versatus; qui præter hoc magni laboris & industriæ opus reipublicæ adeò utile & necessarium, librum etiam composuit varia nostrarum antiquitatum explicatione refertum. Is autem, quia incipit*: In excelsis Dei thesauris; *vulgò liber* In excelsis *dictus est; cujus meminit prima observantia, sub titulo* De venatoribus. Hæc Blancas. Hieronymi quoque Suritæ judicio *gravissimus totius regni auctor fuit in exponendis legibus, quæ Jacobi Regis I. tempore sancitæ primùm sunt*, lib. 2. *Annal. Aragonensium* cap. 64.

u *Hispan. illustr.* tomo 3. pag. 636.

77. Compilavit ergo, veluti Tribonianus alter, in unum corpus, digessitque per titulos Aragonenses leges, à *Suprarbiensis* vulgò dicti *fori* tempore promulgatas: sive, ut Blancas alibi ait [x], *antiquum jus regni, nequaquam satis artificiosè digestum, generatim composuit*. Necnon & glossavit usque ad nonum collectionis librum inclusivè (ait Molinus [y]) cùm habuisset potestatem à Rege & curia generali Aragonum glossandi & interpretandi dictos foros antiquos non mutatâ sententiâ eorum. Laudat alibi [z] Blancas maximam ejus ubertatem & copiam in describendis iis, quæ ad ejus regni leges & mores pertinerent, necnon & alio loco [a]: *Is enim (ait) & communium legum & antiquitatis nostris hominibus documentum fuit*. Editum opus exstat cum titulo: *In excelsis Dei thesauris, sive ad foros regni Aragonum commentaria novem libris*. Quæ verò *De pœnis* inibi adjuncta sunt, non ab auctoris manu esse, sed regia auctoritate ab alio quodam addita, vel stylus ipse diversus prodit, Vincentio Blasio in *Historiis Aragonensibus* observante.

x In iisdem commentariis pag. 796.

y Ubi suprà.

z In iisdem Comment. tit. *De magistratus Justitiæ Aragonum dignitate* pag. 722.

a Titulo *De optimatibus* pag. 727.

78. Didacus Morlanes Cæsar-augustanus tribuit & nostro *leges* quasdam seu *tabulas legum* (*Foros* vulgò vocavit) Catalanis ab ipso, iisdem Regis Jacobi I. auspiciis ac jussu scriptas, quas se vidisse in schedis exaratas vernaculâ hujus gentis linguâ alicubi retulit, ex eoque Joannes Andreas Ustarrozius, regius Aragoniæ chronographus [b]. Ministrâsse dicitur Oscensi Ecclesiæ Episcopus ab anno tricesimo octavo usque ad quinquagesimum secundum hujus sæculi.

b In notitia Mss. quibus usus fuit in Notis ad coronationes Regum Aragon. &c.

79. Catalano jurisconsulto Castellanum, neque eo minùs nobilem, evoque suo illustrem annectimus jurisconsultum. BERNARDUS is est, quem, sive à patria, sive ab exercito munere, appellant COMPOSTELLANUM. In hac enim metropolitana Ecclesia archidiaconus fuit, quomodo eum vocat Tancredus ille Bononiensis canonicus, qui ad tertium Decretalium compilationem & scholia eodem tempore scripsit, de qua statim dicemus. Diu autem Romæ fuit commoratus: siquidem clarus jam eximiâ juris doctrinâ sub Innocentio III. qui anno MCCXVI. desiit inter mortales esse, usque ad Innocentii IV. tempora, qui MCCXLIII. Petri Apostolicam ascendit cathedram, in eadem urbe, sive continuò sive per intervalla, permansit. Hujus enim cappellanus & familiaris vulgò audit.

80. Celebratur in paucis ejus nomen inter plures canonici Juris doctores, qui sub Lucio III. Cœlestino III. Innocentio III. Honorio III. & Gregorio IX. collegerunt decretales epistolas eorum Pontificum, quorum adepti non sunt ætatem compilatores paullò antiquiores Decretorum Burchardus, Ivo, Anselmus Lucensis, Gratianusque. Laudantur enim hujus temporis, de quo loquimur, quinque non minùs collectiones epistolarum decretalium, ante celeberrimam omnium illam, quæ à Gregorio IX. appellatur, Raymundumque Barcinonensem auctorem habuit. Has omnes Joannes Andreæ filius initio glossæ ad easdem decretales [c], & ex parte laudatus nuper Tancredus, in scholiis ad tertiam collectionem [d], dilucidè narraverunt. Quarum brevem notitiam, quia ad Bernardum nostrum maximè pertinent, nunc dabimus.

c Scilicet ad tit. verbo *Gregorius*.

d Ex Mss. edidit fragmentũ huc pertinens Franc. Bosquetus in *Notis ad Innocentii III. epist.* pag. 41.

81. Prima facta fuit à Bernardo Circa-Papiensi præposito, Faventino deinde Episcopo: Decretalium nempe usque ad Lucium tertium: *Breviarium extravagantium* ab auctore appellata. Secundæ post duodecim annos factæ, quæ Cœlestini III. epistolas adjunxit, auctor, sive Gilbertus, sive Alanus, sive Joannes Vallensis fuit Volaterranus. Fecerunt scilicet Gilbertus & Alanus singulas, ex quibus suam formavit, secundam vocatam. Tertiam confecit noster Bernardus ex Regestis Innocentii III. eamque Bononienses *Romanam compilationem*, quòd Romæ facta esset, appellaverunt. Sed offensi Romani (ait ex Joanne Andreæ & aliis Antonius Augustinus [e]) *quòd usu judiciorum minùs accepta referret, ab eodem Innocentio impetrârunt, ut Pontificia auctoritate aliqua collectio ederetur. Cui rei Petrus Beneventanus notarius præfectus est anno duodecimo ejusdem Pontificis*. Hæc cùm *tertia collectio* audiat, uti præcedens Bernardi, aut hanc prorsus abolitam, aut utramque in unam fuisse coactam, editoris tantùm nomine mutato, existimare debemus.

e In proœmio ad collection. decretal.

82. Quartæ post quinquennium caussam præbuit Lateranense Concilium, cujus LXXXI. capita, & constitutiones Innocentii alias, ea comprehendit. Has omnes publici juris pri-

primus fecit literatorũ Phœnix Antonius Augustinus, Gregorio XIII. nuncupatas, additis ad primam Notis. Quintam verò, quæ Honorii III. constitutiones habet, Tancredumque Bononiensem archidiaconum sortita fuit auctorem, ejusdem Joannis Andreę testimonio, Innocentius Cironius Tolosanus canonicus, & Academię Cancellarius, è codice Albiensis bibliothecę desumptam publicavit[g]. Quibus omnibus lumina obstruxit Gregoriana vulgaris Decretalium collectio, quâ nunc utimur[h]. Nec tamen absque maxima utilitate in his antiquis studium poni, qui Raymundo Barcinonensi fontes fuere, integrioresque auctorum suorum sanctiones retinent, Augustinus idem nos docuit. His necessariò præmissis, ulterioráne obscura sint, opera Bernardi jam proponimus.

83. I. *Scholia in secundam collectionem Decretalium*. Joannis Wallensis, aut Guallensis nempe. Constat de his ex Ant. Augustini, qui sequutus est Joannem Andreæ, hisquæ sequuntur verbis: *Sed & Hugo Ferrariensis Episcopus ab Innocentio III. sæpe relatus* (in epistolis ejus intelligo) *& Bernardus major Compostellanus archidiaconus, hujus collectionis interpretes fuere*. hoc est, expositores sive scholiastæ. Immo & in primam quoque collectionem, ut ex eodem Joanne Andreæ ad prooemium *Speculi* Guilielmi Durandi habemus. Sed *legerat* (ait) *duas primas compilationes, & apostillas dederat super illis*.

84. II. *Collectio Decretalium*, quæ *Tertiæ*, sive *Romanæ*, nuncupationem obtinuit. Hæc si ea est quam sub *Tertiæ* titulo Ant. Augustinus edi curavit, subtractum inde voluit Pontifex nostri nomen unà cum iis, quæ invidiam Romanis civibus, ut insuetata, fecisse monuimus suprà: cùm in præfatione hic Pontifex *Magistro P.* (hoc est, Petro Beneventano) *subdiacono & notario* suo laboris meritum laudemque consignet. Deficit autem in *tertia* ista *collectione* titulus *De summa Trinitate*, qui supplendus est, cum epigraphe totius operis à Bernardo usurpata, ex MS. cod. Nicolai Fabri apud eundem Antonium Augustinum[i]. Inscriptio hæc est: *In nomine Domini & individuæ Trinitatis incipit breviarium Decretalium omnium prope Innocentii Tertii per Bernardum Compostellanum canonicum fideliter compositum*. Tacuit diu noster post hęc edita, usque dum facta jussu Gregorii IX. circa annum MCCXXX. novissimâ, quæ omnes alias pessum dedit, collectione Decretalium quinq; libris comprehensâ, ille cum aliis pluribus interpretationis earum sese muneri accinxit, jussuque Innocentii IV. munitus edidit.

85. III. *Lecturam auream* (uti editio præfefert) *super primum librum Decretalium*. quæ in publicum venit primùm cum apostillis Antonii de Crevant abbatis S. Leonardi de Ferrariis, MDXVI. in 4°. typis Bertoldi de Rembolt. Accedit huic editioni, quę locum tacuit,

86. IV. *Breviarium Juris canonici*. Incipit: *Quot modis*. & invenitur MS. in bibliotheca Barberina Romæ. Gesnerus, Possevinus, alii.

g Exstat inter *Cironii opera* Tolosæ MDCXLV.

h De *Collectionum* harum historia erudité ac plenè commentatus fuit decus Hispaniæ nostrę jurisconsultorum D. Emmanuel Gonzalez Tellez in *Apparatu ad Decretales*, *de origine ac progressu Juris canonici*.

i Pag. 712.

87. V. *Casus super Decretales libris* v. Argentorati MCDXCVIII. uti est in indice scriptorum Juris, & confirmat Venerus[k], Gesnerusque[l]. Fortè idem opus cum sequenti.

88. VI. *Super Decretalium libros* v. Norimbergæ MCDXCIII. Utrumque, & hunc & superiorem commentarium, tribuunt Bernardo nostro Possevinus[m] Gernerusque.

89. VII. *Apparatum in Decretales*. Eisengreinio[n], Ciaconio[o], Venero[p], testibus. Ms. servatur in bibliotheca S. Justinæ Patavii, uti refert Thomasinus in *Biblioth.* MS. *Patavina*.

90. VIII. *Summam quęstionum ex Decretalibus*. Ms. in bibliotheca Ecclesiæ Toletanę[q]. Nisi idem sit opus cum aliquo ex superioribus.

91. IX. *Notabilia novæ compilationis Decretalium Gregorii IX. & in diffinitiones rubricarum à Gofredo compositas*. In membranis apud Antonium Augustinum, ut constat ex ejus librorum catalogo[r]. Necnon &

92. X. *Apostillas in Codicem & Digestum*. Has esse in bibliotheca Ecclesiæ B. Mariæ Carnotensis affirmat Labbeus[s].

Diversus omnino est BERNARDUS thesaurarius Compostellanus, de quo Ambrosius Morales hæc ait, ad Regis Veremundi II. quoddam diploma ex eo desumptum præmonitione[t]: *Compostellani Archiepiscopi librum habent manuscriptum*, (inquit) *qui eis simul cum dignitate traditur; librum, in quo transcripta sunt, tum summorum Pontificum, tum etiam priscorum Regum diplomata sanctæ eidem Ecclesię olim concessa. Hunc librum congessit Bernardus ejusdem Ecclesiæ, ut vocant, thesaurarius, anno Domini millesimo centesimo vicesimo nono. quod in præfatione ipsemet ostendit Bernardus*. Certè nos hęc una impedit affixi temporis nota, quominùs ad nostrum Bernardum hanc laudem derivemus. Quem obiisse diem suum, cùm ad interpretationem capitis: *Super hoc De renunciatione* in Decretalibus Gregorianis, quod quintum est noni tituli, devenisset, Antonius idem Crevant, qui apostillas ad ejus in lib. I. Decretal. lecturam fecit, à nonnemine se audivisse in literas retulit. Nescimus autem quò respexerit Conradus Gesnerus, ex eoque Possevinus, admonentes Bernardum hunc à quibusdam Grecum appellari.

93. Æqualis tempore, ac in studiis atque doctrinæ prærogativa omnino similis, fuit Bernardo Compostellano Hispanus alter, JOANNES DE DEO nuncupatus (Speculator *Joannem de deo gratia* singulariter vocat[u]) in Italia & gymnasio Bononiensi, ut videbimus, Decretorum doctor & professor, qui canonicum se Isbolensem & magistrum ipse appellat. Crederem editionibus potuisse accidere, ut pro Hispalensi prevaluisset Isbolensis, si non de eo tempore ageretur, quo nondum civitas Hispalensis in Christianorum potestatem venerat. Hunc etiam eundem esse existimarem cum Joanne Hispano, qui inter veterum collectionum epistolarum Decretalium glossatores seu scholiastas laudatur à Joanne Andreę in procemio Gregorianæ; nisi Guilielmus Durandus in procemio *Speculi* Joannem

k In *Enchiridio tempor. Hispano*.

l In *epit. Biblioth.*

m In *Apparatu*.

n In *Catalogo test. veritat.*

o In *Vitis Pontif. in Innocent. IV.*

p Ubi suprà.

q Pluteo 28. num. 4.

r Inter MSS. Latinos.

s In *Biblioth. librar.* MSS. pag. 54.

t Tomo 4. *Hisp. illust.* pag. 932. & in editione *S. Martyris Eulogii operum*.

u In *procemio Speculi*.

nem Hispanum à Joanne de Deo clarissimè distinxisset. Multa quidem is in literas retulit, morem aliorum sequutus, qui de Jure canonico bene mereri cuperent. Sed latent in schedis major eorum pars; immo, nisi fallor, omnia alia opera, preter unum, quod diversimodè appellari solet, sub titulo isto in lucem prodiit:

94. I. *Cavillationes, seu doctrina Advocatorum partium, & Assessorum*, unà cum Guilielmi Durandi, nuncupati ab opere *Speculatoris*, Episcopi Mimatensis, *Speculo*, Venetiis anno MDLXVI. volumine tertio. Opus hocce *Cavillationum* à quibusdam legum doctoribus olim, ut ipse ait [x], verè ab Huberto de Bovio inceptum, hoc initio: *Quia pietas paterni nominis*, ut Joannes Andreæ memorat [y], valdè tamen confusum, ac verè chaos, ampliavit noster, ordinavit, ac suum fecit. *Summam cavillationum* vocat Bergomensis. In bibliothecæ Vaticanæ MS. codice *correctio* audit *cavillationum Huberti de Bovio*. In hujus operis nuncupatoria ad G. S. R. E. Cardinalem epistola refert se alia quędam elucubrâsse auctor, quæ nos dabimus eo ordine quo ille usus fuit in iis memorandis, suarum lucubrationum optimus testis.

x In proœmio.

y In addit. ad proœmium Speculi.

Nempe

95. II. *Apparatus Decretorum*

96. III. *Breviarium Decretorum*. Bergomensis *Tabulam Decreti* appellare videtur. *Joannes de Deo super Decreta*, erat inter libros, quos secum portabat Benedictus Papa XIII. appellatus, ut est in eorum catalogo in schedis à me viso.

97. IV. *Liber Pastoralis*.

98. V. *Liber Dispensationum*. Ms. exstat tam in Vaticanis libris num. 5066. quàm in Palatinis eidem bibliothecæ adjunctis, num. 802. Fuitque in Antonii Augustini

99. VI. *Summa sub certis casibus Decretalium*. In ejusdem Antonii Augustini exstitit, nuncupata, ut videtur, *Casus in collectionem Decretalium Gregorii IX.* Cujus prefationis initium est: *Ad honorem summæ Trinitatis*. Bergomensis appellat fortè *Tabulam Decretalium*.

100. VII. *Liber Judicum*. Joannes Andreę ad proœmium *Speculi, Judicium* appellat. Bergomensis, *summam Judicum*.

101. VIII. *Notabilia cum summis super titulis Decretalium & Decretorum*.

102. IX. *Chronica*. De quo opere nusquam alibi mentio.

103. X. *Apparatus metricus super arbore Decretorum*.

Intelligo arborem consanguinitatis, quę inserta legitur post cap. *Primo gradu*. VII. 35. q. 5. Hanc commentario illustrare conatus Joannes Andreæ, sic de eo ait: *Initio circa lecturam arboris diversis olim diversum modum tenentibus, Joannes de Deo Hispanus post illos lecturæ illius arboris novum modum assumens, per suas metricas regulas ipsius intellectum nisus fuit aperire. Sed propter multitudinem regularum, & versuum obscuritatem, aliquibus notum ignotum, & aliis ignotum ignotius reddidit*. Hęc ille. Romę in Palatina Vaticanæ bibliothecæ accessione num. 666. Joannis Andreæ hæc *glossa est super lecturam arboris Joannis de Deo*.

104. XI. *Liber distinctionum*. De quo nil ultrà scio.

105. XII. *Commentum super Novellis Decretalium*.

106. XIII. *Liber Pœnitentiarius de cautela simplicium sacerdotum* MS. in 4o. asservatur in bibliotheca canonicorum Lateran. S. Joannis in Viridario urbis Patavinæ, Thomasino teste [z]. Initio libri scriptum est in codice alio D. Feronii canonici Carnotensis: *Ad honorem summæ Trinitatis & individuæ unitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & B. Virginis, & omnium angelorum, & omnium Sanctorum, & precipuè B. Vincentii, & ad honorem & gloriam venerabilium patrum Episcopi & capituli urbis Bononiensis, & ad utilitatem universi studii, & ad honorem Romanę Ecclesiæ, & ejus venerabilis præsulis Innocentii IV.* Magistrum se vocat, librum ad Episcopum & capitulum dirigens: doctorem, canonicum Decretorum, & servum eorum se appellat. Et in fine absolutum à se opus ait sub ann. Domini MCCXLVII. Indict. v. v. Kal. Novembris. Quędam excerpta ex hoc libro edidit Jacobus Petitus Gallus ad calcem tomi 2. *Pœnitentialis Theodori Cantuariensis Episcopi*.

z In Biblioth. Patav. ms. pag. 31.

107. XIV. *Liber questionum*. *Quem nuper* (inquit) *edidi ad exercitium magistrorum*. Hucusque librorum Joannis, quorum ipse in hac epistola meminit, elenchus. Laudantur verò aliunde alii, videlicet:

108. XV. *Concordantia Decreti & Decretalium*. Meminit Bergomensis, nisi idem opus sit cum aliquo ex superioribus.

109. XVI. *Additiones ad summam Huguitioni* [a]. Exstat inter libros MSS. Vaticanos numero 2280.

a Huguitionis lego.

110. XVII. *Catalogus hereticorum*. Similiter in Vaticana bibliotheca num. 4896.

111. Habeo penes me MSS. schedas Alphonsi Ciaconii Dominicani, è suis scriptis sat noti, ad Bibliothecam, quam preparabat, universalem, in quibus asservari affirmat in bibliotheca Ferdinandi Coloni, Christophori Magni Coloni filii, quæ nunc est Hispalensis Ecclesiæ, Joannis de Deo Hispani Ulyssipponensis Juris Decretorum doctoris *librum primarium de variis Juris Pontificii materiis*. qui si cum nostro idem est, ut suspicari pronum, è Lusitaniæ primaria urbe is oriundus fuerit.

112. *Summa moralis* ejusdem in eadem quoque bibliotheca asservatur MS. sed anno MCCXLVII. in charta pergamena.

113. Occasione autem duorum istorum Juris canonici interpretum & illustratorum, Bernardi Compostellani & Joannis de Deo, quóde nil preter dicta novimus; recenseri hoc in albo digni sunt ejusdem temporis PETRUS, & JOANNES, & VINCENTIUS, Hispani omnes, absque ullo cognomine literis consignati, ut ferè solet inter exteros usu venire, patriæ subrogato nomine, ut subveniant difficultati pronunciandi, aut memoriâ retinendi familiarum cognomenta. Joannis & Petri Hispanorum Joannes Andreæ meminit [b]; cujus Joannis Hisp. *Summa super Decretales* in bibliotheca Vaticana num. 2343. asservatur.

b Addit. ad proœmium Specul.

Fuit

Fuit & in bibliotheca Comitis Olivariensis Joannes super Decretum.

114. Petrum laudat idem Joannes Andreę his verbis [c] de Vincentio loquens, uno ex antiquis his glossatoribus: *At quòd hæc ultima opinio, quæ fuit P. Hisp. quem vocat de Corbolio, sibi non placet: quem Ostiensis vocat P. de Bolio vel de Borliato.* Hęc Joannes Andreæ.

c Glossa Ergo Ecclesia. ad cap. Liberat. De testit. spol.

115. *Vincentium* Antonius Augustinus inter cęteros glossatores, ad Gregorium XIII. Papam super Decretalium collectionibus pręfatus, appellat.

116. Anno hujus sęculi sexagesimo nono scriptus fuisse dicitur, Bernardi Britti Cisterciensis, *Monarchiæ Lusitanæ* auctoris in prolegomenis testimonio, liber quidam Latinè scriptus, cujus auctor latet deficiente principio, *De rebus in Portugallia gestis, Gothorum excidio, & Christianorum sub dominatione Maurorum vivendi forma*. Acephalum opus, quà sanum est, ita incipere ait: *Divisiones utriusque gentis*. Finem verò sic habere: *expulsi funditùs interiere*. De quo opere unà cum Laimundi, Menegaldi, Petri Alladii, aliis, exstare scilicet in Alcobaziensi monasterio, ab eodem Britto rogati, testimonium dixere ii, quorum in prolegomenis laudatæ *Monarchiæ* mentio fit, & attestationes exhibentur. Nos de invisis hactenus censere abstinemus.

117. Celebratur inter Dominicani ordinis illustratores [d] quædam epistola sanctitate & miraculis eximii viri ÆGIDII, vulgò GIL, Lusitani, priùs magi ac diabolo addicti, deinde pœnitentis, atque in Ordine Prędicatorum fulgentissimi omnium virtutum luminis, ac de diabolo gloriosi triumphatoris; quâ ad Humbertum Magistrum Ordinis Generalem scripsit res gestas quorundam Dei servorum cœnobii sui Scalabitani, sive Santarenensis, in quo tandem vitam brevem cum ęterna vita commutavit anno hujus sæculi, ut dicitur, septuagesimo quinto. Cujus vita exstat ab Andrea Resendio V. C. descripta, & Parisiis edita [e].

d Vide Marieta lib. 12. SS. Hisp. cap. 34. & 56.

e Vide Bibliotheca poster. partem in And. Resendio, Ant. Senensem in Chron. ord. pag. 125.

118. Celebrator quoque alius Vitæ Ægidii descriptor JOANNES PORT-ALEGRENSIS, ita dictus à patria (Episcopalis urbs est in Portugalliæ regno *Port-alegre*) atque ejusdem temporis, De *conversione B. Ægidii* inscriptæ, & à Dominicanis, quorum sodalis fuit, laudatę.

119. Ejusdem instituti sodalis Fr. PETRUS FERDINANDI, sive FERNANDEZ, Gallęcus, inter fratres à puero persanctè vixit, ac pluribus locis professor fuit, tandemque è Zamorensi cœnobio ad superos abiit. Hic *S. P. Dominici Vitam* diligentia non mediocri adhibita compilavit. *Legendam* vocat Antonius Senensis [f], quæ incipit: *P. Dominicus adhuc puerulus*. Scripsit quoque, ut idem Senensis ait, *Chronicam ordinis, incipiendo à patre Dominico, usque ad Vitam Generalis Magistri ordinis Humberti*. Floruisseque hunc notat circa annum MCCLXX. Aliis placet [g] obiisse eum sęculi quinquagesimo nono.

f In Bibliotheca Ord. Prædic. pag. 193.

g Marieta lib. 12. SS. Hisp. cap. 34. Seraph. Razzi 1. parte fol. 60.

120. Coævus his & parenti Dominico fuit Fr. THOMAS DE TEMPLO, utpote ejusdem sancti Patriarchæ socius, qui scripsisse librum refertur *De Rosario B. Virginis*, obiisseque ann. MCCLX. [h].

h Ant. Senens. Anton. Fernandez, & cęteri Dominicani.

121. Laudatur etiam ejusdem instituti horum temporum sodalis BARTHOLOMÆUS quidam, *vir non ineruditus* (ut verbis Antonii Senensis laudem) *& concionator non vulgaris; ea autem ratione etiam venerandus, quòd minùs doctis & sufficientibus compatiens, & se illis quodammodo debitorem cogitans, scripsit Summum quandam grammaticalem in eorum gratiam. Plura ejus* (inquit) *non vidi. Claruit circa ann. Dom. MCCLXV.* ex Jacobo de Suzato in *Chronico Ordinis*. Unde Fernandez, Plodius, Altamura, hausere.

122. Circa hęc tempora nascentis etiam familiæ sacrę Mercenariorum, qui captivos ex instituto vitæ redimunt, quartus à S. Petro Nolasco Magister erat Generalis, anno MCCLXII. creatus, F. PETRUS DE AMERIO, ex Catalano equite ad hanc militiam ab eodem Petro admissus, prudentia & sanctitate vir eximia, regulęque observantiâ, quantumvis non valdè literis exercitatus. Reliquit tamen fratribus possidendos tractatus aliquot, linguâ gentis vernaculâ, ut credimus: nempe

123. *De differentia ætatum, ac de eo quod unicuique convenit*.

124. *De differentia vestimentorum, super duo patrum loca, S. Gregorii alterum, quòd scilicet pro sola vana gloria vestimentorum pretiositas quæritur, & S. Bernardi alterum; quòd nempe exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est*.

Videatur Petrus Zumel in catalogo Magistrorum Generalium hujus sui Ordinis, Petrus Ramon in historia, Marcus Salmeron in monumentis ejusdem.

125. ALVARUS DE LURIA ET MENDOZA, miles ordinis de Calatrava, jubente Jacobo Aragoniæ Rege, cujus per hos dies maxima fuit atque inclyta propter virtutem bellicam ac res fortiter gestas toto orbe terrarum fama, constitutiones formavit equitibus sive ordini S. Mariæ de Montesa in regno Valentiæ, ab eodem Rege instituto sub Cisterciensium regula. Carolus Vischius in *Bibliotheca Cisterciensi*, Haubertus Miręus in *Scriptoribus Ecclesiasticis*.

CAPUT IV.

De S. RAYMUNDO DE PENYA-FORT ordinis Prędicatorum, ejusque egregiis erga Ecclesiam gentemque nostram factis. Compilationem sextam, sive Gregorianam, Decretalium, ejus esse. Item Summam Raymundinam, cujus Summæ Summula quædam versibus barbaris Adami cujusdam exstat. Pugionem fidei adversus Judæos non hujus, sed Raymundi Martini esse. De JACOBI I. Aragoniæ Regis gestarum rerum ab eodem conscripta historia, Provinciali sermone; coævique ejus ZEIT ABU-ZEIT, sive VINCENTII Ex-regis Valentini, & ex Mauro Christiani, quodam opere. De ANONYMO Cataloniæ Principatûs historico MS. De duobus poëtis Valentinis, Mossen JORDI, & Mossen FEBRER, quorum

rum priorem imitatus fuit Franciscus Petrarcha.

126. ILLUXIT eodem tempore non modò Hispaniarum, sed & universali Ecclesiæ fulgentissimis sanctissimæ vitæ atq; inclytæ doctrinæ radiis S. RAYMUNDUS cognomine DE PENYA-FORT, Catalanus, Barcinone, ut noviores contendunt; sed priorum ac simpliciorum [k] affirmatione ex loco diœcesis quodam *Penya-fort* nomine ortus (Provincialem Henricus Gandavensis perperam asseruit [l]: unde & quidam auctor [m] Gallicum *Rochefort*, tamquam gentilitium, cognomen attribuit) majoremque suorum originem ad principalem illius provinciæ familiam, quod nonnullis pro comperto est [n], referens.

i *De script. Eccles.* auctores.

k Marsilii & Hüberti æqualium. Vide Tamajum ve. Januarii pag. 89.

l *De script. Eccles.* cap. 41.

m Rosveidus apud Bollandum infrà.

n Post plures de hoc loquentes vide Domenec *De sanctis Cataloniæ* lib. 2. fol. 24.

127. Coluit is mores simul atque literas ea intentione animi, ut virum, in quem aliquando evasurus erat, immaturam adhuc ætatem agens jam promitteret. Viginti natus annos philosophiam in patria explicuit. Sed cùm ad studia sacrorum Ecclesiæ canonum totus propenderet, Bononiam se contulit, ibique intra breve tempus è discipulo in professorem laurea doctorali ornatum, eumque totius gymnasii primarium, ascendit. Evocatus inde Barcinonem à Berengario hujus urbis Episcopo, viri famâ commoto, sacerdotium, simulque præposituram Ecclesiæ cathedralis adeptus fuit. Desiderio tamen aliquantò majoris perfectionis impulsus, non diu postea sodalibus Prædicatoribus S. Patris Dominici assecelis, annum quintum super quadragesimo in ætate numerans, se comitem dedit. Qua sui renunciatione faciliùs apparuit Jacobo Regi hujus nominis primo ante alios dignus, cui secreta conscientiæ regiæ, sic ingentibus plerumque negotiorum momentis, veluti nexibus quibusdam implicitæ, referaret.

128. Quo tempore Deiparæ Virginis auspiciis intimationeque auctor fuit magnanimo ac religiosissimo Regi, ut redimendis à servitute Sarracenorum Christianis jure belli, quod apud nos ferè continuò gerebatur, factis mancipiis, sub sanctissimi viri Petri à Nolasco Galli administratione sacrum instituere Ordinem, qui ex militari antiquo munere, pietatis etiam huic operæ addicto, in Mercenariorum, ut nunc vocamus, sodalitatem, Deo sacrorum hominum dignitate virisque, maximè in Hispaniis, florentem, non diu postea deflexit, eique sub regulæ S. Augustini forma constitutiones observandas composuit. Quo ferè tempore Jacobus Rex anno sæculi XXIX. [o] in Balearium insularum maximam, ut inde propulsaret Maurorum tyrannidem, navigaturus, vix se victoriæ compotem fieri posse credidit absque præsentis Raymundi precibus. Et voto quidem Rex non excidit, cùm hostium & insulæ sit potitus.

o Surita lib. 1. cap. 4.

129. Sed majori adhuc celebritate nominis inde venit mactus Raymundus. Nam, quominùs Jacobum obsidioni Majoricæ urbis hærentem, de concubinatus autem crimine diu atque frustrà monitum, fugere posset, indicto ubique ne quis eum navigio transveheret, impeditus, pallium dorso maris extensum, cujus partem baculo in carbasi adaptavit formam, ingressus, eaq; fide quæ in Petro etiam Apostolorum principe titubaverat, sustentatus, brevi tempore ad Barcinonense litus appulit, ingenti stupore omnium, præcipueque Jacobi, quem certiorem de re facta, miraculi conscientiâ conversionem vitæ in melius, quod sanè debuit, condonâsse ajunt.

130. Abreptus hinc in Romanam curiam, vocanti Gregorio IX. Pontifici à capellæ ministerio, quod honorificentissimum fuit ea ætate, sacræque Rotæ Auditorum, sive universarum totius orbis catholici Ecclesiasticarum litium delegatorum judicum muneri æquale munus, & indulgendæ supplicibus postulantibus veniæ delictorum nonnisi apud sedem Petri laxandorum minister, (*pœnitentiarium* vocamus) fuit. A quo Pontifice oblatos sibi Tarraconensem, necnon, ut ab aliis proditum legitur, Bracarensem quoque Archiepiscopatus, atque inde Barcinonensem Episcopatum, constantissimè recusavit. Profectus verò inde in patriam impellentibus medicis, quò sanitati non parum afflictæ nativi aëris fomento suppetias iret, concursantium & hic negotiorum, & hominum, à Roma usque ipsa remissorum, multitudinem adeò non evitare potuit, ut, ajente quodam antiquo auctore, Barcinonensis urbs *altera Roma* videretur. Lucanus similiter dixit lib. 5. *Pharsaliæ:*

> ——— *Vejosque habitante Camillo*
> *Illic Roma fuit.*

131. Denuò tamen relinquere patrium solum, diuque peregrinari opus habuit, eo quòd anno MCCXXXVIII. fato functi Jordani Generalis Prædicatorum magistri locum suscipere fuit jussus; cui tamen dignitati post biennium renunciavit. Acceptum item nostro referri debere ait Marsilius sodalis & suppar (de quo postea) quòd Thomæ Aquinati doctori angelico *Summam* scribendi *adversus gentes*, atque Jacobo Regi, ut Aragoniæ ditionem Inquisitores à Romana curia impetrati, ab occultis fidei hostibus sartam tectam servarent, auctor fuit. Mira de ejus abstinentia, & patientia corporis, fidelium à Deo aversorum ac infidelium Dei hostium compassione, religionis zelo, sive, ut Synodi Tarraconensis ad Nicolaum Papam Gregorii successorem epistolæ verbis utar, *humilitate in corde, dulcedine in sermone, strenuitate in opere, fervore in charitate, in orationibus vigilantia, in consiliis prudentia, in moribus disciplina*, referuntur.

132. Contigit magno tandem seni desideratissimus ad superos transitus sexto die Januarii anni MCCLXXV. exsequias ejus celebrantibus ante alios Jacobo Aragoniæ, filioque ejus item Jacobo, Alphonsoque, Castellæ Regibus, Iolantaque hujus conjuge, ac Ferdinando germano fratre. Viventis verò sanctitatem ea miraculorum à Deo Opt. Max. ejus suffragiis per tria ferè sæcula obtentorum confirmavit & commendavit legitimis documentis gliscens fama, ut à Clemente VIII. Pontifice Maximo, referente, quod tunc in more fuit, Francisco Peña viro clarissimo

S.Ro-

S. Rotæ Auditore xxix. Aprilis die hujus, quod vivimus, seculi, Sanctorum catalogo adscribi, universæque jam solidè invocandus proponi Ecclesiæ, jure meritoque sit consequutus. Jacet, coliturque sepultus in divæ Catharinę Barcinonensium Dominicanorum domo, quamplurium mirabilium auctor; in quibus non pauci numerantur mortui vitæ restituti.

133. Res ejus gestas literis commisere ex antiquis fereque æqualibus Petrus, quem laudavimus, Marsilius in Vita Jacobi Regis [p], Humbertus Ordin. Præd. Gener. Magister in Chronico MS. peculiaribusque commentariis Nicolaus Eymericus, Bernardus Guido, Jacobus de S. Joanne, qui in schedis apud domesticos latent, passimque recentiores historici, quos plena manu dant Joannes Tamajus [q], Antonius Vincentius Dominicus, & qui *Acta Sanctorum* nunc Antuerpiæ magna cum laude pietatis eruditionisque prosequuntur [r]. Elegantissimum ejusdem sancti viri elogium lege sis in historiæ Latinæ Jacobi I. Aragonię Regis à Bernardino Gomezio Miedes scripta lib. 19.

p Edidit Tamajus vi. Jan. pag. 82.

q Ibidem pag. 79.

r Die vii. Januar. pag. 405.

134. Sed ride mecum lector cujusdam Danielis Keiseri jurisconsulti Germani putidum, vixque dignum qui ab incuria aut negligentia excusetur, errorem, Raymundum nostrum confundentis cum illo Parisiensi doctore, qui è feretro caput extollens anno, ut ait, MLXXXVI. deque sua damnatione præsentes monens, occasionem vitæ in melius convertendæ Brunoni dedit Cartusianorum Patriarchæ. Hoc ille scriptum reliquit in opusculo, *Historia juris civilis, feudalis, canonici* &c. inscripto, Coburgique edito MDCLXIII. in 4°. [s] Dedimus latiusculè summa capita, præcipuaque vitæ Raymundi, ut aliquantò tardiùs à singularis erga studia, maximè Ecclesiastica, meriti viro discederemus. Hic enim fuit Raymundus, cujus unicæ operæ, jussu accedente Pontificio, debemus

s Pag. 17.

135. *Compilationem* (post plures alias, de quibus in Bernardo Compostellano egimus, ultimam) *Decretalium Gregorii Papæ IX.* quinque divisam libris, in cujus præambula scholaribus Bononiæ (aliàs *Parisiis & Bononię* est) commorantibus epistola, Fr. Raymundum, ait Gregorius, cappellanum & Pœnitentiarium suum illas in unum volumen resecatis superfluis redegisse, atque ejusdem Gregorii alias, quibus priora quædam dubia declararentur, adjecisse. Cui rei etiam testimonium perhibent Petrus Marsilius [t], Henricus Gandavensis [u], & Joannes Andreæ [x], Raymundo æquales, & quotquot in hanc compilationem scholia moliti sunt [y].

t In *Vita Regis Jacobi Arag.* MS.

u *De script. Celes.* cap. 43.

x In proœmio ad *Decretal.*

y Laude dignus præcipuè aliorum est postremus D. Emmanuel Gonzalez Tellez in prologo *De orig. Juris canon.* præviо ad sua in 5. libros Decret. comment.

136. Alterum opus est, quod Raymundo debemus, planè novum, nec ulli ante eum eâ formâ tentatum,

Summam, dictam ab auctore *Raymundinam*. aphorismorum nempe moralium, pœnitentibus & pœnitentiæ sacramentum administrantibus *valdè necessariam*, ut Henricus inquit à Gandavo: *quæ modò tam vulgata est* (inquit) *ut à nemine ignoretur*. Hujus & meminit Guido Perpinianensis in *Summa hæresum* [z], S. Antoninus, Leander Albertus, alii. Annumeratam vidimus hanc libris, quos vehebat secum Benedictus Papa XIII. dictus, *Summam magistri Raymundi de Peñafort* inscriptam in bibliothecæ Barberinæ antiqua scheda. Prodiit in lucem, quæ aliàs *septem sacramentorum Ecclesiæ* audiebat, cum titulo *Summæ de pœnitentia & matrimonio*, ac Notis Joannis de Friburgo ejusdem ordinis Prædicatorum sodalis, Romę apud Tallinum MDCIII. in folio. Audio de editionibus etiam Bononiensi MDCXIII. Romanaque altera MDCXIX. in folio.

z In fine utrum Judæi sint inducendi ad jurandum.

137. Ejus autem quoddam specimen dedit, ante quàm Summa ederetur integra auctoris, is qui ex ea Summulam seu compendium confecit, Adamus quidam frater, ejusdem forsan instituti Prædicatorum, atque hanc quidem versibus barbaris, quæ incipit:

Summula de Summa Raymundi prodiit ista.
Dogmata multorum conjunximus huic manifesta,
Scriptorum spurios versus facili cumulantes
Eloquio textos, & in apta sede locantes.
Ingenio pueris tardo, quos cura studendi
Non stimulat &c.

Edidit hanc Coloniæ Henricus Kentel anno MDII. in 4°. Quam à se enucleatam scientificis, ut dicitur, glossis M. Joannes Chapuis Venetæ cuidam officinæ anno MDLXIX. in 8°. iterum edendam commisit. Ms. Raymundi *Summam quando pœnitens remitti debeat ad superiorem*, in bibliotheca Thuani Parisiis exstare Labbeus prodit [a]. Item sæpiùs repetita in libraria supellectile MSS. librorum, qui ex Ambrosiana serenissimi Archiducis Oenipontani bibliotheca Viennam trāsportati sunt ad Cæsaream, teste Lambecio lib. 2. *De bibliotheca Vindobonensi* [b]. Summam autem *De casibus conscientiæ* diversam credidit Antonius Senensis à Summa *De pœnitentia & sponsalibus*: quem sequitur Antonius Fernandez. Hæc duo aliis notiora nostri opera. Sed &

a In *Biblioth. MSS. librar.* pag. 52.

b Pag. 812. & 813.

138. *Dubitabilia cum responsionibus ad quædam capita missa ad Pontificem* (consultationes intelligo Gregorio IX. roganti directas) fuisse novimus inter libros membranaceos Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis: & hunc ducentorum annorum tunc præseferre antiquitatem docet ejus catalogus.

Laudatur quoque ejusdem Raymundi

139. *De duello & bello* liber à Gesnero, Possevino, Alphonso Ciaconio, Marieta, Antonio Senensi, Fernandez, aliisque.

140. *Constitutiones Ordinis sui fratrum Prędicatorum* in meliorem formam redegit.

141. *Epistolam* item scripsit Bononiæ anno MCCXXXIV. ad Petrum Nolasco primum Magistrum Generalem Ordinis Deiparæ Virginis de Mercede, pietate, humilitate, ac eruditione refertam, quâ desuadet eum hujus muneris renunciationem quam Raymundi ipsius exemplo invitatus meditabatur. Hanc ex archivo Barcinonensis cœnobii Dominicanorum habitam publicavit Stephanus

Cor-

Corbera in *Vita Dom. Marię Cervellon*, sive *Marię de Socos* [c].

[c] Cap. 18. fol. 66.

142. Temerè autem Raymundo nostro *Pugio fidei adversus Judęos*, qui Raymundi Martini est, attributus alicubi refertur, ex eo quòd ipse auctor fuerit Raymundo Martini ut opus id conscriberet, promotorque & adjutor operis, pro eo, quo flagrabat, zelo fidei, hostes Judæos & Sarracenos disputationibus eorùm, librisque per viros utriusque harum linguarum gnaros, in castris suis oppugnandi. Philippus Jacobus Mausacus in prolegomenis ad *Pugionem* cum Josephi de Voisins observationibus Parisiis anno MDCLI. editum de hoc monuit.

143. Altero anno post eum, qui fatalis S. Raymundo fuit, scilicet septuagesimo sexto, mors contigit Jacobi Regis. Jacobus primus hujus nominis, Aragoniæ regni hæreditatem à Petro genitore, Valentiæ autem & Balearium insularum regna vi & armis adeptus, sexaginta trium annorum imperium fortissimè, nec minus feliciter justeque, administravit, expugnator urbium, tricies Maurorum in acie victor, decore vultus & corporis, regiisque omnibus virtutibus dignus in quem, si eligendus dominator esset, vota omnium conspirarent, anno hujus sæculi decimo tertio amisit patrem, inauguratusque imperio fuit, vicesimo nono Balearium majorem insulam, tricesimo octavo Valentiam, principem sui regni urbem, post ejusdem alias, expugnavit; demumque gloriosissimus omnium decessorum, isto, quem diximus, in eadem Valentia urbe decessit anno, qui ætatis septuagesimus tertius, regni autem sexagesimus secundus fuit. De cujus rebus gestis nihil ulteriùs nos, quibus integra historicorum commentaria transcribere neque animus neque institutum est.

144. Exstant sanè singulares de hoc Rege historiæ, Petri Marsilii, qui ævo ei æqualis vixit, Bernardinique Gomezii Miedes Albarracinensis, præterito seculo Episcopi, satis locupletes. At, quod caput est, ac nostra interest, elucubravit ipse Jacobus Rex vernaculâ gentis, hoc est Provinciali, ut vocant, linguâ (quę tam in Catalonię, quàm in Valentię, necnon in Montis-Pesulani, unde Maria fuit Regis mater, ditionibus in usu fuit) rerum tempore suo gestarum historiam. Nec audiendi sunt qui non ab ipso Rege, sed jussu ejus, eòve res, uti gestę fuerant, suggerente, formatam conjectantur. Prodiit ea Valentię cum hac vernacula inscriptione, quam retinere placuit, venerationem ut habeamus antiquitati:

Chronica ò commentari del gloriosissim e invictissim Rey en Jacme Rey d'Aragò, de Mallorques, e de Valencia, Compte de Barcelona, e de Urgell, e de Munt-peiller, feita, escrita per aquell en sa lengua natural, e treita del archiu del molt magnifich Rational de la insigne ciutat de Valencia, hon stava custodita. Valentię apud viduam Joannis Mey MDLVII. in folio. Idem Cęsar Julius fecit & alii principes, idem Ptolemęus, Lagi filius, Alexandri Macedonis res gestas, quibus ipse interfuerat, jam Ægypti Rex memorans, in quo, ut Arrianus ait [d], *turpius mendacium fuisset quàm in alio quopiam*.

[d] Procemio de Alex. rebus.

145. Quare huic Jacobi historię non minor quàm Cæsaris commentariis ab omnibus iis, qui Aragonensium rerum commentaria scripsere, adhiberi fides solet. De qua Gomezius nuper laudatus: *In primis quidem historia* (inquit [e]) *cujus præcipuus ad perennitatem genius est veritas, ab ipsomet Rege non modò perdiligenter dictata, verùm etiam inter arma, ne quippiam excideret, bastâ quandoque in lęvam conversâ, dextrâ arrepto calamo, exarata; & quamvis ineleganter duroque stylo pro injuria temporum; summa fide tamen, atque accuratè perscripta. Ideoque calcaria mihi certè fuere acrius ad hanc conscribendam adhibita*. Lanuzam adire lector poterit lib. 5. *Historiarum Aragonensium* cap. 37. Garibajum lib. 32. *Compendii histor. Hisp.* cap. 7.

[e] Lib. 1. *De vita Jacobi Regis*, initio.

146. Suppar fuit Jacobo Regi Zeit Abu-Zeit, Valentię Rex, olim Machometanus, deinde Christianus, postquam declinantibus in Hispania sub invictissimis ac bellicosissimis Ferdinando Castellę, atque Jacobo Aragonię principibus Maurorum rebus, Valentięque imperio factionibus discisso, Christianissimi Regis adversus hostes suos ac rebelles implorare auxilia, postremoque ei regni parte quę sibi supererat, cedere habuit opus. Tunc enim Vincentii assumpto nomine, sacro meruit lavacro tingi, Christianoque ritu conjugem ducere. Hujus hìc meminimus, quia auctorem habemus conscriptum ab eo fuisse

147. *De historia animalium*, seu *De animalibus*, librum, qui cum Aben-Sivę operibus per Michaëlem Schotum ex Arabico in Latinum translatus vulgò editur. Nec absque idoneo rei testimonio id asseruisse speramus Hieronymum Paullum Barcinonensem, virum doctissimum, in *Antiquitatum commentario*. Cui nonnisi magnam prestitisse fidem Petrum Joannem Nunnesium Valentinum, clarissimum sui temporis philosophum & philologum, Gaspar Escolanus lib. 3. *Historię regni & urbis Valentię* capitis tertii fine scriptum reliquit. De Ex-rege hoc videri potest Hieronymus Surita lib. 3. *Annal. Aragon.* cap. 2. & 25. Idem in *Indicibus Latinis rerum Aragon.* multis locis [f], Bernardinus Gomezius lib. 5. *De vita & rebus gestis Jacobi I.* lateque Escolanus proximè laudatus, qui ait obiisse hunc anno MCCXLVII. aut sequenti.

[f] Ad ann. MCCXXV. MCCXXIX. MCCXXXII. MCCXXXVI.

148. Ad ętatem ejusdem Jacobi Regis referimus, quia ęqualis vixit, Anonymum, cujus *historiam Catalonię Principatûs* vidit, & in *Annalibus* suis *Aragonensium rerum* laudat, Hieronymus Surita lib. 2. cap. 63. qui & in ejusdem libri cap. 51. historicum alium innominatum hujusmet temporis pro asserenda sacri Pontificii vexilli (*Confalon* appellati) Aragonensis regni fasciis aureis rubrisque signati forma & caussa in testem appellat.

149. Floruere hoc ipso Regis clarissimi tempore duo viri poëtica facultate ad posteros clari. Mossen (ita pro *domino meo* Valentini usurpant [g]) Jordi, hoc est Georgius, & Mossen Febrer, qui vernaculâ gentis linguâ, quę eadem est cum Provinciali & Catala-

[g] Vide Escolanum lib. 5. *Histor. Valent.* cap. 26. 8.

na [h], magna cum laude versificata sunt. Priorem jucundissimè usum fuisse iis carminum formis, quas sextilei, sonetos, terzeroles, & octavas rimas vocat, ab eoque plura desumpsisse, aut in pluribus imitatum fuisse Franciscum Petrarcham, sęculi sequentis famigeratissimum poëtam, & veluti sui temporis Homerum & Senecam, observavit rei totius auctor Gaspar Escolanus lib. 1. cap. 14. ubi inter alia hujus imitationis, sive, ut ille vocat, usurpationis, exempla hæc adducit: Petrarcha dixit in quodam *soneto*:

Pace non trovo, e non hò da far guerra,
E temo, e spero, & ardo, e son un giaccio,
E volo sopra 'l cielo, e giaccio in terra,
E nulla stringo, e tutto il mondo abbraccio.

Et mox ibidem:

Et hò in odio me stesso, & amo altrui.

Et aliud illius *sonetum* ita incipit:

S'amor non è, che dunque è quel che sento?

Mossen autem Jordi Valentinâ suâ linguâ sic:

E no he pau, e no tinch quim guerreig,
Vol soprel cel, e nom movi de terra,
E no strench res, & tot lo mon abras,
Oy be de mi, e vull altri gran bè.
Si no es amor, donchs azò che serà?

Bene autem notam habuit Franciscus Petrarcha Provincialem linguam, tot annis in Gallia & Avenionensi territorio moratus. potuitque de Jordio poëta nostro audire, cùm adolescens, & Lomberiensis [l] in Vasconia & Pyrenæis sic prope Hispaniam canonicus in comitatu Jacobi Columnæ hujus urbis Episcopi dulcissimè vixit [k]. quod Beuterus noster consideravit [l].

150. Posterior autem Mossen FEBRER reliquisse dicitur, cùm æquè esset egregius poëta ejusdem Valentinæ urbis atque hujus temporis, octoadibus descriptam tempestatem, quâ Rex jactatus anno hujus sæculi sexagesimo nono prope Minoricam insulam, Balearium unam, cùm ad bellum sacrum in Palęstina gerendum navigaret, classem penè amisit; de qua Bernardinus Gomezius lib. 18. & Surita lib. 3. *Annalium* cap. 74.

h Idem lib. 1 cap. 14.

l *Lombes* hodie.

k Thomasinus in *Petrarcha redivivo* cap. 1. p. 15. Sanmarthani fratres in *Gallia Christ. & Episc. Lomber.*

l In *epistol. proœmial. brevium.*

CAPUT V.

De PETRO JOANNIS, *sive* JOANNE *Pontifice, hujus nominis XXI. deque ejus doctrina, obituque miserabili. Diversus ab hoc fuit* PETRUS HISPANUS Summularum *auctor, ordinis Prædicatorum. Censiones de hoc invento. Petri Cirueli Darocensis laus. Ejusdem de* PETRO *altero* HISPANO *juniore* Summularum *reformatore observatio. De* ALPHONSO X. *Castellæ ac Legionis Rege, cognomento* Sapiente, *ejusque in literas studio. Plura hujus nomen præseferre opera, quæ an ipse scripserit, an alios scribere jusserit, ambiguum est. Singula curiosè percurrimus, tam poëtica, quàm prosaica. De Tabulis ab eo formari jussis astronomicis. Aliqua de earundem confectoribus forsan Hispanis. Quadripartitum Ptolemæi, & Hali Aben-Raghelis opus astronomicum ex Arabicis Hispana, & ex Hispanis Latina facta fuisse: atque item Albategni* Canones *ex Arabica lingua in vernaculam Hispanam à Rabbi* CAG *Toletano translata. Avicenæ & Averrois Latinè versiones ab eodem Rege promotę; deque Rabbi* JUDA BEN RABBI MOSIS HACCOHEN *Toletano, aliisque, quorum operâ usus fuit idem Rex in Arabicorum translationibus. De* Historia generali Hispaniæ *vulgaris linguę annotantur non incuriosa aliqua. Et insigne aliud universalis ab initio rerum historię ejusdem Regis jussu compilatum opus paucis notum laudatur. De septem Partitarum, sive Hispani Juris corpore, atque ejus proposito & excellentia. De* ANONYMO *quodam Burgensi Episcopo historię Alphonsi jam laudatę Hispanarum rerum in Latinum interprete. De* ROLDANO *scriptore libri* De regulis aleæ.

151. HOC auspicari caput ab eo, qui per hæc tempora, brevissimo quamvis tempore, caput fuit, & summus Ecclesiæ Pontifex, fas & ęquum est. De JOANNE PAPA loquimur, vulgò magis vicesimo primo, aliis tamen undevicesimo existimato, Lusitano, Ulyssipponensi. Petrus is dictus Joannes, & Petrus Hispanus, & Petrus Juliani (vulgò *Giaēns*, quomodo in monumentis Lusitanis) sicut & Petrus Physicus à parentis nomine, tenuis fortunæ hominis, si Pontificiis scriptoribus credimus; si autem Lusitano Cardoso *Hagiologii* auctori [m], nobili stirpe *de Rebolo*, aliàs *Rabello*, nati. Cui quidem Cardoso minimè debuit Joannes, non optimę famæ vir, pars argumenti *Hagiologii* esse. Hunc temerè alii Florentinum ex familia Mediceorum fuisse affirmare ausi sunt, falsi, ut suspicamur, attributione, *Medici*, quam nomini adjunctam legerant [n]. At is ingenio supra fortunam positus, in Galliis, sive Parisiis, sive Monspelii, sive utrobique, philosophiæ ac medicæ arti egregiam navavit operam. Quæ artes viam ei primùm ad patriæ Ecclesiæ sacerdotium, aliasque dignitates munivere, deinde ad munus Cardinalitium, quo eum Gregorius X. Pontifex circiter annum hujus sæculi septuagesimum tertium, unà cum S. Bonaventura, Petro de Tarantasia, qui Innocentius V. postea fuit, & aliis ornavit viris amplissimis, ac fortè ad Episcopatum etiam Bracarensem [o]; demumque ad principem totius Ecclesiæ cathedram; cujus præfecturæ, obeunte diem suum Viterbii Adriano V. in eadem is urbe Septembris decima tertia die anni MCCLXXVI. impositus fuit, ex Episcopo Tusculano, non tamen ultra menses octo imperium sacrum prorogaturus. Ruinâ etenim conclavis oppressus, & è ruderum trabiumque cumulo ęgrè ac semianimis eductus, post sextum diem Majo mense in eadem urbe Viterbiensi exspiravit. Transeuntes quidem hac nos an. MDCLXXVIII. cùm è Roma in patriam reverteremur, non sine horrore contemplati sumus ruinę hujus locum, seu voraginem Pontificii palatii, nihil ab eo in quod tunc recidit, immutati.

152. Non pauca de eo pastoralis solicitudinis intra hoc brevissimum temporis intervallum documenta narrantur, velificantibus aliis,

m Tom. 3. die xxx. Maji pag. 322. quem sequitur in Cardinalium Portugalliæ elencho P. Fr. Emmanuel à Resurrectione Augustinianus reformatus prov. Portugalliæ, quem adornabat superioribus annis Romæ.

n Corius & Zazara in Italię genealogiis pro hac parte laudari solent.

o Cardosius in *Hagiolog.* ubi proximè pag. 322.

aliis [p], ingenium hominis ad scholasticam laudem potiùs quàm ad gerendam Ecclesię rempublicam natum, ut ferè sunt ingeniosissimi homines administrandis negotiis inepti; objicientibus aliis, prę ignorantia illius sęculi, magicę artis studium [q], uti Alberto Magno, & similibus non cum vulgo sapientibus [r]; necnon violatam novis opinionibus pietatem [s], & à religiosis ordinibus aversum animum. Quę omnia tum Odericus Raynaldus in *Annalibus Ecclesiasticis*, tum Antonius Macedo amicus noster in *Lusitania purpurata*, enixè atque egregiè refellunt. Cujus hanc diligentissimam atque elegantissimam lucubrationem pro absoluta Joannis rerum notitia consulere lector poterit. Nullus hoc non fatetur, insignem literis virum, & literatorum omnium beneficentissimum Męcenatem fuisse. Ingenii autem Joannis Papę, ad rem nostram ut jam veniamus, inconcussę fidei partus medici omnes per me sint, qui adscribi ei consuevere. Nempe in primis

p Volaterranus lib.22. *Comm. Urban.* Sabellicus enneadis IX. lib. 8. Martinus Polonus in Chronico, Nauclerus, Platina, Simoneta *De Vita Pontif.* Rollevinx in *Fascic. temporum*, magnum Chron. Belgicum ad ann. MCCLXXVI. ex Bernardo Guidone.

q Auctor *Chron. Colmar. Dominican.* apud Raynaldum anno MCCLXXVII. num. 20.

r Vide Gab. Naudęi in sua *Virorum pro magis falsò habitorum Gallica apologia.*

s Sifridus Misnensis in Chron. apud Raynaldum ibidem.

153. I. *Thesaurus pauperum, seu de medendis humani corporis morbis per experimenta ex omni genere auctorum, & experientiâ propriâ congestum*. quomodo inscriptus Lugduni prodiit anno MDXXV. ex Jacobi Myt officina. Editiones alias, binam Franco-furtensem annorum MDLXXVI. & MDLXXVIII. & Parisinam MDLXXVII. laudat in *Bibliotheca Pontificia* Ludovicus Jacobus à S. Carolo Carmelita, plures ad codices MSS. qui Patavii, Parisiis, & Cantabrigię in Anglia custodiuntur, digitos intendens. Ex interpretatione Hispana prodiit, post antiquiorem, ut suspicor, editionem, Pinciæ anno MDCXXII. in cujus tamen titulo monet temerè interpres, opus hoc jussu Joannis Papæ formatum à Juliano ejus medico doctissimo, qui ad id conficiendum magistros omnes illius temporis in medicina celebres, hoc est non minùs quinquaginta sex, in unum collegisse, absque ullo rei tam novæ auctore, ait. Si excipias quam vetus quidam codex meus MS. huic suspicioni confirmationem exhibere videtur; qui certè liber continet hunc, nisi fallimur, *Thesaurum pauperum* linguâ Lusitanâ sed Rabbinicis characteribus scriptum, cujus à me possessi atque ei in manus dati, Rever. Pater D. Julius Bartholoccius meminit in appendice primi voluminis *Bibliothecæ* suæ *magnæ Rabbinicæ*, ubi sanè auctor se magistrum Julianum vocat, librumque ipsum *Thesaurum pauperum*.

154. II. *De medenda podagra tractatus*. Cujus libri Petro Portugallensi, Episcopo Cardinali Tusculano, attributi Paullus Cortesius meminit lib. 1. *De Cardinalatu*. quidem cum nostro est.

III. *De oculis tractatus*. qui MS. exstat Oxonii in collegii omnium animarum bibliotheca vol. 3.

IV. *De formatione hominis tractatus* MS. Cantabrigiæ in archivo collegii Caji.

V. *Super Tegnis & Hippocratem glossæ de natura puerorum* MSS. Patavii inter libros S. Joannis de Viridario canonicorum Lateranensium, & in bibliotheca Veneta S. Antonii, auctore Thomasino. *Biblioth. Venetæ* pag. 4. & *Patavinæ* pag. 35.

VI. *Canones medicinæ*.

VII. *Consilium de tuenda valetudine*. ad Blancam Franciæ Reginam, S. Ludovici matrem. Ms. fuit apud Gabrielem Naudæum.

VIII. *Commentaria in Isaacum de diætis universalibus & particularibus*. unà cum operibus Isaaci edita Lugduni à Bartholomæo Trost MDXV. in folio, manuque exarata Oxonii in bibliotheca collegii omnium animarum vol. 23.

IX. *Commentaria* in eundem Isaacum *De urinis*, ibidem apud eundem Trost.

X. *Problemata* quædam ad exemplum Aristotelis. Id vulgò tribuitur Petro medicorum laudatorum auctori, ut jam videbimus.

155. XI. *Epistolæ*, quarum unum volumen in Vaticanis libris numeratur, certè nostri auctoris sunt. At, ut reliqua eidem Joanni Papæ à Ludovico Jacobo, quem ferè sequimur, diligentissimum *Pontificum scriptorum* enarratorem, adscripta his subjungamus, non dum est persuasum, quemadmodum nec *Sermones prædicabiles* (quamquam plura in divinis eum scripsisse, per errorem, ut suspicamur, Sabellicus prodat [t]) aliaque Cremonæ, ut ait, in bibliotheca Augustinianorum servata. Tractatum item *De conceptione Deip. Virginis*, quem unus Joanni attribuere non dubitavit Bartholomæus Guerrero Franciscanus [u].

t Enneadis IX. lib. 8.

u *De controvers. immaculat. Concept.* &c. fol. 11.

156. Quamvis enim pluribus, atque utique doctis viris [x], non displiceat unum atque eundem esse Petrum Joannis, sive Juliani, Hispanum, de quo agimus, cum Petro Hispano decantatissimo illo *Summularum*, & aliorum philosophicorum operum, auctore; silentium tamen de Joannis Papæ operibus dialecticis, sive philosophicis, ac præcipuè isto libello *Summularum*, qui tot statim sequaces & illustratores habuit, æqualium ejus temporis scriptorum, qui Joannem Papam, uti *Thesauri pauperum*, & cæterorum, quorum meminimus, monumentorum scriptorem tantùm laudant, ambiguam omnino rem facit. Ptolemæus Lucensis in *Ecclesiastica historia*, quam perduxit ad annum usque MCCCXLII. quo tempore florebat, *anno Domini eodem, hoc est MCCLXXVI. & circa finem* (inquit [y]) *Septembris dominus Petrus Hispanus, dictus Petrus Juliani, Cardinalis Tusculanus, natione Portugallensis, de Cardinalatu assumitur in Papam, & Joannes XXI est vocatus. Hic generalis clericus fuit,* (*virum philosophicum, & in omni scientia eruditum* Joannes Ægidius Zamorensis [z], *in scientiis diversis famosum* Nicolaus Trivet [a], vocavere) *& præcipuè in medicinis. Unde & quædam experimenta scripsit ad curas hominum, ac librum composuit, qui* Thesaurus pauperum *vocatur. Fecit & librum* De problematibus *juxta modum & formam libri Aristotelis. Et quamvis magnus fuerit in scientia* &c.

x Lusitani ferè omnes, Joannes Barros, & ex eo Acunha *Histor. Eccles. Bracar.* par. 2. cap. 15 Cardosius in *Hagiolog.* tom. 3. Maji XIX pag. 322. Miræus in *Auct. bibliothecę* cap. 404. Macedo in *Lusitania purpur.* in Joanne XXI. & sequutus Ludovicum Jacobum, Augustinus Oldoinus in adjunctis ad Ciaconium *De Vitis Pontific.* edit. Romanæ MDCLXXVII. tomo 2. col. 212.

y Auctoris inediti verba leguntur apud Raynaldum tom. 14. *Annal. Eccles.* anno MCCLXXVI. num. 29.

z Libro *De præconiis Hisp.* adhuc inedito tract. 5.

a In Chron. ad annum MCCLXXVI. edito in *Spicilegii* Dacheriani volum. 8.

157. Nec aliter Joannes Trithemius *De* scri-

scriptoribus Ecclesiasticis, & in Chron. Hirsaugiensi, ubi ait confusè & indistinctè ex libris de re medica, & aliis de arte logica opusculis, *Summulam quandam* exstare, *quam* Thesaurum pauperum *appellant*. Joannes item Philippus Bergomensis in *Supplemento*, Platina in Joanne XXII. Franciscus Tarrafa *De Regibus Hispaniæ*, in Alphonso X. & alii.

158. Accedit, ut diversus ab hoc auctor sit *Summularum*, quòd Dominicani scriptores ordinis sui sodalem Petrum Hispanum, cujus eæ *Summulæ* nomen præseferunt, communiter faciunt, aliique cum eis, tum veteres tum recentiores, ut postea dicemus. Absque tamen præjudicio veritatis, relinquentes aliis, quibus intererit, duo an unus Petrus, cognomento *Hispanus*, fuerit, examinare: interim nos, præter Joannem Papam, privatum alium ponimus.

159. PETRUM scilicet, à gente HISPANUM vulgò nuncuparum. Hic ex ordine fratrum Prædicatorum fuisse dicitur, ac in Parisiorum gymnasio professor publicus. At volens is domesticis sodalibus dialecticam artem faciliùs insinuare; introductionem quandam ad Aristotelis magnam logicam excogitavit, diminuenteque verbo *Summularum* usus, vulgarem fecit. Quamquidem, veluti fausto conceptam omine, statim ferè gymnasium illud, aliaque per Europam amplexata sunt, auditoribusque dictaverunt. Utinam verò successores, atque in eadem schola Parisiensi professores dialecticæ artis, bonum Petri consilium non evacuâssent, imprudenterque alii post alios quasi contendentes evertissent. Ecce enim, pro breviuscula introductione, compendioque viæ demonstrato, ingentia mox volumina interpretes parum scholaribus morigeri, juxta modum unusquisque sectæ suæ, sive magistrorum doctrinæ, planum atque apertum iter immensis quæstionum noviter excogitatarum molibus obstruentes substituerunt.

160. Joannes quidem Versoris Thomistarum, Joannes alius Magistri Scotistarum, necnon & tertius alius Joannes cognomine *Buridanus* Nominalium, quos vocabant, sectæ ac sensus prolixi defensores. Quorum postremus correctiones etiam his *Summulis* de suo adjiciens, hujus ipsius libelli auctor vulgò laudari non erubuit. Neque tamen hactenus ab iis, quos nuper laudavimus, meditata perpetuum scribendi cacoëthes aliorum retardare aut deterrere potuerunt; quin textui Buridani Joannes Dorpius ejusdem Nominalium scholæ commentarium apponeret quæstionibus refertissimum; hinc Buridani expositiones Georgius Bruxellensis, atque utriusque, Georgii nempe ac Dorpii, commentariorum amplificationes Joannes Majoris, publicarent.

161. Porrò alias *introductiones*, quas *terminorum* nomine appellaverunt, Petro de Aliaco satis breves, Joanneque ipso Majoris aliquantulum auctas, aliisque alias superiorum glossas obtrudentibus, evenit planè, ut veræ ac solidæ studium logicæ philosophiæque, triennio aliàs absolvendum, majori ex parte sophistarum cavillis & inextricabilibus argumentorum nodis loco suo & possessione decederet. Hic fuit nempe successus progressusque, quem nisi feliciora liberalium artium tempora in melius, hoc est ad rectam viam, revocâssent, haud utique esset cur Petro nostro aliquam gratiam haberemus; qui invento suo infinitam scriptorum literis, & otio suo alienoque abutentium, vim ac veluti turbinem concitavit.

162. Hæc ferè omnia summatim excerpsimus ex Petri Ciruelli Darocensis, ut in omni historia & disciplinarum genere fuit curiosus, ad easdem *Summulas* commentario. Adi, si vis, lector de omnibus harum *Summularii* enarratoribus & exemplaribus in bibliothecarum angulis asservatis, Ludovicum à S.Carolo toties dictum, dum hoc opus *Summularum* Joanni suo XXI. Papæ adscribit. Hunc Petrum Hispanum *Summularum* inventorem Dominicanum sodalem fuisse, passiva est hujus sacræ familiæ persuasio; quam legere est apud eos omnes, qui *De scriptoribus Dominicanis* à sæculo & ultrà commentati sunt [b]. Nec dicas domi hanc natam præsumptionem: nam & exteris quibusdam ante hos domesticos testes natis eadem fedit sententia [c], & Joannes Marieta Dominicanus quicquam adjunxit [d] efficacioris argumenti, servari nempe hujus cadaver in cœnobio S. Dominici Stellæ Navarræ regni urbis. Necnon & in volumine MS. bibliothecæ Hispal. Ecclesiæ, quod *Summulæ cum commento Bartholomei* inscriptum est, hæc legitur operis totius conclusio: *Et in hoc terminatur lectio, & per consequens totus liber Bartholomæi super primam partem magistri Petri Hispani de ordine Prædicatorum*.

163. Sed & aliquid habemus his ex eodem Petro Ciruelo adjungere. Alterum nempe is PETRUM HISPANUM, præter priorem hunc *Summularum* inventorem, cognitum habuit, quem juniorem appellat, cùm tempore tum professione vitæ diversum. In clericali enim statu honestissimè vivens, philosophus fuit atque theologus doctissimus, omniumque bonarum artium disciplinis excultus; utpote quem non barbarum ævum, sed cultior utique ætas tulit. Huic tribuit Ciruelus commentaria

I. *In spæram Joannis de Sacro-bosco.*

II. *In arithmeticam & geometriam Thomæ Bravadini.*

III. *In perspectivam Cantuariensis.*

IV. *In Aristotelis prædicamenta seu categorias, & posteriora analytica.*

164. Hujus quoque Petri junioris adscriptum nomini circumferri ait in antiquis quibusdam exemplis *Summularum* opus hoc titulo:

Petri Hispani recentioris opusculum Summularum ad magnam logicam Aristotelis introductorium. Hoc inde natum ajunt, quod junior hic Petrus conterranei sui, & sibi cognominis Petri alterius, dolens vicem, cujus libellus scilicet orto jam disciplinarum sidere propter ruditatem styli contemnebatur,

b Ant. Senensis, Ambrosius Thegius, Alphonsus Fernandez, Seraphinus Razzius.

c Marineo Siculo, qui duobus distinctis capitibus libri 6. *De laudibus Hispaniæ*, altero *De Petro medico Episc. Tuscul. & summo Pontifice*, altero *de Petro Hispano mathemat. & philosopho* agit. Didaco Rodriguez de Almela ducentorum annorum scriptori, in *Valerio historial.* vulgaris Hisp. linguæ lib. 6. cap. 9. Petro Ciruelo ubi suprà.

d Lib. 2. *De los santos de España* cap. 37.

tur, eidem limam judicii ac sermonis admoverit, inductis insuper quæ necessaria, deductisque prudenter quæ superflua essent, omniaque in commodiorem ordinem redegerit.

165. Exemplum esto septimi & ultimi libri postremum caput *De redditione omnium fallaciarum ad ignorantiam elenchi*. quod in recentioris Petri editione omnino rejectum fuit, quemadmodum & exsulare hinc jussus est *tractatus de parvis logicalibus* (de quo agit Jo. Ludov. Vives *De caussis corruptarum artium* libro 3.) hoc est, *de ampliationibus, suppositionibus, restrictionibus, appellationibus, atque aliis proprietatibus terminorum*. Hæc omnia Petrus Ciruelus. Congeremus ergo hic omnia quæ Petro Hispano, præter jam suprà memorata, novimus adscribi consuevisse; ut aliquem horum trium apud diligentiores rei difficilis perscrutatores auctorem suum nominare aliquando valeant. Ludovicus nimirum Jacobus à S.Carolo, helluo librorum, & bibliothecarum diligentissimus inspector, in *Pontificia bibliotheca* ultra opera medicæ artis, & *Summulas*, alia hæc dialectica & philosophica Petro suo Lusitano, seu Joanni Papæ, attribuit

166. *Parva logicalia*. quæ edita sunt seorsum à *Summulis* anno MDXCIII. in 4°. Venetiis.

167. *Tractatus logicales* sex, quos cum copulatis *elucidariis magistrorum in bursa montis Coloniæ regentium* edidit Henricus Quentelius Coloniæ MDIII.

168. *In physiognomicam Aristotelis*. Exstat MS. Cantabrigiæ in bibliotheca domus S.Petri vol. 54. num. 3. Et in Vaticano codice, & iis qui Ducis Urbini fuere, num. 472. pag. 46. legitur *Petri Hispani sententia super libro physiognomiæ Aristotelis*.

169. *Dialecticam*. Exstat MS. in bibliotheca S.Joannis in Viridario Patavii teste Philippo Thomasino. In hanc dialecticam (ait à S. Carolo) Christophorus Hegendorfius *Pragmata* Basileæ apud Cratandrum anno MDXL. in 4°. edidit. Fuit ex MS. hæc dialectica in bibliotheca Cardinalis Carpensis. *Logica* Petri Hispani Hebraïcè versa reperitur MS. in bibliotheca Cæsarea Viennensi, auctore Spizelio in *sacris biblioth. illust. arcanis* pag. 73. *Dialectica* ex interpretatione Græca Maximi Planudis MS. in bibliotheca Veneta Barociana, Thomasino teste [e]. Sunt & alia, quorum is non meminit, nempe

[e] In biblioth. Ven. pag. 84.

170. *In logicam reparationes Petri Hispani*, Coloniæ anno MDCX. editæ. Sunt in bibliotheca Sapientiæ Romanæ.

171. *Modernitates logicales* Petri Hispani fuere inter libros, quibus utebatur in via Benedictus XIII. Papa, ut in earum catalogo legitur, quem habet Barberina bibliotheca Romana.

172. *Textus & copulata* Petri Hispani edita in 4°. anno MCDXCIV. fuere in bibliotheca ejusdem Cardinalis de Carpi.

173. *Petri Hispani lectiones in primum lib. physicorum* servantur MSS. in Mediolanensi Ambrosiana.

174. Exstant in Hispalensis almæ Ecclesiæ bibliotheca, quæ D.Ferdinandi Coloni, magni Christophori filii, & in eadem Ecclesia sepulti, olim fuit, quædam Petro Hispano tributa opera, sive MS. sive vagiente adhuc typographia edita, quorum en rationem.

175. *Textus omnium tractatuum Pet. Hisp. cũ copulatis secundum doctrinam S. Thomæ, juxta processum magistrorum Coloniæ in bursa montis regentium*. Possessor Colonus inscriptum à se habebat: *Petri Hisp. tractatus logicales cum commento Lamberti de Monte*, anno MCDLXXXIX. folio.

176. *Glossulæ Petri Hispani super Joannitium* MS. nec satis distincto isto titulo, in charta pergamena in folio.

177. *Summulæ Pet. Hisp. cum interpretatione Versoris doct. Paris.* Venetiis MDXVIII. folio.

178. *Summulæ cum commento Bartholomæi* MS. antiquo satis charactere. In fine habet: *Et in hoc terminatur lectio, & per consequens totus liber Bartholomæi super primam partem mag. Petri Hispani de ordine Prædicatorum. Deo gratias. Amen.* Quod valdè notandum ad constituendum Petrum Hispanum Dominicanum.

179. *Petri Hispani Summulæ cum comment. Dorpii & Ocham* (apposuit Colonus ex suo marte hunc titulum: *Pet. Hisp. Summulæ cum commentario compilato ex Buridano, & Ocham, & aliis. Item Nicolaus Amans super Summul. Pet. Hisp.*) Parisiis MDX. in 8°.

180. *Hieronymus Cingularius Chrysopolitanus in omnes tractatulos Petr. Hispan.* Lipsiæ MDXIII. in 8°.

181. *Gerardus Herdevicensis copulata super parva logicalia Pet. Hispani.* Coloniæ MCDLXXXVIII. in folio.

182. *Commentarium secundum modernorum doctrinam in tract. logicos Pet. Hisp.* MDIII. in 4°.

183. *Petri Hisp. Summulæ cum interpretat. Georgii Bruxellensis.* Rhotomagi MD. in 4°. Hæc omnia inter Colonæos libros.

184. Hic autem Dominicanus horum operum seu partis auctor, Petrus forsan est de Blanes, seu Valentinus seu Catalanus, creatus à Benedicto XIII. Cardinalis diaconus S.Angeli anno MCCCXCVI. Panvinio [f] & Ciaconio testibus, idemque ejus Pontificis caussæ, quæ totâ ferè Europâ contra Bonifacium Papam IX. in factiones iverat, de scripto patronus & propugnator, de quo Raynaldus in Bonifacii gestis [g]. Huic gesta alia tanquam ex eodem Panvinio, proficiens falsò imputat Gaspar Escolanus in *Historia urbis & regni Valentiæ* vernaculè conscriptæ lib. 9. cap. 11. num. 8. Qui quidem ex occasione laudatæ ibi nobilissimæ *de Blanes* familiæ è Sabaudia oriundæ, de hoc ejus stirpis viro monet, videri sibi non nusquam lectum, fuisse hunc *Petrum* à patria *Hispanum* dictum, cui scriptum hoc imputari solet.

[f] In Romanis Pontificibus pag. 314.

[g] Ad ann. MCCCXCV. nu. 5. tom. 17. Annal. Eccles.

185. Petri Hispani nomen præfefert liber *De rebus spiritualibus*, asservatus in bibliotheca Dominicanorum Bononiæ; cujus rei testem habeo Alphonsum Ciaconium in schedis ad

dis ad

dis ad Bibliothecam universalem. Præterea ejusdem nominis æquivoco ductus, ut credo, Balthassar Porreño in opere suo hactenus inedito *De Cardinalibus Hispanis*, Petri cujusdam de Toledo, aliàs vocati Petri Hispani, quem Bonifacius VIII. Pontifex anno MCCCII. in Cardinalium collegium assumpsisse dicitur, mentionem habens; ingenio ejus laudato, digna eo nonnulla hunc scripsisse opera refert, quin ultrà aliud.

186. Jam verò supremum Ecclesiæ principem, de quo nuper loquuti sumus, si unus sit atque idem Petrus, quem in duos, aut etiam tres, divisimus, Rex sequatur Hispaniæ nostræ potentissimus ALPHONSUS X. *Sapiens* cognominatus & *Astrologus*, B. Ferdinandi filius, Castellæ atque Legionis antiquus, Murciæ autem, Giennii, Cordubæ, Hispalisque regnorum novus Rex; idemque in Romanum Imperatorem electus. Qui profectò, si eximiam partem ob ingentis doctrinæ, magnanimitatis, & aliarum corporis animique virtutum dotes, famam, elatione quadam ingenii [h] justò altiùs se efferentis atque jactantis non denigrâsset, inter optimos & sapientissimos, non tamen felicissimos, rerum dominos, monumentum sui nominis albo sæculorum inscripsisset.

187. Neque intendimus historiam, quæ nulli ignota est [l], Regis, sed studiis dediti ac scriptoris tantùm, quæ instituti est præsentis, texere; contenti si ob chronologiæ, quam accuratè persequimur, observationem monuerimus anno hujus sæculi quinquagesimo secundo regni habenas à magno parente diem suum sanctissimè obeunte dimissas in manus sumpsisse; quinquagesimo septimo in Romanum Imperatorem à tribus electoribus adversus Ricardum Ducem Eboracensem, Henrici Angliæ Regis.... germanum fratrem, cooptatum fuisse; quò proficisci cùm domesticis impeditus negotiis diu cunctatus esset, novæ Rodulphi Augsburgici electioni locum fecit; anno demum sæculi ejusdem octogesimo quarto, regni tricesimo secundo, ætatis LXIII. ferè exauctoratum à Sancio filio Hispali obiisse.

188. Hujus erga literas meritum bifariam dividimus. Vel enim per se ipsum ac propriâ industriâ elucubravit, vel per alios elucubrare fecit, quæ ad posteros ejus nomine insignita derivavere. Prioris generis certè sunt

189. I. *Libro del tesoro*. in quo doctè ac excellenter agit de tribus philosophiæ partibus, rationali, physica, & morali. Hunc habuit MS. in codice qui fuerat priùs D. Josephi Gonzalez, regii Castellæ & Cameræ senatoris, excellentissimus D. Petrus de Guzman Comes de Villa-umbrosa, Marchio de Monte-alegre & de Quintana, supremi ejusdem Castellæ senatus olim præses.

190. Alius tamen ab hoc videtur, quamvis similiter inscriptus, liber chimicus, in quo refert sibi datam à Deo fuisse lapidis, quem vocant philosophorum, cognitionem, ad idque præceptore usum se Ægyptio quodam homine, quem magnis præmiis allectum inde ad Hispaniam venire fecit: quod quidem partim soluta oratione, partim versibus, narrat. Specimen hujus, & principium, primus typis edidit Ægidius Gundisalvi Davila in *Ecclesiæ Hispalensis theatro* [k]. Unde colligere possumus, cùm germano illius temporis, quo vivebat Alphonsus, idiomate conscriptus sit, aliaque ejusdem Alphonsi opera stylo referat, aut ejus esse, aut æqualis alicujus eloquentiâ & majestate sermonis ejus bene imbuti; qui quidem se scripsisse librum anno hujus sæculi septuagesimo secundo annotatum insuper voluit.

191. *Thesaurum* Alphonsi Joannes laudat Mariana in tractatu *De adventu S. Jacobi in Hispanias*. Nec dicere possumus, an hic sit *Philosophiæ occultioris liber, præcipuè metallorum*, qui eidem adscriptus in *Theatro chimico* legitur [l]. Ubi tamen *Alphonsus Rex Castellæ, sapientissimus Arabum philosophus* ridiculo errore audit. Meminit quoque Borellius in *Bibliotheca chimica* [m], *Clavis sapientiæ* Alphonsi, quę sic incipit: *Quia semper honoratiss.*

192. II. *Libro de las querellas*. versibus, quos *de arte major* idiotismus noster vocat, eo tempore vulgaribus, jam antiquatis, dodecasyllabis, nec majestate & harmoniâ vacuis, qui tamen hendecasyllabis ab Italia petitis grandiori cothurno elatis locum suum pridem cesserunt. Lamentatur in hoc opere Alphonsus de magnatum regni sui vel ingratitudine vel infidelitate, qui Sancium ejus filium, vivo adhuc patre Rege ac derelicto eo, sequerentur.

193. Nuncupavit librum Didaco Petri Sarmiento hac octoade:

A ti Diego Perez Sarmiento leal,
Cormano, e amigo, e firme vasallo,
Lo que à mios homes de cuita les callo
Entiendo dezir, plañendo mi mal.
A ti que quitaste la tierra e cabdal
Por las mias faciendas en Roma e aliende,
Mi pendola buela, escuchala dende,
Cà grita doliente con fabla mortal.

Prosequiturque:

Como vas solo el Rey de Castilla,
Emperador de Alemania que foe,
Aquel que los Reyes besavan el pie,
E Reynas pediam limosna è mencilla:
El que de hueste mantuvo en Sevilla
Cien mil de à cavallo y tres doble peones,
Elque acatado en lexanas regiones
Fue por sus Tablas, y por su cochilla.

Quod libri principium nunquam luce donati ex D. Josepho Pellizerio archichronographo regio habuimus [n].

194. III. *Libro de la vida y hechos de Alexandro Magno.* Metricum id quoque opus diversorum rhitmi ac mensuræ, ut patet ex his versibus, quos apud eundem Pellizerium [o] rei auctorem legimus de expeditione Alexandri in Libyam atque Ammonis delubrum:

Subjugada Ægypto con toda su grandia,
Con otras muchas tierras, que contar non podria,
El Rey Alexandre señor de grand valia
Entrol en voluntad de ir en romeria.
Puso su esportella, e priso su bordon,

Pen-

h Id scriptum reliquit D. Petrus IV. Aragon. Rex, quem laudat Surita. lib. 4. *Annal.* cap. 47. Idem lib. 9. cap. 64. Roder. Sancius *Hist. Hisp.* parte 4. cap. 5. Garibay lib. 13. cap. 15.

l Præter historicos Castellanos de Alphonso agunt Bernardus Desclot in *Historia Cataloniæ* cap. 6.

k Tomo 1. *Theatri Eccles. Hisp.* pag. 5.

l Volum. 5. Argent. apud Zeltner. ann. MDCXXII. in 8.

m Pag. 5.

n In opere hujus tituli, *Informe del origen, antiguedad, calidad, y succession de la casa de los Sarmientos de Villa-mayor* fol. 22.

o In eodem opere fol. 13.

Pensò ir à Libya ala fied de Amon.

195. IV. *De los loores y milagros de nuestra Señora*. & id quoque versibus; cujus quidem libri fecit mentionem Gundisalvus Argote de Molina in *historia* sua [p] *nobilium familiarum*, quæ ad Bæticam adversus Mauros expeditionem venere. *Cantica* tamen (seu vulgò *cantares*) librum vocans. Erat ab hinc aliquot annis codex ipse regius, hoc est jussu ejusdem Alphonsi, ut conjicere datur, pulcherrimè in membranis scriptus, historiisque versicoloribus variegatus, penes D. Alphonsum de Siliceo, curiosum literarum omnis generis æstimatorem, ut accepimus ab amico nostro D. Joanne Luca Cortesio literis ad nos datis XIX. Sept. MDCLXXIV. ex curia Matritensi. Nunc jam est, quum hæc scribimus, inter ejusdem D. Joannis Lucæ libros. Miracula plusquam ducenta, majorem partem sui temporis, & singularia quidem, aliàs inaudita, Rex enarrat, alterâ paginâ collocatis versibus, è regione autem pictis affabrè historiis miraculorum.

196. Suspicatur tamen idem Cortesius huic volumini deesse aliquid, aut majoris operis partem esse. Desideratur enim miraculum, quod Dominæ nostræ *del Castillo de Chincoja* vulgò appellant, cujusque idem Argote meminit in laudata *historia Bæticæ nobilitatis*. Hæc, ferè omnia poëtica, nota sunt nobis hactenus Alphonsi Regis opera. Nec dubito quin alia ejus nomen præ se in ore omnium hominum ferentia plura ejus curæ & industriæ habeant; quantumvis regiis jussu & auspiciis elaborata ab aliis credantur fuisse. E quibus, si non scriptoris, saltem meritum promotoris & auctoris, hoc est veri literarum omnium ac literatorum sui temporis, sive in philosophica, sive in medica, sive in prudentiæ juris, sive tandem in sacræ profanæque eruditionis, & historiæ disciplinis excellerent, Mæcenatis, inclytum reportavit. De quibus sigillatim agendum est. In hoc enim rem nostram procuramus. Cùm cives Hispaniæ sint ex iis plures, quorum industriam, & stylum ad peragenda ea Rex applicuit sapientissimus. Notiora sunt.

197. V. *Tabularum Astronomicarum* opus celeberrimum, quas Alphonsinas posterior mathematicorum vocavit ætas. Hæ cœlestium motuum tam errantium quàm fixarum stellarum, quæ ab observationibus Ptolemaicis multum jam desciverant, rationes continent, quæ ad superius usque sæculum in usu fuere. Astronomis pluribus viris ævi ejus clarissimis ex Africa & aliunde magno impendio [q] evocatis id conficiendum, quod potentissimo ac doctissimo principe dignum esset, opus commisit. Quorum præcipuus fuisse Hebræus quidam dicitur ISAAC HAZAN, id est *cantor*, quòd synagogæ Toletanæ cantor esset. Isaacum *Ben.* סיד *Sid* vocant Hebræi scriptores librorum *Juchassin* & *Scialscelcth hakabbadà*, ut observavit amicus noster abbas Dom. Julius Bartholoccius Cistercìensis in *Bibliotheca magna Rabbinica* sive *De scriptis Hebræorum* [r]. Quæ bene inter se duo conveniunt, alterum patris, alterum officii, nomina.

198. Attamen cum eo admovisse operi manus & laborem Alfarabium, Aben-Raghelem, Profatium, Mahomad Haomar, necnon & Omar, si alius est, Hali, Geberum Hispalensem, Zacutum, Calo-Calonymum, & alios quamplurimos, partim Jacobus Christmannus [s], & Augustinus Riccius [t], partim Lucas Gauricus [u] auctores sunt. Sed vixisse hos omnes Alphonso equales non facilè ab aliis impetrabitur. Alfarabium quippe decimi aut undecimi sæculi auctorem Josephus Blancanus [x], sicut & Geberum Jo. Bapt. Ricciolus [y] credidere; qui Geberi, & Arzakelis Hispalensium observationibus eos fuisse usos, qui *Tabulas* Alphonso componere, potiùs quàm operas suas contulisse his utrumque viventem & præsentem existimabat, uti in Gebero annotatum à nobis fuit.

199. Profatium verò Judæum vixisse circa annum MCCCL. hoc est post sæculum integrum, censuit Ismaël Bullialdus [z]. Aben-Raghel est idem qui: Hali fuit enim filius Aben-Raghel, vixitque hoc sæculo dicitur, quem in Hispanum vertendi curam, ut infrà dicemus, Alphonsus Hebræo cuidam delegavit. Zacutus verò, si est Abraham Zacutus, libri *Juchassin* auctor, ante sesqui-sæculum, hoc est proavorum, floruit tempore.

200. Diversum omnino est quòd Alphonsus ipse dicitur in quodam codice seu exemplo, harum *Tabularum* scriptum reliquisse, qui codex fuit penes Joannem de Herrera Bustamante, doctissimum Philippi II. Regis architectum, uti refert Hieronymus Romanus de la Higuera in *Historiæ* suæ MS. *urbis regnique Toletani* lib. 22. cap. 13. Ibi enim legitur [a] *Alphonsum jussisse: Toletum ut convenirent Aben-Raghel, & Alquibitium, quos præceptores suos appellat, Toletanos, Aben-Musium, & Mahomad Hispalenses, Joseph Aben-Hali, & Jacobum Ab-Vena Cordubenses, pluresque alios ad quinquaginta & ultrà è Guasconia & Parisiis ingentibus expensis convocatos; hisque curam imposuisse vertendi Ptolemæi Quadripartitum, & colligendi libros Mentesanis & Algazelis; præsertimque huic rei incubuisse Samuëlem, & Jehudam Elconbeso*, quem *Alfaqui Toletanum* vocat; *hosq; in palatio quod extra Toletum à Galiana* (ut ajunt) *Regina appellationem habet, congregatos, quibus ipse Alphonsus, eo autem absente Aben-Raghel, & Alquibitius præerant, examinandis firmamenti atque stellarum motibus ab anno MCCLVIII. usque ad MCCLXII. attentissimè ac perpetuò vacasse, tandemque Tabulas*, quibusde loquimur, *confecisse. Quo absoluto negotio Rex* dicitur *omnes sive pecuniâ, sive exemptionibus tributa solvendi, quæ ad eorum quoque heredes pertingerent, alacres ac locupletes dimisisse. Quarum exemptionum conservari vel nunc instrumenta Toleti* XII. *die Maji eræ MCCC.* (qui est annus MCCLXII. suprà memoratus) *confecta*, idem subjungit. cujus verba, quia inedita hactenus sunt, remque ab opinione laudatorum priùs auctorum valdè diversam continent, oræ imprimere pretium operæ duximus.

201. Non

p *Nobleza de la Andalucia*. In Indice librorum quibus fuit usus.

q Ad quadringenta aureorum millia quidam extendunt. V. Caramuelem de hac summa disquirentem parte 1. *Mathesis* in disputatione proœmiali art. 14. num. 14. Ricciolum in *Chronice astrologorum Almagesti* sui parte.

r 1. volum 1.260 pag. 154.

s In *Astronom. hist.*

t In *Præfat. ad Almag. Ptolemæi.*

u In *Oratione de laudibus astronomiæ*. Hos tres laudat Athan Kircherus in *Arithmologia* par. 1. cap. 4. pag. 49. & 55.

x In *Chronol. Mathematicorum* pag. 56

y In *Præfatione novi Almagesti*.

z In *Præfatione ad astronom. philolaicam*.

a Verba Higueræ: *Mandò el Rey que se juntassen Aben-Ragel y Alquibitio sus maestros, naturales de Toledo, Aben-Musa y Mahomad de Sevilla, y Josef Aben-Hali, y Jacob Ab-Vena de Cordova, y otros, mas de cinquenta por todos, que truxo de Gascuña y de Paris con grandes salarios, y mandòles traducir el Quadripartito de Ptolemeo, y juntar libros de Mentesan y Algazel. Diose este cuydado a Samuel, y Jehuda, Elconbeso, Alfaqui de Toledo, que se juntassen en el alcazar de Galiana, donde disputassen sobre el movimiento del firmamento, y estrellas. Presidian, quando alli no estava el Rey, Aben-Ragel y Alquibitio. Tuvieron muchas disputas desde el año de* MCCLVIII. *hasta el de* MCCLXII. *Y al cabo hizieron unas Tablas tan famosas como todos saben. Y despues de haver hecho esta grande obra, y de haverles hecho muchas mercedes, los embiò contentos à sus tierras, dandoles franquezas, y que fuessen libres ellos y sus decendientes de pechos, derechos, y pedidos, de que hay cartas fechas en Toledo doze dias andados del mes de Majo era de* MCCC.

201. Non quidem dedignatus fuit Rex sapiens mathematicarum artium summum fieri artificem, quod infra dignitatem excellentiæ Epicratis, quócum loquitur in *Amatoria oratione*, Demosthenes arbitrabatur. Sed neque hæ *Tabulæ* scopum suum ferire omnino potuerunt. Quin immo ab ipso Alphonso post quadriennium correctiores fuisse emissas Augustinus Riccius scriptum reliquit in libro *De motu octavæ sphæræ* cap. 46. ut postea dicemus, cùm de interpretatione Albategni *Canonum* ab eodem Rege procurata mentio fiet. Necnon variantibus temporum spatio stellarum ac cœli motibus Nicolaus de Cusa Cardinalis decimo quinto sæculo *correctionem* earum dedit; alii tamen, scilicet Joannes de Lineriis [b] Gallus, & Joannes de Saxonia *Canonibus* suis illustrârunt.

[b] *Canones Tabularum* Alphonsi R. ordinati per Jo. de Lineriis Ms. in biblioth. Regis Galliæ teste Labbeo in *Nova bibliotheca* Ms. pag. 118.

202. Quod verò ad editiones attinet, primùm, ut suspicor, C. Joannes Lucilius Santritter Germanus de Fonte-salutis, vulgò dictus Heilbronensis, *in facillimum* (ait) *ordinem* suâ operâ *redactas*, Venetiis ann. MCDXCII. in 4o. publicavit. Ad hoc fortasse *Tabularum* conficiendum opus pertinuisse videtur liber Instrumentorum Alphonsi, quem se vidisse ex Arabico in Castellanum, & inde in Latinum idioma conversum, Egnatius Dantes quarta parte *Astrolabii* scribit, Joanne Baptista Ricciolo in *Chronico Astrologorum* &c. referente. Eodem matheseos, præsertimque astronomiæ & astrologiæ studio Rex incensus, eruderandis Arabum thesauris, & in compendium Hispanorum vertendis, eosdem ævi sui sapientes applicâsse dicitur. Laudantur enim ejus auspiciis jussuque elaboratæ.

203. *Tetrabibli*, seu *Quadripartiti Ptolemæi Alexandrini* versio ex Arabico in Hispanum, ut jam vidimus ex Nota ipsius Alphonsi *Tabulis* suis affixa. Hanc versionem Hispanam Latio donâsse quendam Ægidium Tebaldinum, sive de Tebaldis, Parmensem, eruditis [c] notum est.

[c] Jo. Seldenus ad *Marmora Arundeliana* pag. 118.

204. VII. *Hali Aben-Ragbelis filii operis astronomici* similiter ex Arabico in Hispanum operâ Judæ Ben-Musæ, quod ex Hispano itidem fecit Latinum idem Tebaldinus [d].

[d] Vossius *De scientiis mathem.* cap. 35. § 17 pag. 179.

205. VIII. *Albateni Canones* ex eadem Arabica lingua Hispanos fieri fecit. Quæ versio exstat hodie in grandi volumine penes D. Jo: Lucam Cortesium Duodecim-virum litium judicandarum curiæ Matritensis, cujus ob ingens erga literas meritum toties meminimus. Et quia ineditus est liber, ejus hîc specimen dabimus. Incipit: *Aqui se comienza el libro de los Canones de Albateni, que mando escrivir el muy noble Rey D. Alonso, à quien Dios dè vida è salud por mucho tiempo. Capitulo I. del prologo deste libro. Dixo Mahomad hijo de Geber Albateni, que la primera cosa en que deve home comenzar en cada libro es de loar à Dios, e alabarlo, que dio entendimiento al home, con que se puede allegar à estas sciencias preciosas. E yo Mahomad el sobre dicho, despues, que estudiè mucho en esta sciencia, que es la sciencia de la Astrologia, y aturè de pensar en ella* &c.

206. Continet liber LVII. capita cum tabulis, figuris, & instrumentis affabrè depictis, coloribusque distinctis. Post hæc sequuntur *Tabulæ* expansæ artificiosè pulchreque formatæ; quibus subjiciuntur aliæ *Tabulæ* Zarquielis, ut vocat, ejusdem generis: absolviturque liber tractatu, cujus initium est: *Este es el prologo del libro, que es de saber, como puede home rectificar por el quadrante sennero todas las estrellas, quier los planetas ò las estrellas fixas, & de como puede escusar con ell todos los otros estrumentos de rectificar.* Constat hic tractatus tredecim capitibus. Primus: *De saber ell arredramiento dell estrella, que tanto es del Equador del dia en la parte del Septentrion, & en la parte del medio dia, e que tanto es su altura en el cerco de medio dia, por la su longura, e por la sua ladera.*

207. In fine *Prologi* totius codicis hæc habentur: *Et por esto nos Don Alphonso el sobredicho mandamos à Rabi Cag de Toledo, nuestro sabio el sobredicho, que lo posiesse en este libro, e que lo amostrasse bien paladino, & que aduga sobre cada razon su prueba de geometria & de astrologia, por toller la dubda, e porque se paresca la certidumbre del que havemos dicho: & este libro es partido en dos partes. La prima parte es en como pueden rectificar con un quadrante, que se mueve sobre cerco, que es señalado en la tierra en lugar llano que sea enderecho del orizon, & que sea aquel cerco partido por quatro partes eguales, que sea cada parte dellas partida por noventa partes eguales, à quien dizen Zontes, & dizen à este quadrante el quadrante movible; & la segunda parte es en como pueden rectificar con un quadrante que sea armado en la linea del medio dia, & que sea fixable en logar, que non se mueva, & à este dicen el quadrante fixo, & la prima parte es partida en trece capitulos.*

208. Hoc opus est [e] Mahomadis Albategnii Aracensis, seu Aractensis Syri, Geberis filii, qui cùm jam suo tempore, hoc est circa ann. DCCCLXXIX. Ptolemæi canones ab astrorum situ & motibus manifestè discessisseut; novas tabulas cœlestium motuum formavit, *De scientia stellarum* operi inscribens, quod Latinum ex Arabico fecit Plato Tiburtinus, & Joannes Regiomontanus quibusdam Notis illustravit. Laudat Albategnium, atque ejus hunc interpretem, Gulielmus Parisiensis circa hæc tempora lib. *De legibus* cap. 18. ubi, ne id omittamus scitu dignum, distinguit à Machometo pseudopropheta Machometum philosophum, qui vocatus fuit *Albategin*: hunc scilicet Albategnium, profunditatem ac nobilitatem philosophicam hujus *De astrologia* libri ejus laudans. Occasionem dedisse dicitur huic versioni Hebræus alius Rabbi Juda, qui conversum à se in vernaculam Hispaniæ linguam ex Arabica Albohazenis librum *De stellarum fixarum motu ac locis* Alphonso obtulerat; cujus auctoritate permotus, Rex Albategnii sententiam de motu fixarum in eo libro confirmatam elegit, & pro tabulis ann. MCCLII. editis alias correctiores anno MCCLVI. substituit, si vera sunt quæ docet ex Zacuti relatione Augustinus Riccius *De motu octavæ sphæræ* cap. 46. [f]

[e] Vossius *De scient. mathematicis.* cap. 35. § 4. & cap. 48. § 28. Joann. Bapt. Ricciolus in *Almag. novo* 1. part. Chron. parte 2. *De Auctoribus, Astron. & Cosmographiæ.*

[f] Apud Ricciolum ubi supra, verbo *Albohazen.*

209. IX.

209. IX. *Avicenam* etiam & *Averroëm* in Latinum ex Arabico converti Salmanticę jussisse dicitur. Quod quidem fortè intelligendum sit de Avicenæ Astronomicis, uti refert factum D. Julius abbas Bartholoccius in laudato jam opere *De scriptis Hebræorum* [g], idque operâ R. Judæ Ben-Rabbi Mosis הכהן *Haccohen*, *Sacerdotis* (ut vocat) *de Toleto*, in utraque lingua & in astronomia eminentis. Ejusdem argumenti cum Tabulis, seu motibus stellarum, alius liber est ab eodem Rege confici jussus hoc titulo:

g Ubi suprà, verbo *Alphonsus* in 3. volum. f. 260. pag. 354.

210. X. *Libro de las armellas*. hoc est, liber armillarum, seu circulorum, ut interpretor, quem Compluti asservari in bibliotheca collegii majoris S. Ildephonsi Hieronymus Higuera refert lib. 21. *Hist. Toletanæ* cap. 8. In quo hæc præfatio legitur: *En el nombre de Dios. Amen. Este es el libro de las figuras de las estrellas fixas, que son en el ochavo cielo, que mandò trasladar de Chaldeo y Arabigo en lenguage Castellano el Rey D. Alonso, hijo del muy noble Rey D. Fernando, e de la Reyna Doña Beatriz, señores de Castilla, de Toledo, de Leon, de Galicia, de Sevilla, de Cordova, de Murcia, de Jaën, e del Algarve. E trasladòlo Jehuda Elconheso Alfaquin, e Guillen Arremon Daspaso clerigo, e fue fecho en el catorze año que reynò este Rey sobredicho, que andava la era de Cesar en MCCXCIV. e despues lo enderezò, e lo mandò componer este Rey sobredicho, e tollò las razones que entendio que eran sobejanas e dobladas, e que non eran en Castellano derecho, e puso las otras que entendio que complian, e quanto en lenguage enderezòlo el por si, e en los otros saberes hove para ayudadores maëstre Juan de Axssina, e à Mossen Juan ds Cramona, e à Jehuda el sobredicho, e à Samuël. E esto fue fecho el año xxv. de su reyno, e andava la era en MCCCXIV. e la de N. S. Jesu Christo MCCLXXVI.* Hucusque præfatio, ex qua liquidò apparet diversum hoc esse opus à Tabulis, & ab astronomicis laudatorum Arabum libris, quorum jam meminimus.

211. De Mathematicis hæc Alphonsus. Cæterùm in historia providentiam æquè Rege dignam ostendit, quum formatam voluit in Latinè ignorantium subsidium, seu potiùs ut ornandi Latinorum omnibus divitiis vernaculi sermonis propositum urgeret,

212. XI. *La historia general de España*. quatuor partibus. de qua post Roderici Sancii laudes parte 4. *Historiæ Hispaniæ* cap. 1. sanum est, & ob oculos habendum, Joannis Vasæi judicium in Hispaniæ Chronici cap. 4. *Alphonsus Rex* (ait) *& ex auctoribus probatis historiam Hispanam jussit in quatuor partes redigi, opus copiosum, & antiquo illius temporis idiomate venerabile, sed mirè vitiosum; ita tamen ut adhibito labore, & collatione auctorum, ex quibus collectum est, facilè possit in pristinum nitorem restitui, non quin alicubi totâ erret viâ, sed in paucis, in quibus Rodericum Toletanum tanquam auctorem irrefragabilem sequitur*. Similiter de historia hac censuere Florianus Docampo [h], Ambrosius Mor-les [i], Stephanus Garibajus [k], & alii. Asservantur quidem apud varios hujus historiæ exempla; quæ differre admodum ab ea, quæ in lucem prodiit Floriani Docampi operâ primum Zamorę an. MDXLI. deinde Pinciæ MDCIV. in folio, passim annotatur. Bibliothecę regiæ Escurialensis codex aliquantum variat [l], ubi & notatum legitur, desumptum hocce Chronicon ex historiis Latinis antiquorum Idacii, Isidori, Sebastiani, Sampiri, Pelagii, ac Roderici. Diversum quoque in nonnullis esse codicem collegii S. Catharinæ urbis Toletanæ, Ambrosius Morales admonuit [m].

h In præfat. ad hanc historiam, & in epistola dedicat. sui Chron. Hisp. & lib. 4. cap. 14.

i In prologo tertii volumin. Hist. Hisp. & lib. 36. cap. 14.

k Lib. 30. cap. 11.

l Meminit D. Petrus de la Escalera in lib. *De los Monteros de Espinosa*.

m Lib. 17. cap. 36.

213. Observatione tamen præcipua dignum est, historiam hanc penes excellentissimum Comitem de Villa-umbrosa, magni Castellæ senatus aliquando pręsidem, olim fuisse bipartitam, duplici hoc titulo notatam: *Historia general de España, compuesta por el Rey D. Alonso el Sabio, desde la primera poblacion de España, hasta el Rey D. Ordoño el segundo, y año de DCCCXCIII.* Seorsum altera pars legitur sic inscripta: *Historia general de España, por el mismo Rey D. Alonso el Sabio, desde el principio y origen de los Godos hasta la gloriosa muerte del santo Rey D. Fernando, y año de MCCLII.* Harum cum edita diversitatem non mediocrem observaverunt ii, quibus codices MSS. hauriendi oculis copia fuit.

214. Immo sub *Historiæ generalis Hispaniæ* nomine diversas ire historias valdè inter se variantes observavit Gundisalvus Ferdinandi Ovetensis in Quinquagenis suis MSS. cujus verbo refert in historia vulgaris linguæ *De el origen de los Monteros de Espinosa* cap. 3. D. Petrus de la Escalera Guevara. Cęterùm hanc historiam non jussu Alphonsi, alieno tamen labore, sed ab ipso formatam innuunt ea præfationis verba: *Mandamos ajuntar quantos libros podimos haver de historias*, &c. Et mox: *Y composimos este libro de los fechos que hallarse podieron*, &c. *Esto fecimos*, &c. quibus propriâ industriâ, non auspiciis tantùm, editum opus significari quis non videt?

215. Alia prorsus est ab hac Alphonsi X. alterius Alphonsi Regis XI. sive ultimi, *Historia*, quarum utriusque Florianus Docampo in prologo suę *Hispanæ historiæ* meminit, habebimusque & nos mentionem, cùm ad hujus Alphonsi XI. ætatem perventum sit. Nec minùs diversa est ab hac Alphonsi nostri *Hispaniæ generali historia*, de qua egimus, universalis alia, quæ hoc titulo insignis ex parte adhuc exstat, paucissimis cognita, & adhuc paucioribus visa. En titulum:

216. XII. *La grande y general historia*.

Primum hujus volumen habet Matriti D. Joannes Lucas Cortesius, magnique, atque instar thesauri habet. Codex est membranaceus, magnitudine par iis, quibus divina officia in choro cantanda describi solent, palmi verò altitudine, figurisque antiquis exornatus. In fine dicitur scriptum fuisse Hispali erâ MCCCLXXVII. qui est annus redempti orbis MCCCXXXIX. Inscriptionem & initium operis lectori non invidebimus.

Aqui se comienza la general e grand Estoria, que el muy noble Rey D. Alfonso, hijo del noble Rey D. Fernando, y de la Reyna Doña Beatriz, mandò fazer.

PROLOGO.

*Natural cosa es de cobdiciar los homes saber los fechos que acahescen en todos los tiempos, tambien en el tiempo que es passado, como en aquel en que estan, como en el otro que hà de venir. Pero destos tres tiempos no puede home ser cierto fueras dal quel que es passado: ca si es del tiempo que hà de venir, non pueden los homes saber el comienzo nin la fin de las cosas, que y avernàn, e por ende non lo saben ciertamente. E si es del tiempo en que estan, maguer saben los comienzos de los fechos que en el se facen, porque non pueden saber la fin quel serà, tenemos que non lo saben complidamente. Mas del tiempo passado, porque saben los comienzos e los acabamientos de los fechos, que y se ficieron, dezimos que alcanzan los homes por este tiempo ciertamente el saber de las cosas que fueron. Onde porque el saber del tiempo que fue es cierto, e non de los otros dos tiempos, assi como diximos, trabajaronse los sabios homes de meter en escripto los fechos que son passados, por haver remembranza dellos, como si entonces fuessen, è que los sopiessen los que havien de venir assi como ellos, e fizieron desto muchos libros, que son llamados Estorias, e gesta, en que contaron de los fechos de Dios, e de los Profetas, e de los Santos, e otro si de los Reyes, e de los altos homes, e de las cavalleria*s [n], *e de los pueblos, e dixieron la verdad de todas las cosas, e non quisieron nada encobrir, tambien de los que fueron buenos, como de los que fueron malos. E esso ficieron porque de los fechos de los buenos tomassen los homes exemplo para fazer bien, e de los fechos de los malos, que recibiessen castigo por se saber guardar de lo non fazer. Onde por todas estas cosas yo D. Alfonso por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Toledo, de Leon, de Galicia, de Sevilla, de Cordova, de Murcia, de Jaben, e del Algarve; fijo del muy noble Rey D. Fernando, e de la muy noble Reyna D. Beatriz, despues que hove fecho ajuntar muchos escriptos, e muchas Estorias de los fechos antiguos, escogi dellos los mas verdaderos, e los mejores que y sope, e fiz ende fazer este libro, e mandè y poner todos los fechos señalados, tambien de las Estorias de la Biblia como de las otras grandes cosas, que acahescieron por el mundo, desde que foe comenzado fasta el nuestro tiempo.*

n Hoc est *De bellis*. Ita significat verbum *Cavallero*, & *Cavalleria*, pro milite, & bello usus illius temporis, ut in legibus Partitarũ 3. tit. 3. part. 2. L. 3. tit. 4. L. 5. tit. 7. L. 2. tit. 8. part. 5. Vegetio *De la Cavalleria*, hoc est, *De re militari*, exstat Hispanè conversus in biblioth. Escurial.

217. *Capit. I.*
De las obras que Dios fizo en los primeros seys dias.

Quando nuestro Señor Dios criò en el comienzo el cielo, e la tierra, e todas las cosas que en ellos son, segund que lo cuenta Moysen, que foe santo y sabio, y otros muchos que acordaron con èl, repartiòlo, e fizolo todo en seys dias, desta guisa, &c. Et sic prosequitur in hoc volumine triginta librorum opus, quorum quilibet capita triginta, & ulteriùs, usque ad quadraginta conti t; iisque triginta libris ea tantùm gesta, quæ io quinque libris Moysis, sive Pentate ho, narrantur, comprehensa sunt; unà m regnorum & monarchiarum per varias rbis partes intra hoc temporis spatium orig ibus, atque ethnicorum deorum fabulis, æ omnia latè nimis atque eruditè natura bus doctrinis atque moralibus curiosè tra tis, enarrat, hoc in fine colophone addito *En este lugar acabamos el Pentateucho, e nos desembargamos de todas las razones de los inco libros de Moysen; e sea bendito e exaltad por ende el nombre de nuestro Señor Dios, e va è regne por muchos años e buenos, e venza empre à todos sus enemigos el dezeno D. Alfon por la gracia de Dios Rey de Castilla, e de ledo*, &c. *que la fecho fazer.*

218. Quod autem deest hujus magnæ historiæ, tomis aliis du bus, aut pluribus, contentum latet adhuc, aut esca vermibus tineisve factum jam fui, magno eorum dolore dispeodioque, quotquot antiquitatis amore flagrant, vete aque clarissimorum hominum hujusmodi monumeota toto ore exosculaotur. Parum enim verisimile videtur, prologoque ejusdem Regis verbis concepto, & in fronte hujus voluminis collocato malè cohæret, non ultrà id processisse opus, aut priusquam absolveretur, id quod tantùm conceperat fore, aut vix è limine Pentateuchi gestorum excesserat, quasi jam factum & absolutum esset, magno hiatu Regem sapientissimum celebrâsse, auctoritatisque suæ sigillo commuoivisse. Ad hunc fortè commentarium idem respexit, quum in testamento suo, preter Biblia tribus tomis, tria alia Bibliorum historiæ volumina se relinquere ait. Nec dubito quin & oculos ad hunc habuerit doctus ævo suo vir Alphonsus Fernandez de Madrid archidiaconus de *Alcor* in Ecclesia Palentina, quum in historia hujus urbis nondum typis edita Alphonsi Regis *Genesin* inter opera ejus laudat. Quod autem imputatur quoque Alphonso, Bibliorum libros io maternam linguam, quod Jooooes Mariana ait o, vertendos curâsse; uon ad propriam versiooem, quæ nusquam apparuit, sed ad hanc paraphrasin pertinere dixeris. Sed jam ad alia. o Lib. 14. cap. 7

219. XIII. *La gran conquista de Ultramar*, sive historia sacrarum omnium pro recuperandis Hierosolymis ac totius terræ sanctæ tractu expeditionibus, quas continet jam hoc erudito tempore collectio illa *Gestorum Dei per Francos* Wechelianis typis Hanoviæ edita, nec ante multos annos Gallica historia *des Croisades*, auctore Ludovico Maimbourg Jesuita. De operis hoc argumento sic ipse Alphonsus Rex io prologo: *Mandamos trasladar la historia de todo el sucesso de Ultramar, de como passò, segun le oimos leer en los libros antiguos, desde que se levantò Mahomad fasta que el Rey Luis de Francia, fijo del Rey Luis e de la Reyna Doña Blanca, e nieto del Rey Don Alfonso de Castilla, passò à Ultramar, e pugnò en servir à Dios lo mas que pudo*. Edita fuit Salmanticæ anno MDIII. in folio, apud

apud magistrum Huns Scheffer. Hactenus de historicis.

220. At jurisprudentiæ opus maximum, & Justiniani Imperatoris, Tribonianive Latinorum, sive Basilii Græcorum, æterno de hac artium arte merito haud impar, nullis tacendum gentibus aut sæculis jam subjicimus,

221. XIV. *Las siete partidas del Rey D. Alonso* nuncupatum. hoc est, Hispanę totius, tam sacrę quàm profanæ, tam publicæ quàm privatæ, tam civilis quàm criminalis, ut vocant, jurisprudentiæ corpus absolutissimum; quod Jus Alphonsinum propriè dixeris, quod cum scholiis Alphonsi Diazii à Montalvo semel, & cum aliis Gregorii Lopezii Salmanticæ ter, editum habemus, ex Portonariorum officina annis MDLV. MDLXV. & MDLXXVI.

222. Interpretatio nempe quædam est Romanarum legum, atque item sacrorum canonum, nonnullis adjunctis pro resolvendis scholiastarum Juris quibusdam controversiis, quas opus fuit exsolvi. Quare non aliter quàm ab earundem Romanarum, tam Ecclesiasticarum quàm profanarum, legum sententia explicari has *Partitarum* leges debere notant nostri pragmatici [p]: atque item neque ante Ferdinandi & Elisabethæ catholicorum Regum tempora vim legum habuisse [q], ex eo quòd nunquam uti tales fuerint promulgatę. *Partitæ* verò, quasi partes, seu divisiones operis, dictæ: nam & intus hic verbi usus legitur, *alguna partida*, pro aliqua parte in L. 22. titulo 8. partitâ 5. & passim.

223. Fama est B. Ferdinandi tempore hoc exculptum legum systema: sed aliò nos vocat ejusdem inscriptio, & vulgaris [r] historicorum persuasio, hanc laudem non alii quàm Alphonso prestantium. Utrique autem habere gratias Hispaniam debere, aliis, & meliùs, placet [s], Ferdinando concepti & inchoati, Alphonso absoluti operis. De quo verè possumus dicere quod olim Cicero de suo Romanorum primitivo Jure non parum ambitiosè: *Fremant omnes licèt, dicam quod sentio: bibliothecas me hercule omnium philosophorum unus mihi videtur* XII. *Tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare*. lib. 1. *De oratore*.

p Covarrubias lib. 1. *Var.* cap. 14. num. 5. Roderic. Suarez ad leg. 2. num. 41. circa medium. titul. *De las ganancias* lib. 3. *For. Judicum*.

q Burgos de Paz ad L. 1. *Tauri* ex num. 367. 532. 663.

r Alphonsus de Cartagena in *Anacephalæosi Reg. Hisp.* cap 84. Tarrafa *De Reg. Hisp.* Matamorus in *Apologetico*, Rodericus Sancius *Hist. Hisp.* parte 4. cap 1.

s Jo. Mariana lib. 13. cap. 8.

224. Tribui quoque solet Alphonso Regi *De Sarracenis profligatis epistola*, Basileę anno MDLIII. in folio edita. Sed hæc ad Alphonsum Regem alium, scilicet octavum, pertinet: necnon & alia *Epistola de Albigensium heresi extincta*. ibidem in folio publicata. Utraque exstat in bibliotheca Barberina Romę. De Alphonso hactenus.

225. Sub eo vixisse ANONYMUS Burgensis Episcopus dicitur, qui sub hoc nomine historiam quandam scripsit, sive potius *Generalem* Alphonsi *historiam* Latinè loqui fecit. Hujus rei meminere Hieronymus Surita lib. 3. *Annal. Aragon.* cap. 3. in fine. Bernardinus Gomezius Miedes lib. 5. *De rebus Jacobi I. Regis Aragonum* [t].

t *Hisp. illust.* to. 3. pag. 418.

226. Hujusmet Regis Alphonsi jussu anno MCCLXXVII. sive erâ MCCCXV. magister ROLDANUS scripsit *el libro de las tafurerias*, sive de regulis aleæ ludi: quod opus MS. exstat initio cujusdam codicis quo continentur *Ordinamenta Regum Castellæ*, ab Alphonso XI. sive ultimo hujus nominis, usque ad Joannem II. qui quidem codex exstitit in bibliotheca D. Josephi Pellizerii, dum viveret, nunc autem in ditissima & exquisitissima D. Joannis Lucæ Cortesii, curię criminalis Matritensis Duodecim-viri.

CAPUT VI.

De RAYMUNDO MARTINI, *atque ejus* Pugione fidei *latè disseritur. Scaligeri error in tribuendo hoc opere Raymundo Sebeide. Quisnam hic fuerit, ac quo tempore vixerit. De* Pugione fidei *testimonia. De* GARSIA *Hispano jurisconsulto. De* BERNARDO DE SCLOT, *atque ejus* Catalonię Chronico: *ejusdemque nationis* PONTIO CARBONELLO *Minorita, ejusque in sacram Scripturam ineditis commentariis. An sit auctor* Catenę aureæ in Euangelia. *De* GAUFREDI *archidiaconi Toletani continuatione historiæ Roderici Archiepiscopi vulgari & Latina. De* BERNARDO, *sive* BERNARDO TRILLA, *Dominicano. Hispanúsne an Gallus fuerit, quæstio.* SANCIUM *quoque Castellæ Regem, Alphonsi Sapientis filium,* Documentorum *opus conscripsisse. De* JOANNE *diacono Matritensi, S. Isidori agricolę Matritensis Vitæ auctore: &* ARNALDO PONS, *sive* PONTIO, *&* PETRO PASCHALI *Giennensi Episcopo & martyre, Mercenariorum sodalibus. Strictura adversus quendam, qui ut alteri assereret ordini Paschalem hunc, nihil non temerè finxit. De Petri Paschalis libris. Laurentius de Laurea Neapolitanus, Minor Conventualis, Vaticanæ bibliothecæ primus custos, laudatur.* ANONYMUM *sub titulo Dispensatoris Reginæ Eleonorę, Joannis Regis I. Castellæ conjugis, qui historiam quandam scripsit, hujus temporis esse. De* ALPHONSI DE PAREDES *inedito adhuc opere.*

227. PUGIO fidei RAYMUNDI MARTINI Ordinis Prædicatorum adversus Mauros & Judæos, nunc primùm in lucem editus curâ & auspiciis felicis memoriæ reverendissimi Thomæ Turco, subindeque reverendissimi Joannis Baptistæ de Marinis, Magistrorum Generalium, ope & operâ illustrissimi ac reverendissimi D. Episcopi Lodovensis, & illustrissimi præsidis D. de Mausac Comitis Consistoriani, cum observationibus D. Josephi Voisin presbyteri, & Ex-senatoris Burdigalensis, ad serenissimum regiæ stirpis primum principem Ludovicum Borbonium Condæum, Burdigalæ & Aquitaniæ Pro-regem. Parisiis apud Mathurinum Henault MDCLI. in folio.

228. Hæc libri inscriptio. Sed argumentum, & historiam operis, ex epistola D. Francisci Bosquet Episcopi Lodovensis ad Josephum Voisin, observationum scriptorem, atque

H 2

que item Philippi Jacobi Maussaci prolegomenis in eundem librum hanc de [illegible] sumpsimus: Hervia España en Judios, y en libros de Arabes de su falsa secta, que vivian assi entre los Arabes, como entre los mismos Cristianos, con poder y riquezas. De estos libros suyos sacavan armas con que obstinarse mas en sus errores: no bavia quien los convenciese de ellos. Por esto el santo varon Raymundo de Peña-fort con ayuda del Rey D. Jayme de Aragon, despues de baver becho que publicasse edictos contra esta falsa y calumniosa nacion, aplicò muchos [u] varones doctos en Theologia y sagradas letras al estudio de las lenguas Arabica, Hebraïca, y Caldaïca, de quien despues se valiò para ganar y enseñar à estos infieles

229. *Cuentanse entre otros, Fr. Paullus Christiani, & Fr. Raymundus Martini, oppido de Soubiratz [x] in Catalonia oriundus. El Fr. Pablo dispues publicamente en presencia del Rey D. Jayme el año MCCLXIII. con el docto Hebreo Moyses Gerundense*, Detectisque ejus calumniis, & consutatis erroribus, omnium calculo victoriam reportavit.

230. Ex hujus felicis pugnæ eventu Jacobus & Raymundus convertendę gentis ad Christum non dubiam spem concepere. *Mandò pues el Rey con edicto de 4. de las Kalendas de Setiembre, que todos los Judios le recibiessen como à legado, que iva à enseñarlos, le oyessen, diessen lo necessario, y le exhibiessen los libros que les pidiesse. Hizose assi, y Paulo por este medio descubria todo lo mas secreto de los libros Hebraïcos. Dio cuenta al Rey, y obtuvo que se les mandasse que dentro de tres meses borrassen todas aquellas palabras que en ellos bavia in contumeliam Christi Salvatoris, & Deiparæ Virginis matris ejus. Quexaronse diziendo que sus libros no contenian blasphemias ningunas contra la Escritura, y que no sabian que se les mandava borrar, pues no bavia que: y assi el Rey suspendio el orden con nuevo edicto de 27. de Marzo de MCCLXIV. Quo expunctionem calumniarum remisit, nisi tales esse libri probarentur, datis mensis unius induciis ad eas probandas & refellendas. Dieronse por juezes desto el Obispo de Barcelona, y Raymundo de Peña-fort, y Arnaldo de Sigarra, y Raymunda Martini, y Petrus de Janua, omnes ordinis Prædicatorum, earum rerum peritissimi.*

[u] Dicese que veynte religiosos de S. Domingo, con ayuda de los Reyes D. Jayme de Aragon y el de Castilla, aplicarò al estudio de la lengua Arabiga, los quales dando el fruto deseado, còvincieron mas de 100. moros. En la Hebrea hizo adiestrar otros que descubriessen las falsedades y corrupciones que havian Insertado en la Biblia para ocultar los mysterios de la Passion, y los otros sacramètos de la Fee.

[x] Ser su patria en este pueblo, y no en Barcelona, como quiso Antonio Senense, dizelo Diago lib. 2. cap. 28. de la provincia de Aragon, del orden de Santo Domingo.

231. Hisce modis Dei dexterâ caussarum seriem nectente, quique reconditiores Hebręorum codices in manus Martini venere: & ille probus artifex ex hostium ferro hunc *Pugionem* confecit. Exinde arcana quæque Judaïcæ impietatis detegi, scripta Hebraïca publica auctoritate legi, & in academiis Christianis linguarum orientalium scholas & magistros generalis Concilii Viennensis decreto institui, originem habuit.

232. *Creyeron algunos baver sido Fr. Raymundo de Peña fort autor del* Pugio fidei: *lo qual no puede ser: porque en el mismo dize su autor parte 2. cap. 10. que tiene por titulo:* Quòd Messias jam venit. *que le dio la perfeccion, y acabò en el año MCCLXXVIII. Y el santo de Peña-fort bavia muerto el dia de los Reyes del año de la Encarnacion MCCLXXV. ut affirmat constantissimè Nicolaus Rosellus ejusdem ordinis Dominicani, Cardinalis, in opere quod de beati Raymundi vita scripsit anno MCCCLVII. lo mismo dice S. Antonino 3. part. Chron. titulo 23. cap. 12.* ℣. Tertius ordinis Magister, *Leandro Alberto* De viris illustribus ordinis Prædicatorum, *in vita Raymundi. Surita lib. 3. cap. 94. & in* Indicibus *sub annum MCCLXXV. Gomezius* De vita Jacobi Regis *cap. 15. Garibay lib. 12. cap. 12. Castillo 1. parte lib. 2. cap. 18. aunque un autor anonymo, que escrivio su vida, tenga en el lib. 1. cap. 78. que murio el de MCCLXXVI. lo qual puede ser yerro de imprenta: y va à dezir poco para el intento un año antes ò despues. Al verdadero autor con nombre de Raymundo le cita y alaba Lyra* Comm. *ad cap. 9. Oseæ vers. 12.* Sed & vę eis cùm recessero ab eis. *y llamale* Frater Raymundus in Hebraïca lingua valdè peritus. *Porcheto, en el libro llamado* Victoria contra Judęos, *dice, que*, ut omnis eorum (*Judæorum*) excusatio desinat, & ut faciliùs refellantur, sequar literam codicum Hebręorum veteris Testamenti, secundum quod translatum est à Fr. Raymundo Martini Hispano, ordinis Prædicatorum, de partibus Catalonię: à quo sumpsi hujus libelli materiam in plerisque compilandi, qui fuit vir eximius tam in scripturis Hebraïcis & Arabicis, quàm Latinis. *Hæc Porchetus. Augustino, Justiniano Obispo Nebiense, in præfatione editionis* Victorię *Porcheti, baviendo admiradose de que siendo nacido en Genova de padres Christianos, en donde no se permite la vivienda de los Judios, tuviesse tanta comprebension de la lengua, y de todos sus libros, dize:* Fatetur nihilominus, nimirum ut fuit candidus & ingenuus, se in structura ędificii sui adjutum à *Pugione*. Sic enim liber inscriptus est Raymundi Martini Catalani, nostrę Prædicatorum familię alumni, quem suspicor quoque Hebręum fuisse. Hæc Justinianus. *Tambien le llama con el mismo nombre Antonio Senense: y Diago, que le celebra en muchas partes, lib. 1. cap. 2. y cap. 15. y en el lib. 2. cap. 28. le da la patria en Soubiratz, y dize que tomò el babito en Barcelona: de quien dice el P. Marsilio: Erat multùm sufficiens in Latino, philosophus in Arabico, magnus Rabbinus & magister in Hebraïco, & in lingua Chaldaïca multùm doctus.*

y Natural de Genova.

233. *Que fuesse Judio de nacion, y Rabbino, llamado Rabbi-Puggi, dizelo Gauberto Fabricia en un prologo à su bistoria de Aragon. Y que fue sin duda uno de los religiosos aplicados por San Raymundo al estudio de la lengua Arabiga y Hebrea: porque como dice que escrivio en el lib. 1. cap. 2. de la bistoria de su Orden en el Capitulo celebrado en Toledo año de MCCL. fue destinado con otros siete religiosos para el estudio de la lengua Arabiga. Dice mas Diago, que fue muy estimado y querido de Reyes y principes: del Rey de Tunes, del de Francia D. Luis el Santo, y de D. Jayme de Aragon; y que murio despues del año de MCCLXXXIV. en Barcelona, con cosi cinquenta años de babito.*

234. [z] *Escaligero en la carta que escrivio à Casaubono 3. Idus Septembris MDCIII. y en otra de las postbumas al mismo 16. Kalend.*

Maji

[z] A Escaligero le entrò en la libreria deste colegio de Fox Guillelmo Catel, que despues fue senador de Tolosano, y escrivio su historia, entonces moro: y haviendo leido de passo algo en èl, y parado en lo de las hebdomadas de Daniel, luego cayò en el hurto de Galatino: esto dice Francisco Bosquet en una Prefacion.

Maji MDCIV. dice que el autor es Raymundo Sebon. Devesele el haver sacado por el rastro el hurto de Galatino el primero; pero en confundir à nuestro autor con Raymundo Sebeide errò mucho Escaligero. Raymundo Sebeide fue natural de Barcelona, professor de medicina, filosofia, y theologia en Tolosa, donde recibio el grado, y murio año MCDXXXV. como refiere Trithemio y Josias Simlero, abreviador de la biblioteca de Gesnero, cujas palabras son estas: Raymundus Sebeide natione Hispanus, scripsit Creaturarum, sive de homine lib. 1. quæst. disputat. lib. 1. claruit anno MCDXXX. Ejus theologia naturalis, sive liber Creaturarum &c. impressus est Parisiis MDIX. apud Joann. Parvum &c. *Dice tambien que Sebeide no es Dominicano, nec in Hebraïcism Martino Comparandus. Esto es todo de Mausaco en los prologos. El qual añade, que en el colegio de Fox de Tolosa està el exemplar que vio Escaligero, no en dos, sino en tres cuerpos grandes, y que no dice bien Escaligero quando dixo que no hauria quedado mas exemplar que este y otro que tuvo Matheo Beroaldo: porque en el convento de Napoles estava tambien, como dice Antonio Senense: y por diligencia del General Turco se juntaron paraque los confiriesse Josepho Voisin, otro que havia en el convento de Dominicanos de Tolosa, otro en el de Barcelona, otro de Mallorca. Dice Mausaco mas, que Jacobo Spigelio Rozenbakio, doctissimo en la lengua Hebrea y otras, alcanzò poder copiar de propria mano el exemplar del colegio de Fox de Tolosa* operâ domini de Bosquet Lodovensis Episcopi, *que era entonces colegial* [a]. *De aquella copia havia prevenido el mismo Mausaco esta edicion; pero parando en ella muchos años, no la hizo hasta ser instado por el General Turco.*

[a] Y el mismo Bosquet dice en otra prefacion, que el fue el primero que descubrio el nombre verdadero del autor: porque en su proprio lugar no havia otra cosa que *Pugio fidei Christianæ à Fr. Raym. editus*. y en un rincon con letras muy menudas hallò razon del nombre del autor, que se havia escapado à los otros. Es la prefacion que se pone despues en nombre del que copiò esta.

[b] Diago lib. 2. cap. 28. le atribuye *Summā contra Alcoranum Maurorum.*

235. *En el codice de la libreria Fuxense el que hico aquella copia puso estas palabras alli:* Nota diligenter, lector, quòd hoc opus editum est à bonæ memoriæ Fr. Raymundo Martini Ord. Prædic. Catalano, qui fuit bonus clericus in Latino, magnus in lingua Hebraica & Chaldaïca, & in Arabica philosophus reputabatur, qui in conventu Barcinonensi quievit. Hic talis ac tantus primò composuit diversas summas Sarracenorum [b]: postea composuit in solo Latino opus quoddam compendiosum, quod appellatur *Capistrum*. sed considerans Judæorum astutam malitiam, qui parvipendunt quicquid illis Latinè profertur, & habent ad hoc diversa subterfugia; edidit hoc opus quod *Pugionem* vocavit. Pugio enim gladius acutissimus est, penetrans infitam Judæorum infidelitatem, si in eo studens linguam habuerit Judaïcam. Nescitur enim tale opus usque hodie contra Judæos esse scriptum. Hoc etiam opus Latinè & Hebraïcè totum manu propria scripsit, in qualibet pagina literam ordinādo, sicut in primo originali patet, quod modò non est in provincia ista. Et nota quòd opus modicum te diriget, nisi ipsum sic habeas ordinatum. Latinum enim per se modicum valet contra Judæos, & corruptissimè tibi dat nomina Hebraïcorum librorum; quia per literas nostras scribi non possunt. Hebraïcum etiam per se quidem valet; sed non dat tibi conclusiones quas ipse auctor intendit, nec per se possunt de facili inveniri. Hoc itaque opus in certas partes divisit, & partes in capitula, & capitula in paragraphos. *Hucusque transcriptor Tolosanus.*

236. *De Galatini suppilatione sic Mausacus:* Primus hujusce Pugionis auctor, Raymundus Martini, bellum acerrimum gessit contra Judæos, ope tantùm classicorum auctorum, non levium aut hypobolimæorum, ut sibi persuasere hactenus quidam non vulgaris eruditionis viri, Galatinum quæcumque habet, sive mala sive bona, ab eo petiisse existimantes. Nam Galatinum frequentes auctoritates produxisse in suis arcanis ex libris Gale Razeja & Zohar, sciunt illi qui eas omnino sublestæ fidei esse elamârunt. Quod Raymundo nostro non accidit, ne quidem ex Zohar, licèt ejus ponderis & fidei, ut à quibusdam antiquioribus & probatioribus Rabbinis æquiparetur; quia fortè secundum alios ante quingentos vel circiter, annos, incognitus penè fuerit. Unde tanta ejus vetustas ipsis suspecta visa est. Tantum abest ut de alio Gale Razeja mentionem unquam fecerit, de quo plura paullò pòst. Nunc de altero Zohar videamus tanquam in transcursu quid eruditi quidam scripserint, & ad alia sensim perveniamus. *Adducit deinde Mausacus Seldeni & Buxtorfii de hoc libro Zohar, sive Sepher Haz-Zohar (quod interpretatur: liber splendore coruscans) testimonia, qui magni haberi apud Hebræos, auctoreque Rabbi Simeone Ben-Jochai, discipulo Rabbi Achibæ natum, qui Simeon.* Circa annum Christi CXX. vexante Judæos Adriano, vixisse dicitur, at propter novitates quasdam & summam vetustatem doctioribus esse suspectum.

237. *Et adjungit:* Quod autem spectat ad alterum librum Gale Razeja, soli quoque Galatino valdè familiarem, credendum est firmiter, spurium eum esse & supposititium: nec à vero fortè aberrabitur, si ab ejus inscriptione *Arcana* fuisse formata dicatur Gale Razaja: namque *revelans arcana* denotat. Præterea cùm ex Buxtorfii bibliotheca de hujus fide multos sæpe dubitâsse discamus; ulteriùs advertendum est, Judæis ipsis fuisse semper ignotum, & ab eis in nullo pretio habitum; quamvis non erubuerit Galatinus eum tribuere celebri illi apud Hebræos magistro traditionum, sive Misnajoth Hakkadosch dicto ob sanctitatem. Quod quàm appositè & prudenter ab eo factum sit, sciunt illi qui jam diu odorati sunt magno Judæorum doctori, & insensissimo Christiani nominis hosti, assignari non posse opus in quo de mysterio Trinitatis ita distinctè ac dilucidè tractatur, ut apud ipsum S. Athanasium nec solidiùs, nec fidei nostræ convenientiùs de eo disseratur, nec etiam apud alios patres ante ipsum Concilium Nicænum, de Eucharistiæ sacramento. Quod non omisere eruditissimi viri Casaubonus & Tomsonus, Scaligerum per epistolas consulentes, qui fieri potuerit ut magister ille antiquus, qui ob insignem doctrinam & nominis celebritatem Rabenu Hakkadosch meruit à sua gente appellari, in aucto-

auctoritatibus à Galatino inde petitis, de transubstantiationis & aliorum secretiorum, similiumque hujus mysterii vocabulorum explicatione egerit, quæ alicui ex infimis potiùs convenisset. Solus Galatinus arcanè in arcanis suis ausus est interserere hæc nauci & planè ridicula, inter innumeras alias auctoritates exprobatæ fidei Rabbinis à Martino nostro allatas, & longè antè productas, ut à primo & vero hujus apparatus parente. Qui enim post eum sequuti sunt omnes, Nicolaus de Lyra, Finus, Riccius, Hieronymus à S.Fide, Porchetus, Galatinus, Fabianus Fioghi, Philippus Mornæus, aliique non pauci, ducem alium non habuerunt.

238. Petrus Galatinus ex Judæo Christianus, anno demum MDXV. post ducentos triginta septem aut circiter annos, libros duodecim de arcanis catholicæ veritatis, *Pugione fidei* nondum edito, publicare ausus est; ex quo quæcumque protulit bonæ notæ, in sua arcana transfudit, suppresso penitùs Martini nomine, non paucis dubiæ & incertæ fidei additis ex Gale Razeja, Rabbino Hakkadosch, id est ex ejus opere *revelans arcana* dicto, (unde fortè arcanorum suorum inscriptio) & libro Zohar, Rabbini Simeonis, filii Jochai, qui quidem non est ejusdem farinæ, sed tamen tempore Raymundi Martini nondum in publicum prodierat. Tum sequutus Porchetus de Selvaticis Genuensis monachus Carthusiensis, cujus *Victoria adversus Judæos* tandem edita anno MDXX. ab Augustino Justiniano Dominicano, Episcopo Nebiensi, parta est ope *Pugionis* Martiniani, ut ipsemet, non Galatiniana, sed bona & syncera fide, palam professus est. *Hucusque Marsacus*.

239. *Testimonia de* Pugione *& ejus auctore*. Nicolaus de Lyra in comm.ad cap. 9. Oseæ versu 12. *Sed & væ eis cum recessero ab eis*. Locum hunc inter alios numerat quos Judæi corruperunt: *secundum quod dicit frater Raymundus in Hebraica lingua valdè peritus*. Et quibusdam interjectis iterum eum adducit. Idem in responsione ad quendam Judæum ex verbis Euangelii secundum Matthæum disputans anno Domini MCCCXXXIV. sæpiùs ex hoc Pugione argumentatur.

Paullus Burgensis in annot.ad comm. Lyrani: *Expositio Raymundi est vera* (inquit) *ad cujus majorem declarationem* &c.

Porchetus in proœmio *Victoriæ contra Judæos*, verum Raymundi Martini nomen, professionem, patriam Cataloniam agnoscit, à quo sumpsisse ait se libelli hujus materiam: *qui fuit vir eximius, tam in scripturis Hebraicis & Arabicis, quàm Latinis, qui quidem in proœmio sui Pugionis ait: Materia hujus libelli duplex est* &c.

Relatis his Porcheti verbis, notat is qui hæc testimonia collegit, Raymundum ad convincendos & ad insitas redigendos Judæos, vulgata versione, quam illi rejiciunt, ne frustra ageret, uti noluisse: sed versionem eorum locorum, de quibus lis est, de novo dedit, ex Rabbinis probationibus. Quis enim contendere contra eos auderet antequàm de versione veteris Testamenti communi consensu partium conventum fuisset? Hæc ferè ille.

Idem de Raymundi Martini nomine, patria, professione, Augustinus Justinianus Episc. Nebiensis in præfatione editionis laudatæ *Victoriæ* Porchetii.

Antonius Senensis in Bibliotheca.

Contextus operis.

240. In primo capite primæ partis notant, eos qui à fidei veritate exorbitant, vel esse habentes legem, vel non habentes aliam quàm naturalem: atque hos quidem vel esse temporales, hoc est carnales, ut Epicuræi, vel naturales, qui dicerent mortalem esse rationalem animam, vel denique philosophos, ut Socratem, Platonem, Aristotelem, ex Mauris seu Arabibus, Avicenam & Alpharabium, qui dicunt mundum fuisse ab æterno, Deum particularia nescire, sed universalia tantùm, denique corporum resurrectionem non esse. Adversus hos agit in prima parte Martinus, probans contra Epicuræos, Deum esse, & quòd voluptas carnis seu delectatio non est summum bonum, adversus naturales quòd anima immortalis est, adversus philosophos: quæ tria ipsi negant.

Secunda parte jam agit adversus eos qui legem habent, scilicet Judæos, probatque adventum Messiæ.

Tertia parte adversus eosdem Judæos disputat, fidem Christianorum eandem fuisse cum Prophetarum. Circa Trinitatem divinam, hominis lapsum, & peccati pœnam, generis humani redemptionem, & Judæorum reprobationem.

241. Garsias Hispanus hoc ipso tempore, quo in vivis Alphonsus erat Rex, floruit & ipse in magna juris studii fama. Trithemius de eo: *Garsias natione Hispanus, vir in utroque Jure exercitatissimus, ingenio subtilis, consilio promptus & cautus, & in solvendis quæstionibus caussarum acutus, apud suæ facultatis professores suo tempore in pretio habitus, docendo & scribendo nomen suum dilatavit. Fertur enim in Jure canonico & in legibus plura conscripsisse opuscula, quæ ad manus nostras non venerunt. Exstant ejus*

242. *Super Decretalibus libri V. & in legibus plura. Claruit temporibus Rudolphi Imperatoris an.* MLCXX. Hæc ille. Mentionem quoque ejus, atque hujus *super Decretales* commentarii faciunt (*super Extravagantes* inscribitur in catalogo librorum Benedicti Papæ XIII. atque eodem quidem sensu Raphaël Maffæus Volaterranus lib. 21. *Commentariorum Urbanorum* [a], Jacobus Philippus Bergomas in *supplemento Chronicorum* [b], Lucius Marinæus Siculus *De laudibus Hispaniæ* lib. 6. [c] Franciscus Tarrafa *De Regibus Hispaniæ*, in *Alphonso* X. Alphonsus Garsias Matamorus in *Apologetico* [d], qui disertè Hispalensem vocat, Joannes Mariana lib. 14. cap. 16.

a Pag. 431.
b *Sub Martino Papa* IV. fol. 217.
c Pag. 60.
d Pag. 812. tomi 2. *Hisp. Illust.*

243. Bernardus de Sclot Catalanus, genere nobilis, qui vixit sub Jacobo & Petro Ara-

Aragoniæ Regibus, vernaculâ linguâ conscriptam reliquit rerum sui temporis historiam, quæ adhuc in schedis latet, sic inscriptam:

Chronicas ò conquestas de Cataluɲya, compostes è ordenades per en Bernat de Sclot. Aliàs: *De les histories de alguns Comtes de Barcelona, y Reis de Arogò*. Hujus exemplum servat Matriti excellentissimus Marchio Mondexarensis. Sed hanc, ne prorsus lateret, à se in Castellanum sermonem eleganter conversam publicavit, affixis oræ notis, Raphaël Cervera Barcinonensis, quæ in eadem hac urbe edita fuit apud Sebastianum de Cormellas anno MDCXVI. in 4°.

244. Sub idem tempus ornamento haud mediocri amplissimo Minorum ordini hoc sæculo nato PONTIUS fuit CARBONELLUS Cataloniæ civis, Barcinone, ut creditur, natus, religiosissimus vir simul & doctissimus. Sub hoc præceptore ac morum formatore Ludovicus, Caroli Salernitani principis filius, Caroli Neapolitani regni Regis nepos, cùm ante infulas Tolosanas, & provectam absolutamque insignium virtutum ætatem, quibus post mortem quàm citissimè à Joanne XXII. Pont. Max. Sanctorum albo adscribi promeruit, apud Aragoniæ Regem Alphonsum in custodia loco parentis pro obside detineretur, pietateque non minus quàm doctrina in eum virum adolevit, qui candelabro inde, lucernę instar, impositus, tempore suo per Galliam, immo Europam universam, splendidissimè coruscavit. Malè quidam [e] Ludovicum hunc Episcopum cum Ludovico Francorum Rege, sanctum nempe cum sancto, confundentes, hujus Regis pręceptorem Carbonellum fuisse opinati sunt. Cur enim præceptore usus Hispano fuerit homine Rex Gallorum in regno isto doctissimorum ubique virorum feracissimo? Episcopus certè Ludovicus apud Catalanos detentus Catalanum præceptorem habere faciliùs potuit.

[e] Henricus Willot *De script. Franciscanis*. Possevinus in *Apparatu*, Andreas Schotus in *Bib. Hispana*, Alva in *Judicio Salomonis* vulgaris linguæ. Contra quos pro vera historia sunt Wadingus infrà laudandus, & post plures alios Vincentius Baronius lib. 1. Apologetici sui ordinis Dominicani sect. 2. articulo ultimo §. 2.

245. Incidit Pontius jam senex in ea tempora, quibus de paupertate Franciscanorum acriter disputabatur inter Minores ipsos: atque eo quòd is non improbaret doctrinam Petri Joannis Olivi Galli, ejusdem familiæ, circa ejusdem paupertatis mensuram, atque ejus libros interdictos apud se retineret; in carcerem missus, ærumnisque vexatus, circa annum hujus sæculi nonagesimum obiit, jacetque in cœnobio Franciscanorum Barcinonensium. Cujus innocentiam post mortem Deus multis miraculis (uti Wadingus ait in suis *Minorum Annalibus* [f]) contestatus fuit. De eo videndi Bartholomæus Albizius Pisanus in libro *Conformitatum S. Francisci cum Christo* lib. 1. fructu 8. idem Wandingus *De scriptoribus Minorum*, Antonius Dominicus *De Sanctis Cataloniæ* lib. 2. [g] Scripsit (Wadingus laudatus ait)

[f] Tomo 1. ad an. MCCXCVII. num. 15.

[g] Fol. 55.

246. *Commentaria in universa Biblia, ad singula loca collectis abundè sanctorum PP. sententiis, ita ut non ineptè vocari possit Catena SS. PP. in universam sacram Scripturam*. Reperitur octo non minus tomis contentum opus in bibliotheca Toletana fratrum Minorum, summè expetitum ab eis qui contrectaverunt, sed usque nunc voto suo fraudatis. Scio quas ex manuscripto codice illo, in quo & Euangelia continentur, controversias moverit Sancto Thomæ Aquinati de *Catena in IV. Euangelistas, aurea* dicta, Petrus Alva & Astorga Franciscanus, & quid illi fuerit repositum. Reverendus quidem Pater Thomas Harney Dominicanus, Belga, *Epistolam apologeticam* scripsit *ad Rever. P. Petrum de Alva de secunda editione ejus nodi indissolubilis, & publicatione libelli, cui titulum fecit: Certum quid*. Bruxellis apud Joannem Mommart MDCLXIV. in 4°. In qua epistola liquidis testimoniorum probationibus contendit injuriam fieri maximam vero *Catenæ in Euangelia* auctori S. Thomæ Aquinati, ex eo tantùm quòd sub Pontii Carbonelli nomine hæc simul cum aliis in cæteros Biblicos libros *Catenis* Toleti reperiatur: cùm potuerit (id quod verisimilius est, Thomæque sanctissimo doctori non injuriosum) Carbonellus in Thomæ invento sibi placens, reliquos Bibliorum post Genesin libros catenata ista ex SS. Patribus explanationis ratione percurrere & illustrare, & *in Euangelia* istam *catenam*, quæ S. Thomæ esset, subsequentibus suis, veluti partem completi jam à se deinde magni operis, attexere. Certissimum quippe auctorem esse angelicum doctorem Catenæ hujus, constat ex epistola ejus ad Euangelium Matthęi nuncupatoria ad Urbanum IV. Papam, qui obiit anno MCCLXIV. & ex alia dedicatoria trium Euangelistarum præter Matthęum, ad Cardinalem Annibaldum; ex Thomæ Reginaldi socii indiculo, & S. Antonino: exstatque in Vaticana bibliotheca ejusdem rei testimonio antiquissimus codex laudatæ *Catenæ*, quem ipsum esse oblatum Urbano Papæ ab auctore, verisimile multi credunt. Vide sis Vincentium Baronium lib. 1. *Apologetici ord. Prædicatorum* sect. 2. §. ultimo articuli 2.

247. Petrus Alva contendit fuisse æqualem S. Thomæ Pontium Carbonellum, & præceptorem S. Ludovici IX. Regis Galliarum. At fallitur. Nam ann. MCCCXXXIV. in Capitulo generali Franciscanorum apud Cadurcum (nunc *Cabors* in Gallia) literæ quædam Benedicti XII. Papæ lectæ sunt, quibus præscripsit ordini quasdam leges ex consilio Cardinalium & aliorum religiosorũ, ubi nominatur Pontius Carbonellus Provincialis Aragonię. Hæc notitia legitur in ipsius ordinis constitutionibus.

248. S. Thomas [h] quinquagenarius obiit anno MCCLXXIV. & *Catenam auream* absolverat ante ann. MCCLXIV. nam illam Catenæ partem absolutam dedicavit Urbano IV. qui obiit hoc anno. Carbonellus autem obiit circa annum MCCXC. si credimus Antonio Vincentio Domenec *De Sanctis & illustribus viris Principatûs Cataloniæ* scribenti, & Lucæ Wadingo Annal. Franciscanor. collectori. Et ratio temporis congruit. Fuit enim S. Ludovici postea Episc. Tolosani præceptor Carbonellus. Quod enim Willot, Possevinus, & Schotus, & quidam Hu-

[h] Ex Fr. Martini Harney Dominic. *epist. apologetica ad R.P. Fr. Petrum Alva &c. De secunda editione ejus nodi indissolubilis & publicatione libelli cui titulum fecit: Certum quid* Bruxellis typis Joann. Mommarti ann. MDCLXIV. in 4

go

go Carbonellus, scribunt Pontium Carbonellum præceptorem fuisse S. Ludovici Regis, nullo modo est credibile. Et ratio congruit. Carbonellus enim fuit Catalanus, & non videtur in Gallia, quę tot viris doctissimis abundabat, ad confessorem Regis assumi potuisse. Fuisse autem confessorem S. Ludovici Tolosani verisimile magis est: quia S. Ludovicus cum duobus fratribus pro patre Carolo Siciliæ Rege, qui ab Aragonensi captus fuerat, obses datus non procul à Barcinone (ubi habitabat & obiit Carbonellus) præceptore usum istius loci Minorita, cui muneri aptissimus erat Carbonellus.

249. Deinde, si Carbonellus octo, talia qualia dicuntur, volumina, in sacra Biblia edidisset, & Parisiis habitâsset, præceptor Regis Galliarum; penè impossibile creditu est, quin toto celeberrimum orbe semper fuisset, contrà quàm nunc accidit, Carbonelli nomen. Præterea Willot & Wadingus in rebus domesticis versatissimi, obitum Carbonelli constituunt viginti ferè annis post S. Thomæ mortem. S. autem Thomas Catenam in Matthęum annis ante mortem, ut minimum, decem, hoc est triginta ferè ante Carbonelli obitum, absolverat. Nec bene argumentatur Alva ex eo quòd septem alios tomos in reliquas Scripturæ partes, eodem modo ac in illud in Euangelia commentarium, Catenæ formâ composuerit: nam potuit is inventum quod S. Thomas cœperat in Euangelia, ipse in aliis sequi. Credendum enim est S. Thomæ in epist. dedicatione operis sui ad Urbanũ IV. & in epistola dedicatoriâ trium aliorum prçter Matthæum Euangelistarum ad Cardinalem Annibaldum. Citat opus hoc S. Thomæ Reginaldus ejus socius, & S. Antoninus. In Vaticana bibliotheca antiquissimum exstat exemplar, quod creditur illud esse quod auctor obtulit Urbano IV. Plura dictus Harney contra Alvam.

250. Ad ætatem Alphonsi Regis, sub quo vixisse fama est, referimus memoriam GAUFREDI archidiaconi Toletani (vulgari nuncupatione JOFRE DE LOAYSA fuisse, D. Josephus Pellizerus alicubi monet) qui scripsit *Supplementum, seu continuationem historiæ Hispanæ Roderici præsidis Toletani*. Eam quidem vulgari lingua; hanc tamen ex ea in Latinum vertit Arnaldus de Cremona Cordubensis canonicus; idque rogatu ipsius auctoris, atque D. Ferdinandi Guterii, qui sub initium sequentis decimi tertii sæculi eidem Cordubensi urbi Episcopus præfuit. Quam interpretationem adservari Parisiis in collegio Navarræorum testatur idem Pellizerius[i].

251. Meminit certè hujus operis, Latinaque ex eo verba adducit, in Gallica *Benearnensi historia* Petrus de Marca lib. 7. cap. 8. §. 6. & in Notis ait. custodiri MS. in laudato collegio Navarrę. Meminit & Arnaldus Oihenartus *Notitiæ Vasconiæ* cap. 17.[k] qui ducentesimum vicesimum primum ejus caput (adeò vastum opus Hispaniæ nostræ honorificentissimum desideramus adhuc) laudat. Recordatur itidem hujus continuationis Joannes Jacobus Chiffletius *Vindiciarum Hispanicarum* cap. 12.[l] Memoriâ autem nos retinemus ab aliquo audivisse, *continuationem*, seu *supplementum* quoddam historiæ Roderici Toletani asservari membranacco codice in bibliotheca Hispalensi Ducis Alcalitani, quæ hodie est excellentissimi Ducis Medinæ-cœli.

i In Memoriali por Don Fernando de los Rios fol. 10.

k Pag. 198. & 179.

l Pag. 11. [illegible]

252. Theologum historico subjicimus, Gaufredo scilicet Toletano BERNARDUM Dominicanum sodalem, quem Leander Albertus lib. 4. *De viris illustribus ordinis hujus Prædicatorum* scriptorem agnoscit, ex quo Antonius Senensis, Alphonsus Fernandez, & cæteri Dominicanorum nomenclatores, nec non & Antonius Possevinus in *Apparatu*, profecerunt. Hispanum vocant Senensis, Fernandez, & Joannes Marieta lib. 14. *Historiæ Eccles. Hispanæ*, ubi de Hispanis Dominicanæ familiæ scriptoribus agit, eumque cognomento VOCATUM appellat.

253. Ambiguum tamen videri potest, an hunc confundant Hispani nostri cum Bernardo de Trilla diœcesis Nemausensis Occitaniæ Galliarum provinciæ, cui præfuisse dicitur, quem seorsum laudant iidem Senensis & Fernandez, & ex Senensi Possevinus. Eadem quippe utrique adjudicata ferme opera eò intendunt animum falli te[illegible]versantem. At hunc quoque Bernardum de Trilla Hispanis annumerat Gesneri epitomator. Sed audiamus Philippum Labbeum in *Bibliotheca manuscripta* recensentem libros MSS. Gabrielis Naudæi doctoris medici Parisini[m], in quibus enumerat *Fr. Bernardi de Trilia (non Trilla) Hispani magistri, in theologia, Ordinis Prædicatorum, quæstiones* XVIII. De cognitione animæ conjunctæ corpori *Parisiis disputatæ. Incipiunt: Quæritur 1. utrum anima conjuncta corpori intelligat veritatem naturaliter cognoscibilem per species innatas vel acquisitas &c. Definit: Sed potiùs ut passio quædam transiens in ea recepta. Gesnerus juxta titulum illius codicis* MS. *bibliothecæ Naudæanæ Bernardum hunc Hispanis annumerat: sed propiùs vero Ambrosius Gozzæus* (Ragusinus) *in catalogo Prædicatorum illustrium, ex provincia Provinciæ eum esse dicit. Nam Possevinus ex Antonii Senensis bibliotheca diœcesin illi assignat Nemausensem prope Provinciam, & Avenionem, eundemque circa annum MCCXCI. vixisse contendit.* Hæc Labbeus. Nos in medio relinquimus obscuram rem: non tamen ignari familiam de *Trilla* in Catalanis vel nunc esse, cujus est *Leo de Trilla* Prçmonstratensis, in Præpositum Ebusitanæ insulæ superioribus annis creatus.

m Pag. 228.

254. Attribuuntur quidem Bernardo Hispano *Commentarii ad aliquos Bibliorum libros*, *Quodlibeta tria* De spirationibus, creaturis, & potentia Dei, *liber* De anima corpori conjuncta & ab illo separata.

Bernardo autem Trillæ eadem prorsus paullulum mutata, scilicet

Postillæ super Ecclesiasten.
Super librum Sapientiæ.
Super Joannem, usque ad XI. *caput.*
Super Apocalypsin.
Super Psalterium.
Super Cantica Canticorum.
Quæstiones De differentia esse & essentiæ.

Quæ-

Quæstio De anima.
Quæstio De potentia Dei.
Quæstio De spiritualibus creaturis.
Quodlibeta aliquot.
Quæstio super totam astrologiam.

255. *Scripsit etiam* (ait Senensis) *Tractatum* De cognitione animæ separatæ. *Sed hunc morte præventus non absolvit. Multa alia scripsisse fertur. Claruit circa annum MCCXCII. P. 4. Monum. Ordinis.* Hæc de Trilla Senensis, quem alii sequuntur, Fernandez, Possevinus, Gesneri epitomator.

256. SANCIUS quoque Rex Castellæ ac Legionis, Alphonsi Sapientis filius, qui ab anno MCCLXXXIV. usque ad MCCXCV. rerum potitus fuit, *Documenta* quædam Ferdinando filio, hujus nominis Reges inter Castellæ quarto, seu *librum* (ita vocant) *documentorum*, vernaculâ tamen linguâ, reliquisse in schedis dicitur, auctore mihi viro magnæ fidei doctrinæque historicæ Didaco de Colmenares in *historia Segobiensis urbis*. Asservatur ita inscriptus: *Castigos, ò documentos que dio el Rey D. Sancho el Bravo à su hijo el Rey D. Fernando el IV.* antiquo admodum charactere MS. in folio in bibliotheca quæ fuit excellentiss. Comitis de Villa-umbrosa. Hunc Regem majores nostri ob bellicam strenuitatem, animique magnitudinem *Don Sancho el Bravo* appellare consueverunt, quod laudis potiùs quàm vituperationis verbum inter nos est, quamvis non dubitem quin etymon à *pravo* duxerit, quod ferocem denotat Senecæ lib. 1. *De ira* cap. 17. de Pisone loquenti: *Vir à multis vitiis integer, sed pravus, & cui placebat pro constantia rigor.*

257. Ad hoc idem sæculum referendus est JOANNES diaconus Matritensis, qui brevi relatione (prout oportuit factum, bonaque requirit fides historici) conscripsit *Vitam S. Isidori agricolæ Matritensis*. Cujus quidem anima volâsse ad cœlum superioris sæculi circiter annum septuagesimum dicitur, relicto in terris ad D. Andreæ Apostoli Matritensis eurię parochiale templum pretiosissimo exuviarum thesauro; quibus honorificentiùs adservandis atque Ecclesiastico ritu colendis, sub Philippi IV. ultimos vitæ annos novum & pulcherrimum Ecclesiæ ipsi contiguum amplitudine templis par sacellum, regiis, & fidelium ejusdem regii oppidi magnis sumptibus, curâ optimi & gravissimi senatoris regii D. Antonii de Contreras, ędificatum fuit. Cùm vir sanctissimus atque Matritensium patronus, à Gregorio XV. Papa, unà cum Ignatio, Francisco Xaverio, Theresia de Jesu, atque Philippo Nerio, in Sanctorum catalogum die XII. Martii MDCXXII. sub initium nempe Philippi ejusdem Regis, fuisset relatus.

258. Vitæ auctor non quidem S. Isidori, sed eorum saltem æqualis fuisse videtur, qui de rebus ejus sanctissimè ac mirabiliter gestis testimonia ei dixerunt, ut ex illis verbis colligere datur; *Ut relatu bonorum virorum didici.* Et infrà: *Et hoc, prout à fidelibus narratum est testibus, dignum duximus scribendum.* Constat verò post quadraginta ad minus post obitum ejus annos commentariolum hoc literis ab eo consignatum, cùm translationis sancti corporis, quæ quadragesimo circiter S. Isidori vitæ immortalis anno contigit, necnon & miraculorum post eam patratorum, disertè meminerit. Ex archivo S. Andreę Apostoli memoratæ Ecclesiæ Matritensis, in quo liber venerabili antiquitatis nota insignis conditur, acta viri sancti plures in literas retulerunt, quos refert Joannes Tamajus *Martyrologii Hispaniæ* 3. volumine die XV. Martii, iisdem actis, seu Joannis diaconi libello, quod & alii fecerant, typis edito. Nempe Jacobus Bleda è Valentiæ regno Dominicanus à se ex Latino in vernaculam linguam conversum dedit foràs cum additionibus affatim luculentis, quarum cap. 1. ea omnia adducit quæ germanam veramque esse hanc historiam confirmant, & auctores, qui eâ, uti authentico veteris illius ęvi monumento, absque hesitatione ulla utuntur, laudat. Prodiit Matriti apud Thomam Juntam MDCXXII. in 4.

259. ARNALDUS PONTIUS, sive PONS (Catalanusne, an Valentinus incertum) cùm in Podii domo (*El puig* vulgò) Valentiæ urbi proxima, Fratrum Redemptorum, quæ sub Deiparæ Virginis patrocinio appellationeque militant, Deo se mancipâsset, quantumvis annis major ac vertice canus, sacræque jam theologię doctor, susceptus inter sodales fuerit, egregiè quidem serum adventum insigni virtutum omnium exercitio compensavit; cubare in lacrymis perdius ac pernox, sævè corpus affligere, pietatem insuper quibusdam scriptis insinuare. Inter autem asperrima hęc centesimum fermè annum attigisse dicitur.

260. Opuscula ista ab eo emanâsse domesticis credimus testimoniis[a]:

De bono meditationis libellum, quo explanantur ea quæ S. Bernardus *De modo orandi* scribens olim docuerat.

261. *Super illa verba Genesis cap. 24. Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agrum inclinata jam die*, tractatulum; ex quorum verborum crebra repetitione magno se afficiebat solatio.

262. *De meditatione mortis*. Aliaque non satis distinctè memorata, quæ omnia, Latinè an vernaculè scripta fuerint, iidem reticent.

Floruisse sub Petro Amerio Generali Præfecto hujus ordinis quarto dicitur.

263. Ejusdem instituti sacri Mercenariorum sodalium fuisse dicitur, atque hujus sæculi exeuntis præsul Ecclesiæ Giennensis, & Granatæ inclytus Christianæ fidei confessor, PETRUS PASCHALIS, vel PETRUS NICOLAUS PASCHALIS, Valentinus, qui cùm illius ęvi more (ut quibusdam placet) adversus Granatenses Mauros, quibus Ecclesiæ ejus Giennensis ditio proxima est, incursionem aliquando bellicam faceret, aliàs, dum diœcesim suam pastor inviseret, captus ab iis, Granatamque fuit perductus, atque in ea ęrumnis, vexationibus, carceratione, tormentis maceratus, ac forsan gladio capite plexus.

264. Hic ad instar martyris apud domesticos celebratur, Granatęque in cœnobio SS. Mar-

[a] Alphonsus Ramon in *Hist. Mercenariorum*, Franciscus Zumel *De Praefectis Ord. sui Generalibus*, Salmeron *Recuerdos historicos*.

SS martyrum hujus instituti Mercenariorum excalceatorum magna cum veneratione asservantur candidissima ejusdem, uti creditur, caput, ossáque, unà cum cruce, aliisque pastoralibus ornamentis, an. MDLXXXVIII. in quodam subterraneo carcere (Arabibus *masmorra* nuncupato) ex iis uno, quibus captivos includere mos eorum fuit, reperta. Placet aliis Beatiæ corpus asservari, qui & sepulturę locum ostendunt ita inscriptæ, ut nequeat de alio intelligi.

265. Cujus religiosum cultum antiquissimum jam agnovit & approbavit Clemens Papa X. die XI. Decembris MDCLXXIII. Nec non & insurgentes adversus communem existimationem quosdam ordinis sanctissimę Trinitatis,ęquè redemptionis captivorum, sodales, Petrumque ordini suo tam scriptis quàm picturis vindicantes, opportunè repressit, librumque de hujus S. martyris Vita sub nomine fictitio *S. Petri de Figueriis Carpi de Valemia*, non incerti auctoris, damnavit literis è sacra Rituum Congregatione emanatis, cùm die III. Septembris MDCLXI. tum XXX. Martii MDCLXXV. Miratus equidem sum hominis, jam aliàs in hac re malè audientis, fingendi temeritatem (an impudentiam dixerim?) lecto ad libelli calcem eorum auctorum sui hujusce ordinis sanctissimę Trinitatis syllabo, quos in testimonium jam à se dictorum laudavit. Inter quos Robertus Palmer Anglus in libro *De redemptionibus* per ejusdem familiæ fratres usque ad suum tempus factis, anno MCCCVI. scripto; Joannes Blakney ejusdem gentis, in libro *De mundi ætatibus* an. MCCCIV. Joannes Betay Scotus in libro *De laudibus ordinis sanctiss. Trinitatis* an. MCD. Robertus Lander, similiter Scotus, in libro *De viris* ejusdem *illustribus* anno MCDXX. scriptis, tandemque Joannes de Burgos in libro MS. Burgensique in cœnobio asservato, cui titulus: *Collectanea ordinis sanctiss. Trinitatis* anno MD. ab auctore formato.

266. Quorum duorum ex Anglia altum est silentium apud Joannem Pitseum, qui duos alios Joannes, Lelandum & Balæum, sequutus fuit, & exscripsit, diligentissimos Anglię scriptorum perscrutatores. Aliorum autem duorum Scotorum notitia liberalissimum, ne ultrà dicamus, erga suam hanc gentem scriptorum pariter enarratorem Thomā Dempsterum omnino fugit. Joannis demum Burgensis neque nomen neque istum *Collectaneorum* librum auditum unquam aut visum fuisse ex confessione constat Josephi Rodriguez, Valentiæ urbis conventûs ministri, qui conquirendis huic rei firmandæ Castellæ cœnobiorum, atque adeò Burgensis, tabulariis, diu vacavit; literis nempe ad Vincentium Dominicum Henricum sodalem datis, quæ typis editę sunt & ostensę in caussa super hac re hîc Romę agitata. Hęc nos ex occasione hujus de instituto Petri nostri martyris controversiæ.

267. Asservantur in bibliotheca regia Laurentina quędam beati nostri Petri Nicolai Paschalis opera duobus voluminibus in folio manuscripta, scilicet, in primo: *La impugnacion contra la secta de Mahoma, y defension de la ley Euangelica de Christo, por Don Pedro Obispo de Jaën compuesta*. Continetur 198. chartæ foliis. Incipit: *En los libros los titulos y las rubricas alumbran los corazones de los que leen* &c. stylo scilicet Castellę tunc vernaculo, quo scriptum est ejusdem ferè temporis *Partitarum*, sive Alphonsini Juris, opus. Sequitur prologus, in quo ait, ut opitularetur eis, qui ob ignorantiam ejus mali, quod in Machometi secta; atque ejus boni, quod in lege nostra continebatur, miserè peribant, inter Mauros scilicet, se ex Latino in Castellanum vertisse Machometi ejusdem Vitam, sicuti eam in libris nostris descriptam reperit; quibusdam tamen adjunctis, quę à Mauris ipsis audiverat, & in eorum libris legerat, ultra id quod in Euangeliorum, & aliis Ecclesię authenticis libris scriptum invenit. Hispanâ inquam linguâ, quæ inde aut ipse auctor, aliúsve, in Latinum vertit, cùm Latina quoque exstent, ut mox videbimus.

268. Dividitur totum opus in sedecim titulos.

I. *De la historia de Mahomat, y como se prueva, y de su secta de los Moros, y como se prueva que no es verdadera, ni pueden ser salud de las animas en ella*. Continet capita octo.

II. *De la encarnacion de Jesu Christo.*

III. *De la nacencia de Jesu Christo nuestro Salvador.*

IV. *De como adoraron los tres Reyes Magos à nuestro señor.*

& consequenter de aliis vitę Christi mysteriis, quę apud D Martinum de Ximena Jurado in *Annalibus Ecclesiasticis Giennensis urbis* videri possunt°.

XIV. Titulus, *De las imagenes* est. XV. *De la Trinidad*. XVI. *De como se prueva que Jesu Christo dixo que él era Dios.* Monet ibi se anno MCCCC. his scribendis incumbere, quo ipso mortuus dicitur.

269. Alterum volumen, supra pergamenam chartam, quâ compactum est, *Viridarii* nomine inscriptum, aliaque aliorum opera continens, hęc habet Paschalis nostri:

I. *Glossa del Pater noster*. cum hac inscriptione: *La glossa del Pater noster, que hizo Don Pedro Obispo de Jaen, yaciendo preso en la ciudad de Granada, e fizolo, e ordenólo, e compusolo en razon de defension de la ley de Dios, ò por razon de que ningunos Moros ni Judios non se puedan llamar fijos de Dios, si non aquellos que laudan en su santo nombre, que es Christo*. Incipit: *Porque algunos Moros y Judios dizen, que tambien pueden ellos dezir el Pater noster, segun su secta* &c. Nec diversum ab hoc opus existimo *Vitam Christi*, quę attribui nostro Paschali non nisi unam solet.

270. II. *Libro en que prueva que Dios es Trinidad.*

Qui videtur ampliatio aut locupletatio tituli XV. *De Trinitate* alterius operis jam laudati contra Machometanorum sectam, & pro Christiana lege.

III. *Contra los que dizen que hay Fados, y Ventura, horas menguadas, signos, y Planetas, en que nacen los hombres*. sive contra genethliacorum superstitionem.

IV. *Ex-*

° Pag. 278.

IV. *Explicacion de los diez mandamientos.*
V. *Explicacion del Credo.*

271. Hucusque opera duobus his voluminibus comprehensa, quorum priori possessor nomen suum subscripsit Licentiatus Martinez Prior, posteriori annotatum legitur: *Variorum hoc tractatuum exemplum absolutum fuisse* xx. *die Martii anni MCCCXCII.* nonaginta scilicet duobus à morte sancti viri annis. Fuerunt, antequam regio huic thesauro accenserentur, clarissimi viri Gundisalvi Argote de Molina, qui Philippo Regi II. Catholico dono dedit, ut eò illa inferret.

272. VI. Prętereà hęc aliud ab eo exstat opus, quod *Biblia pequeña*, Biblia parva, nuncupatum se vidisse in membranis antiquissimis linguâ Provinciali, seu Lemosinâ, hoc est, vernaculâ Valentiæ regni, unde erat, exaratum, & eodem in monasterio SS. Martyrum conservatum D. Justinus Antolinez sacri Montis-Illipulitani eadem in urbe Granatensi abbas, & Episcopus aliquando Dertusensis, in historia ejusdem urbis adhuc inedita reliquit scriptum. Hujus quidem exemplum in Italicam linguam olim, nempe, ut videtur, ante ducentos annos translatum, invenimus nos Romæ in bibliotheca Theatinorum S. Andreæ de Valle p, unde hîc initium libri, seu prologum, dum Valentinum nostrates celant, hoc idiomate dabimus. *In Dei nomine, & gloriosæ Virginis Mariæ. Incomenza il prologo del libro ordinato per lo reverendo Signor Episcopo per la gratia de Dio della città di Jaben del regno di Castella, ad honor di Jesu Christo, per informare gli semplici Christiani della santa fede Catolica.* Et prosequitur huic titulo pręfationem subjungens: *Come io detto Religioso, & Episcopo per la gratia di Dio della città di Jaben del regno di Castella, cosi nominato, havesse letto trenta anni in Theologia, & altre scienze, per mia disaventura fui preso in poter del Rè di Granata, & vedendo io assai delli detti Christiani, qui captivi, & per non sapere no de lettere, ne sapereno la fede degli Christiani, alcuni Giudei mercanti* &c.

p Pluteo 19. tabulâ supremâ, nisi mutatus inde sit.

273. Ait inde se annorum esse septuaginta, formâsseque hunc librum per interrogationes & responsiones instruendis Christianis, ut tam Judæis quàm Machometanis, aliisque perversis gentibus, fidei nostræ rationem reddere possent. Non autem esse hunc librum, in quo certè nomen subticetur, auctoris D. Gundisalvi Zunicæ, qui & Episcopus Giennensis, & Maurorum fuisse Granatæ servus dicitur, idem D. Justinus Antolinez aptè comprobat; argumento inde ducto, quòd Gundisalvus is ante Episcopatum uxoratus fuerit; nec in hac mariti, atque item viri nobilis & laïci, conditione, cui professorium munus parum conveniebat, annis non minùs triginta docuisse eum theologiam, simile vero est. Accedit conjecturâ nostrâ potiùs esse ut Valentinus homo Valentinâ linguâ scripserit, hoc est, vernaculâ, quàm exterus aut peregrinus, qualis Zunica fuit.

274. VII. *Oratio* item, quę incipit: *O principium sine principio*, deperdita est, cujus ipse meminit in libro *adversus Machometi sectam* q his verbis: *E sabed amigos, que yo escrivì una oracion en Latin, que comienza*: O principium sine principio. *En la qual brevemente comprehendi gran parte de las historias de los Euangelios, e de las cosas que son escritas en este libro.* Sed habemus jam post annotata hæc, pręli beneficio vulgo communicata hęc S. Martyris opera ex typographia Matritensi Bernardi à Villa-diego anno MDCLXXVI. in folio, Clementi X. Pont. Max. dedicata, censurisque reverendissimorum PP. Laurentii de Laurea Minoris Conventualis, consultoris S. Officii & sacrorum Rituum, Vaticanę bibliothecæ primi custodis, religione ac doctrina theologica, & utriusque Juris in paucis clari, aliorumque doctissimorum Hispaniæ nostrę virorum, commendata.

q Fol. 116.

275. Cùm autem tam vernacula sermonis forma quàm Latina sint antiquę, & non hujus aut superioris sęculi; verosimile nobis est, ab auctore fuisse vulgari sermone Castellæ conscripta, non Latino, hęc opera: illud maximè, quo absurditates Machometicæ ostendit ac redarguit sectæ. Qui Christianis captivis nihil proderat hacce minus eis notâ linguâ verba salutis infundere, Machometanosque suorum Alcorani errorum admonere, quibus Hispanica lingua, non prorsus ignorata, sicut Latialis, erat. Deinde verò hęc eadem fuisse ab aliquo alio in Latinum conversa. Nec post multum quidem temporis: cùm Latina ferè phrasis ejusdem temporis paullóve inferioris phrasin redolere videatur. Ordo autem hic est in editione Latina:

276. I. In *sectam Machometanam.* Qui liber sic, ut in Hispana scriptus, distinctus XVI. titulis, majorem voluminis partem occupat. Sequitur

277. II. *Glossa orationis Dominicæ.* Incipit: *Cùm autem aliqui Maurorum* &c. Quæ continet septem orationis hujus petitiones cum glossis.

278. III. *Caput valdè utile in honorem sanctissimæ Trinitatis, & exaltationem legis, in quo etiam ostenditur ignorantia quorundam asserentium esse Parcas, horas infaustas, signa & Planetas, in quibus homines nascuntur.*

279. IV. *Glossa decem præceptorum Decalogi.*

Deniq; opus illud, quod fortè sub inscriptione aut nota *parvorum Bibliorum* alicubi exstat; sed in Latino sic dumtaxat inscribitur.

280. V. *Quoddam perpulchrum opus, compilatum* per admodum reverendum Episcopū civitatis Giennensis, dum Granatæ in publico carcere esset captivus. Incipit prologus: *Cùm ego præfatus religiosus* &c. Et hoc quidem Barcinone olim editum an. MCDXCII. hodie reperiri in archivo Congregationis, quæ ad promovendam purissimæ Conceptionis B. Mariæ Deiparæ mysterii caussam à Philippo IV. Rege nostro ex viris theologiæ Jurisque scientiæ doctissimis dudum fuit formata, in regia curia, in ejusdem operis anteloquio refertur.

281. Volâsse autem anima Petri Nicolai Paschalis è trucidato corpore in cœlum dicitur vel anno MCCC. vel MCCCIII. Reliquæ

ejus apud nostros[r] videre lector poterit. Vitam certè peculiari libello descripsit Fr. Petrus à S. Cæcilio Granatensis, hujusmet ordinis Mercenariorum, ut vocant, Reformatus, per Bartholomæum de Lorenzana MDCXXIX. Granatæ editam, atque eo meliùs D. Martinus de Ximena Jurado Toletanæ Ecclesiæ Portionarius, vir industrius ac doctus, in *Annalibus suis Ecclesiasticis urbis Giennensis*.

282. Latet adhuc verus auctor *Compendii* cujusdam *historici*, quod manu exaratum anno MDLXXX. à quodam curioso, qui se antiquum alium codicem unâ super quinquaginta chartis sive foliis contentum, exscripsisse ait, aliquando vidimus. ANONYMUS iccircò à nobis huic loco inseretur, quòd scripserit *Sumario de los Reyes de España, desde D. Pelajo hasta D. Enrique el III. compuesto por N. despensero mayor de la Reyna Doña Leonor muger del Rey D. Juan el I.* Obiit Regina hæc anno hujus seculi LXXXII. Rex autem Henricus ejus filius successit patri anno nonagesimo. Historiam verò hanc vidisse se penes Didacum de Colmenares historiæ Segobiensis urbis auctorem typis satis antiquis editam asseveravit aliquando nobis D. Josephus Pellizerius regius chronographus: & habet eam editionem Marchio Mondexarensis Matriti absque notitia loci aut temporis.

283. Adjungam pro colophone hujus sæculi ALPHONSUM DE PAREDES, qui Ferdinandi Castellæ Infantis, qui nempe in regno Sancii parentis successor fuit anno ejusdem nonagesimo quinto, medicum sese nuncupat in quodam opere, quod in membranis manuscriptum & coloribus variegatum in regia Laurentina bibliotheca adservatur, ita scriptum: *Theatro de la nobleza de las cosas*. hoc est, *Nobilitatis rerum theatrum*.

r Salmeron *Recuerdos historicos*, recuerdo 17. Pedraza *Hist. de Granada* parte 3. cap. 29. Argote *Nobleza de Andalusia* lib. 2. cap. 18. *Catalogus* 245. *Episcoporum Giennensium*. Altuna in *Chronico ordin. sanctiss. Trinit.* part. 3. lib. 4. Figueras Carpi in *Chron. ordin. SS. Trinit.* & in hist. ejusdem, Barthol. Ximenez Pacon *Historia de Jaën*, cap. 10. & 17. Martinus Ximena in *Annal. Eccles. Giennensibus*, Bilches *Santos de Jaën* parte 1. cap. 50. Quintanadueñas *Santos de Toledo* siglo 14. §. 1. Ruiz Puerta *Histor. Eccles. de Jaen* Franciscus de S. Maria *Chronica de la Reforma del Carmen* lib. 4. cap. 8. num. 7. Vargas *Historia ord. Mercenarior.* lib. 1. cap. 27. Ægid. Gonzalez Davila in *Theatro Eccles. de Jaën* Alcozer *Historia de Toledo* cap. 24.

CAPUT VII.

An scriptoribus accensendus sit S. DOMINICUS *ordinis Prædicatorum auctor Librum* De corpore Christi *alterius esse Dominici de Pantaleonibus. Nihil ab hoc diversum probari ex miraculo voluminis de Dominicana confessione ab igne illæsi. Testimonium tamen ex quodam Chronico Latino-Gallico contrarium videri, si fides ejus constat. De aliis eidem sanctissimo viro tributis temerè operibus. De* VASCO LOBEIRA *Lusitano, ejusque opere* De Amadis de Gaula.

284. DE sancto DOMINICO Prędicatorum ordinis auctore diu dubitavi, atque etiam nunc dubito, scriptoribúsne accensere debeam: confessorum quidem solem, & qui sufficisset solus nostrarum lucubrationum tenebras fulgore suo dispellere. Sed proposito insistendum est, non verò aliud agendum. Liber enim quidam, Sancti Dominici prę se nomen ferens, *De corpore Christi*, falsò ei suppositus communiter vel inter suos existimatur; cùm Dominicum alium, de Pantaleonibus cognominatum, auctorem habeat. Ita vir doctissimus Thomas de Malvenda libro *De paradiso* cap. 60. & cum aliis Theophilus Raynaudus *De bonis & malis libris* partitione 1. erotemate 10. num. 215. & in *Diptychis Marianis* parte 2. puncto 2. n. 19. post antiquiores Bartholomæum Pisanum[s] atque eo antiquiorem Joannem de Turrecremata[t]. Quare hujus operis in commemoratione sancti patris nulla fit mentio, neque ab Theoderico de Apoldia, Vincentio Bellovacensi, S. Antonino, antiquis; neque à recentioribus scriptorum compilatoribus, Antonio Senensi, Michaële Pio, Razzio, Fernandio, & aliis, qui è contrario laudatum *De corpore Christi* opusculum Dominico de Pantaleonibus constanter adscribunt. Pro adversa parte adduci solent S. Dominico id attribuentes, atque ex eo libro, tanquam viri hujus sit sanctissimi testimonium quoddam pro illibata Virginis Mariæ Conceptione laudantes, non unus aut alter[u], qui adhęsisse huic piæ, jamque hoc nostro tempore insigniter ab Ecclesia adprobatæ sententię, Dominicum ordinis ab ea discedentis Patriarcham si confirmâssent, non levis momenti rem ab se confectam existimavere. Sed quia ingentem eorum numerum collegit Petrus Alva & Astorga in *Militia* sua *Conceptionis*; age, videamus, constétne iis omnino fides.

285. Sed antequam eò ingrediamur, animadversione opus est, è miraculo, quod omnes sciunt, probati & approbati per ignis purgationem, ad instar canonicæ, libelli fidei, quam tuebatur & prędicabat adversus Albigenses Dominicus, non statim, immo pessimè colligi, hunc eundem esse cum libro, in quem inquirimus, *De corpore Christi* eidem attributo. In quo hallucinatur, aut confundit sponte rem paralogismo usus, *Militiæ* auctor. Quamvis enim nonnulla esset pars Albigensium insaniæ circa Eucharistiam error, pleræque aliæ partes non debuerunt, in libro *Fidei* per Dominicum exhibito hęreticis, sub eo tantùm *De corpore Christi* titulo comprehendi, vel potiùs taceri. Hunc enim illum fuisse librum, in quo patratum fuit ignis miraculum, hujus partis assertores palam affirmant. Miraculum sanè referunt major eorum pars, qui ab Alva coacervantur; sed non ideo, ut S. Dominici esse *De corpore Christi* librum contestarentur, coacervari debuerunt. Ecce enim Theodericus de Apoldia, S. Dominici ferè ęqualis, qui Vitam ejus circa ann. MCCLXXXVIII. ex legendis fideliter scriptis Jordani Magistri Generalis secundi, Constantini, Humberti Magistri Generalis quinti, Gerardique Provincialis Theutoniæ formavit, exstatque apud Surium v. die Augusti lib. 1. cap. 6. hæc ait: *Permulti quoque catholici libellos conscribebant in Fidei defensionem. Scripsit quoque B. Dominicus librum Fidei suæ sacris auctoritatibus & divinis rationibus munitum, qui etiam præ cæteris approbatus, ab omnibus receptus fuit. Idemque ad confutandam hæreticam falsitatem, & catholicæ fidei confirmandam veritatem, post longam disputationem apud fanum Jovis habitam, cum libello cujusdam hæretici in ignem conjectus est*. Iterumque in cap. 9. repetitum, ut videtur, enarrans miraculum, *S. Domini-*

s In conf. De avaritia ... ma... parte 1. cap. 6.
t De Conc. B. V. ...

u Pelbertus de Temeswar in *Stellario B. Virg.* part. 1. artic. Bernardin. à Bustis *Mariali* serm. 3. Hilaretus nescio quis serm. De Conceptione, Cornelius lib. 3. Thesauri Canisius *De Beatiss. Virg. Maria* lib. 1. cap. 7. Salmeron in epist. ad Rom. 5. disp. 51. Suarez in 3. part. q. 27. disp. 3. sect. 5. Vasquez disp. 117. Galatinus lib. 7. *De arcanis* cap. 3. Cucarus in *Elucidario*. Helmesius serm. 7. *De Conceptione*. Quos omnes laudat Pet. Oxeda. *Informacion Eclesiastica en defensa de la limpia Concepcion* fundam. 1.

nimcus quædam Fidei documenta ſcripſit in chartula, tradiditque eam hæretico &c.

286. Quæ quidem libentiùs profero, quia Theodericus ipſe auctor in epiſtola ad Nicolaum Magiſtrum ordinis, ſe ex prædictis patribus, non modò ſententiam, ſed plerumque verba de verbo poſuiſſe inquit. Nec ulteriùs aliquid Petrus Vallisarnenſis *Hiſt. Albigenſium* auctor, cap. 7. Vincentius Bellovacenſis, S. Antoninus, Jacobus de Voragine, qui non librum, ſed *cedulam* appellavit, cap. 108. *legendæ Sanctorum*, quomodo & Petrus Epiſcopus Equilinus lib. 7. *catalogi* cap. 22. Surius, Lipomanus, Poſſevinus, aliique ab Alva collecti, atque in genere omnes hi, quos pius in ſacratiſſimum hoc magnę Matris myſterium non ſic pręoccupaverat affectus, ut judicio ad cenſendum de emendicatis undique antiquorum teſtimoniis pro eo adductis defæcato ac libero renunciâſſe viderentur. Si excipias tamen auctorem cujuſdam Chronici anonymum, cujus mentio legitur in Franciſci Martini Carmelitæ compendio *De immaculata Conceptione*, quod cum aliis publicavit ejuſdem argumenti Petrus Alva laudatus. Hujus verba dabimus, quamvis multa ſint, ne quod pro ſancti Dominici partibus, ac ſanctiſſimi myſterii Dominicana confeſſione militare videtur, ſubticentes reprehendamur. *Unde legitur* (ait) *in quadam Chronica Regis Franciæ, quam venerabilis quidam Magiſter in ſacra pagina, vocatus Magiſter Joannes Gollen, ordinis B. M. Dei genitricis de Monte Carmelo tranſtulit de Latino in Gallicum ad requiſitionem Regis Franciæ Caroli, quam Chronicam aliàs ego audivi dum ſcholaris fui in dicto ſtudio, in ſermone, quem dictus Magiſter fecit ad clerum, in domo fratrum Minorum anno Domini MCCCLXIV.*


287. Sequuntur verba ipſa Chronici, quibus ait Albigenſium quendam errorem fuiſſe, Deiparam Virginem culpa originali maculatam, ideoque ex ea naſci non potuiſſe qui mundum fuiſſet redempturus: itemque alterum errorem, hoſtiam conſecratam non continere verum Chriſti corpus. Sanctum autem Dominicum veniſſe de partibus Hiſpaniæ, qui ordinem Pręedicatorum incœpit, feciſſeque *quendam librum* De corpore Chriſti, *in quo oſtendit quòd hoſtia conſecrata continebat verum corpus Chriſti, illius qui redemit genus humanum*. Adjungitque: *Et dicebat contra eos, quòd Chriſtus natus eſt ex Virgine immaculata*. Narratque inde miraculum conjecti & illæſi ab igne voluminis. Hęc Franciſcus Martini.

288. Solet etiam eidem ſancto Patriarchę tribui *Poſtilla ſuper epiſtolas S. Paulli Apoſtoli* ex Romanis pręlectionibus, atq; etiam ex Bononienſibus ſuper alias epiſtolas canonicas, & Pſalterium. Evangelium his adjungunt Matthęi, & ſpecialem ſuper illa capitis octavi verba: *Abeunte Jeſu in naviculam* &c. *lucubrationem: in qua omnia ad navem neceſſaria pulchrè moralizavit*, Senenſis ait: quem alii exſcripſerunt. Nullus verò aut vidit manuſcriptos codices, aut de loco monet, in quo viſi ab aliis, aut videri poſſunt. Vix autem eſt ut doctiſſimi & ſanctiſſimi parentis lucubrationes tam viles apud ſuos fuerint, ut nemo hactenus, ſi minus ediderit, ſervari tamen has veneratione magna hoc vel illo bibliothecarum Dominicanarum, aut aliarum angulo, nondum admonuerit.

289. Vereor igitur ne iſta ejuſdem commatis ſint cum his quas Alphonſus Cicarellus, impoſtorum coryphęus ille, quem vir clariſs. Leo Allatius integro opuſculo deſcripſit vivis coloribus exprimens, Dominico attribuit, Homilias tres, videlicet *De gratia Dei*, ac totidem *De ineffabili Trinitate*, quas penes ſe habere planus ajebat.

290. Diverſum quidem eſt, ſuoque, ideſt magno, pretio habendum, nec tamen Dominici adſcribendum calamo, quòd cinnus quidam ſermonum inter opera B. Alani de Ruge legatur, editus cum ea commendatione, ut revelati dicantur priùs beato noſtro Patriarchæ, quos ad concionem diceret, iidemque poſtea laudato Alano.

291. Sub Dionyſio Portugalliæ Rege, qui exeunte hoc ſęculo vivebat, floruiſſe dicitur Vascus Lobeira Luſitanus, Portuenſis, primus auctor, ut fama eſt, proſaïci poëmatis, ſeu fabuloſæ hiſtoriæ *de Amadis de Gaula*, à qua cęteræ hujuſmodi tanquam ſurculi prodiere. Hujus autographum Luſitanum exſtare penes dynaſtas Aveirenſes notatum inveni in quadam notula, quæ poſt Antonii Ferreirę Luſitani poëtæ opera edita eſt: qui Ferreira duo epigrammata (*ſonetos* vocant) compoſuit in laudem Lobeirę, eodem ſtylo antiquo uſus, quo ipſe ſcripſit, ſcilicet *ſonetos* xxxv. & xxxvi. confirmat Antonius Auguſtinus, Latinis Andreæ Schoti verbis, qui *Dialogos* ejus eâ linguâ interpretatus fuit, loquens: *Quarum fabularum primum fuiſſe auctorem Vaſcum Lobeiram Luſitani jactant*. Plura nos de his Amadiſii fabulis altera ¡Bibliothecæ parte inter anonymos.



BIBLIOTHECA VETERIS HISPANÆ

LIBER NONUS.

De scriptoribus decimi quarti sæculi.

PRÆLOQUIUM.

1\. IAM huic libro ex more nostro munitam ne desideret lector chronographiæ amans, Regum ordinem damus, qui hoc toto, cui nunc insistimus, sæculo, rebus nostris pręfuere. Degebat nempe anno MCCC. adhuc in vivis Ferdinandus Castellæ ac Legionis Rex quartus, qui vitâ functus anno MCCCXII. successorem habuit Alphonsum XI. aliis XII. eorum postremum, qui fatali hoc illustrium gestarum rerum nomine (& quare nunc jam desueto?) appellati sunt. Huic anno quinquagesimo Petrus filius successit, vulgò *Crudelis* dictus, qui occisus anno sexagesimo nono ab Henrico fratre, vacuum ei regnum reliquit. Henrici sceptrum suscepit septuagesimo nono Joannes filius, hujus nominis primus, qui ex equo præcipitatus anno hujusmet sæculi nonagesimo infeliciter obiit. Cujus filius Henricus III. cognominatus *Infirmus*, usque ad sequentis septimum vitam prorogavit.

2\. Aragoniæ autem regnum Jacobus, sive Jaimes secundus, superioris etiam sæculi Rex, deinde ab anno MCCCXXVII. Alphonsus IV. *Pius*, Jacobi filius; ab anno XXXVI. Petrus IV. Alphonsi filius, cognomento *Cæremoniosus*; ab anno octogesimo tertio Joannes I. Petri filius; eóque improli decedente anno nonagesimo tertio, Martinus ejus frater germanus, tenuere.

3\. Res verò Portugalliæ, quæ penes Dionysium jam diu fuerant, ineunte hoc sæculo, anno ejusdem XXV. ad Alphonsum IV. filium transierunt; hinc autem ad Petrum filium anno quinquagesimo septi[mo], cujus vices Ferdinandus ab eo natus, an[no] septimo super sexagesimum suscepit. At he[c] diem suum anno MCCCLXXXIII. obeun[te], cùm jure successionis Joannes primus Castellæ Rex propter Beatricem conjugem Ferdinandi filiam niteretur, Lusitani externi Regis odio magis quàm jure aliquo, Joannem Ferdinandi prædicti Regis fratrem ex illegitimo toro natum regno imposuere, qui sæculum absolvit.

4\. Quartum denique Hispaniæ regnum, Navarræ scilicet, Philippus Pulcher Franciæ Rex Joannæ uxoris suæ nomine, cùm quartum decimum hocce incœpit sæculum, tenebat; qui anno ejus quinto Ludovicum Utinum ex eo matrimonio natum huic regno præfecit, qui Rex etiam Francorum fuit. Joannes paucorum dierum post patrem Rex, Philippum patruum cognomento *Longum* anno decimo quinto; hic autem Carolum Pulchrum fratrem anno vicesimo primo, Galliarum quoque Reges, successores fortiti sunt. Carolo autem orbo Joanna successit, Ludovici Utini filia, cum conjuge Philippo Ebroicensi Comite, qui *Nobilis* vulgari cognomento audiit. Hos excepit Carolus alter, eorum filius, MCCCXLIX. atque hunc Carolus III. *Nobilis* appellatus, anno MCCCLXXXVI.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De GUNDISALVO HISPANO *Joannis Wallensis Minoritæ testimonium. De* JOANNE ÆGIDIO ZAMORENSI *ejusdem minorum ordinis, ejusque operibus adhuc ineditis, dignis quidem ut lucem videant, quantumvis erroribus quibusdam historicis & geographicis ex parte deformibus. De* GUNDISALVO A VALLEBONA, *sive* VALBOA, *eorumdem Minorum Generali ministro. De* ARNALDO DE VILLANOVA. *Hispanis an Gallis sit accensendus. Multa hujus in literis existimatio: errores tamen quosdam ejus in religionis re Eymericum taxavisse. Clementis Papæ V. laus ei tributa. Variæ de eo censiones. Doctissimum fuisse in re chimica ac medica. De prædictione finis sæculi quæ ei imputatur, quæ aliis passiva præsumptio. Recensentur ejusdem Arnaldi opera.*

5. OCCURRIT ante alios sæculi hujus æquales, si non antiquior est, GUNDISALVUS quidam, quem à natione HISPANUM, ut moris fuit, appellatum, laudatumque simul, reperio apud Joannis Wallensis Franciscani Florilegium *De vita & dictis illustrium philosophorum*. quod ex latebris bibliothecarum Lucas Wadingus anno MDCLXV. in lucem produxit. *Huic ultimæ diffinitioni* (ait par. 1. cap. 1.) *addit Gundisalvus in libro De ortu scientiarum* &c. ubi ad oram libri notatum Wadingus voluit Gundisalvum Hispanum scripsisse *De divisione philosophiæ*, ac *De anima*, & libros *De cœlo & mundo* ex Arabico in Latinum transtulisse. Librum ejus *De anima* citat idem Wallensis in laudato Florilegio, seu Breviloquio *De sapientia Sanctorum* cap. 1. num. 2. Quem Wallensem novimus circa annum MCCC. floruisse, nec ab eo Gundisalvum dividimus.

6. Per hæc eadem tempora in vivis fuisse alterum GUNDISALVUM diœcesis Conchensis, qui Nicolao cuidam Calabro dictavit librum *Virginale* vocatum, errorum & hæresum plenum, qui damnatus fuit ab Aragoniæ Inquisitoribus, ex Nicolai Eymerici *Directorio* [a] constat.

a 2. parte quæst. 11. & quæst. 28.

7. JOANNES ÆGIDIUS ZAMORENSIS ad principium hujus sæculi referendus esse videtur, qui floruisse etiam dicitur post ann. MCCC. in bibliotheca scriptorum ordinis Minorum Lucæ Wadingi. Franciscanus hic instituto ex provincia S. Jacobi, Zamorensis autem patriâ, in eam doctrinæ civilisque conversationis atque pietatis famam pervenit apud sapientissimum Regem Castellæ Alphonsum, quem superiore libro meritis jam laudibus cumulatum dimisimus, ut ad gubernandam, literisque instruendam Sancii principis pueritiam accerseri ab eo inter tot unus mereretur. Qui Sancius deinde parentis successor præceptorem suum valdè charum habuisse dicitur.

8. Variâ Ægidius literaturâ conspicuus ad posteros venire conatus est; quodam tamen fato adversante, aut incuriæ ac ruditati istius sæculi suffragium subtrahentibus typis, quos ei proximum inde sæculum in Germania invenit, laboriosissimæ lucubrationes, longissimæ quidem vitæ fructus, latebris suis infeliciter addictæ, & à paucis visæ, lucem adhuc desiderant, & à sodalibus Francisci asseclis optimo quidem jure flagitant. Has septem, non minùs, atque his grandibus, contentas membranaceis voluminibus, asservari Zamoræ in monasterii Franciscanorum bibliotheca plures referunt [b]; quæ volumina vulgò sodales ab auctoris nomine *los Egidios* appellant. Varia hæc continere doctrinæ multiplicis documenta, Joannes Turre-cremata olim nos monuit: nam dum *De conceptione Deiparæ Virginis* ad Concilium Basileense tractatum dirigeret, eosque auctores enumeraret, qui pro ea parte, quam is tuebatur, stetissent, *item* (ait parte 6. cap. 32.) *ad idem est ejusdem ordinis Pater Fruter Ægidius Zamorensis Hispanus, qui juxta ordinem alphabeti mira scripsit, tam de Chronicis, quàm de doctrinalibus, quàm etiam de moralibus; cujus verba informia (licèt propter distantiam à Basilea, ubi hæc scribuntur, ad insignem civitatem istam Zamorensem in regno Castellæ, ubi ejus libri habentur, non sint mihi ad manum) sententia tamen ejus certa est in Summa sua in cap. De Maria* &c. In his septem voluminibus sequentia leguntur:

b Higuera in Hist. Tolet. ms. lib. 14. cap. 8. epistola quadam ex Zamora ad Rodericum Carum missa, quam vidimus. Wadingus De scriptoribus Franciscanis.

9. *Archivum*, aliàs *Armarium scripturarum.* Utraque enim inscriptione auctor utitur in altero quod mox laudabimus opere *De præconiis Hispaniæ*. *In eo* (ait Wadingus) *optima queque eruditionis Ecclesiasticæ argumenta ad præcipua capita reduxit*. Hujus libri testimonio bis utitur Alphonsus Spina in *Fortalitii fidei* lib. 3. [c] *Archivum* quoque eum appellans, quem alibi *Arcanum*, per errorem, ut videtur, editionis, nuncupavit; uti & refert *Chronici Hispaniæ* cap. 4. Joannes Vasæus.

c Fol. 219 col. 4. & fol 185. col. 4.

10. *De præconiis Hispaniæ*. Cujus exemplum vidimus in libro quodam Martini Vazquez Siruelæ Portionarii Ecclesiæ Hispalensis, viri eruditissimi. Unde hîc aliqua dabimus in specimen operis & doctrinæ auctoris. Initium ejus: *Serenissimo domino suo Infanti Sancio illustrissimi Adephonsi Regis Legionis, & Castellæ, Toleti, & Wandaliæ, majori filio & hæredi, & Biscagiæ potentifico adeptori, humilissimus scriptor suus Frater Joannes Ægidius Fratrum Minorum indignus apud Zamoram doctor, diu & feliciter vivere, prosperè procedere & regnare. Quemadmodum sanguis animalium, &, quod est mirabilius, sanguis uvæ ac mori, juxta Machabæorum historiam, ostensus elephantibus ipsos acuit ad prælium: sic exempla illustrium principum animos nobilium excitant & animant ad virtutem cumulum & profectum.*

11. Et post aliqua de vi persuadendi, quâ exempla funguntur, *brevem* (ait) *libellum* De præconiis Hispaniæ *subscribere cogitavi*. Quod mihi verum nomen operi fuisse ostendit. *Ut autem quod quæsieritis* (prosequitur) *facilius invenire possitis; singulis subsequentibus per ordinem capitulis digestis titulos adnotavi, quibus, quasi quibusdam clavibus, intellectus ad sequentia reseratur, & omni confusione remota, animus vester tanquam stellis interlucentibus*

bus

bus illustretur. *Primus autem liber sive tractatus* De Hispaniæ impositione [d], & impositionum varietate, & populationum diversitate. *Secundus erit* De Hispaniæ fertilitate seu fœcunditate. *Tertius* De ejus franquezia seu liberalitate [e], *quæ Reges debet inducere ad benefaciendum maximè suis*. *Quartus* De ejus fortitudine, quoad situm & quoad animum, & de diffinitione fortitudinis, ejusque speciebus. *Quintus erit* De aliquorum virorum Hispaniæ potentifica strenuitate & animositate, *Sextus* De virorum Ecclesiasticorum exemplifica bonitate, *quæ Reges debet inducere ad cultum & respectionem Dei per timorem divinæ pietatis, & cognitionem divinæ veritatis, & amorem divinæ bonitatis*. *Septimus* De philosophorum & doctorum ejusdem sapientifica perspicacitate, *quæ Reges inducere debet ad circumspectionem sui & populi per virtutem temperantiæ, & continentiæ, justitiæ, & clementiæ, providentiæ, & cautelæ*. *Octavus erit* De civitatum ejusdem nominibus immutatis. *Nonus verò erit* De apologia principum & magnorum, & eorum tyrannica cervicacitate, *incipiendo à creatione mundi usque nunc, descendendo per Imperatores, usque ad tempora nostra*. *Decimus erit* De juribus magnorum, & de obligationibus vassallorum, *in quibus videlicet vassalli dominis, & vassallis domini tenentur. Hæc autem scribuntur propter mores, & non propter historias; quia de historiis actum fuit in aliis libris nostris*. *Undecimus erit* De regulis bellorum generalibus. *Duodecimus erit* De cautelis habendis in rebus bellicis. Hæc ille de divisione operis.

d Fortè nominis impositionum.

e Potiùs libertate.

12. Quæ consequitur primus titulus, *liber primus De Hispaniæ inceptione, nominis impositionum varietate, & populationum diversitate*. Scribi cœpisse hoc opus anno MCCLXXVIII. patet ex his ejus ex primo tractatu verbis: *Sexta quidem populatio mista usq; in hodiernum diem sub era CCCXVI.* deest *M.* nota millenarii, sed suppleri debet, ut concurrat cum isto Redemptionis anno. Stylus vitio potiùs ætatis quàm hominis, non semel in barbariem labitur; nihilominus tamen multa sunt quæ comparari meliorum auctorum optimis possunt. Animo ut plurimùm & expressione viget, nervorumque & spiritûs, præsertim in describendis præliorum congressibus, plenus est. Peculiare id in opere isto, quòd post repræsentata ea quæ quisque promittit libri titulus, ad principem exemplis super iisdem admonendum ex sacris libris, Græcorumque ac Latinorum veteri memoria petitis, convertitur.

13. Erroribus tamen passim fœdatur, præsertim in geographica re ac etymologica. Tractatu nimirum primo ait in *Celtiberia* provincia comprehensam fuisse *Carpetaniam*, quæ quidem constabat quatuor civitatibus, *Auca, Calagurri, Tyrasona, & Aucipa*, quæ postea dicta Cæsar-augusta fuit. Celtiberiamque sic interpretatur, ut sit quæ nunc *Catalonia*.

14. Tractatu 7. *Ovetum* ab *Ove* fluvio, & *veto, as*, verbo nuncupationem accepisse docet: *ex eo quòd ibi flagitia vetabantur. Enim* (ait) *in monte illo, ubi constructa est civitas Ovetum, principes, & potentes justitiam exercebant. Item quia mons ille situatus erat inter duo flumina, quæ* Ove & Deva *communiter vocabantur*, Ovetum *est ipsa civitas appellata*. Toletum quoque monet, *Serrezola* olim dictum, vetusque *Saguntum* hodiernum esse *Medinæ-Selim* oppidum. Ex aliis refert *Mundam*, Pompejanæ domus excidio celebrem *Conimbricam* esse, quæ quidem à *connivendo* fuit *Conimbrica* appellata; eo quòd incolæ attriti pugna civitatem Cæsari conniverunt. *Mondegum* fluvium hanc urbem alluentem ita dici eo quòd *mundam* agat. *Septem-publicam*, hodie *Sepulveda*, à *septem-publicis* mulieribus, quæ in ea habitarent, nomen sortitam.

15. *Lusitaniam* à *lusu* & *Ana* fluvio, quòd Hercules ibi ludos instituerit. *Tyrasonam* à *Tyriis* & *Ausoniis* populatoribus de comitatu ejusdem Herculis dictam. Sicuti *Urgellium* ab eodem Hercule, quòd bello *urgeret* Celtiberos. & *Barcinonem* à *barca nona*: quem alii ex nostris ridiculum errorem admiserunt. *Numantiam* item esse *Zamoram*, fuisseque hanc, juxta aliquos, à Numa Romuli successore populatam, & *Zamoram* dictam postea à *Zara* Pompeji filia, & à *Romanis*; quia nempe hoc pactum fuerat cum Numantinis ab ipsa *Zara*, quæ eos conciliaverat cum Parente Pompejo. Monstra quidem historiæ! Tale est etiam quod tractatu 6. Aristotelem natu Hispanum ex opinione Lucæ Tudensis fuisse affirmat. Hæc de opere, quod indigitavit *De præconiis Hispaniæ*. Unde & lucem accepimus ad alia, quorum in eo auctor meminit, hîc adjungenda.

16. *De mundi ætatibus, & De viris illustribus*. Idem tractatum IV. *De præconiis*, &c. his absolvit: *Hæc autem de strenuitatibus principum Hispaniæ sufficiunt causâ brevitatis. De aliis verò Legionis, & Castellæ, Aragoniæ, & Navarræ, ac Portugalliæ, Hispaniæ principibus, & militibus generosis, & eorum victoriis gloriosis, & acquisitionibus famosis, à primaria Hispaniæ populatione, deducendo à creatione mundi nationum historias generales usque ad Regem nostrum Adephonsum, qui in Regem Romanorum electus fuit, & illustrem Infantem Sancium, filium ejus majorem, qui jam eidem incipit conregnare, in libro nostro* De mundi ætatibus, & De viris illustribus, *fuit dictum. Et ideo pertransseuntes bellicosum Hispaniæ potentatum, ad alia Hispaniæ præconia calamum convertamus*. Hæc ille. Quibus manifestè ostenditur molis majoris hoc esse *De ætatibus* commentarium, & quò conjecit locupletiores historiæ opes. Alibi enim ait, de capta à Mauris Hispania per occasionem loquutus, *sicut tetigi sufficienter in lib.* De ætatibus.

17. *Historia naturalis, Ecclesiastica, & civilis*. Ita vocat Wadingus, & Ægidius Gonzalez Davila [f]. Saltem ex eodem Ægidio constat *De naturali & civili*, ad quas se se refert. Tract. 6. jam laudati *De præconiis Hispaniæ* operis, de Carthagine ait: *de qua sufficienter dictum fuit in libro nostro* De historia natu-

f In Theatro Ecclesiæ Zamorensis.

naturali. Alibi quoque in fine ejusdem tractatus sexti libros suos citat *De historia civili*. Nescio an diversum sit opus.

18. *Indices historiarum per literas alphabeti*. quorum mentionem facit epistola quædam à me visa D. Thomæ Tamaji, viri clarissimi, ad D. Balthassarem Sandovalium Moscosum S. R. E. Cardinalem, Episcopum tum temporis Giennensem, atque immortali memoria dignum. Planè ita confusè de his Ægidii operibus apud varios refertur, ut curiosam diligentium hominum sitim potiùs accendant quàm extinguant. Quidam *Chronicon* laudant, quidam *Historiam*, quidam hosce *Indices historiæ verbales*. A quibus æquè nescimus an diversa opera sint, an superiorum alicujus fragmenta, quæ sequuntur,

19. *Vita S. Nicolai martyris*, sive *Vita S. Leonardi*, & *utriusque Nicolai*, *Bletisse*, *sive Ledesmæ oppidi martyrum*. Quam se vidisse refert Ægidius Gundisalvi Davila in *Theatro Ecclesiæ Salmantinæ* g, meminitque Hieronymus Romanus de la Higuera in Notis ad Luitprandi Chronicon h. Item

g Tomo 3. Theatr. Eccl. Hisp. pag. 247.
h Ad ann. DCCXLVIII. pag. 406.

20. *De corporis S. Ildephonsi revelatione in Ecclesia Zamorensi*. Cujus operis librum primus alicubi laudat D. Thomas Tamajus de Vargas, recordaturque Stephanus Garibajus lib. 12. cap. 1. in fine. Itemque

21. *Adversaria*, quæ apud se descripta habet D. Gaspar Ivañez de Segobia Marchio Acropolitanus Matriti, quæ, quum hæc scribimus tam longè positi, de eorum argumento consulere vix potuimus.

22. *Liber* quoque *proprietatum* Ægidii Zamorensis fuit in Olivariensi bibliotheca MS. in membranis, & antiquâ notâ, in folio.

23. *Summam* quoque laudat, ut vidimus, Joannes de Turre-cremata parte 6. cap. 32.

24. *Antiguedades de España* Lusitanâ linguâ scripta eum reliquisse, unde hausit is, quæ de legatione Hispanorum ad Alexandrum Magnum destinara in historiam retulit, Florianus Docampus monet lib. 3. *Chronici generalis Hispaniæ* cap. 32. Vereor autem ne sit pars operis illius *De præconiis Hispaniæ*, aut alterius *De ætatibus*, ex Latino in Lusitanam linguam translata. Immo

25. *De casibus conscientiæ* librum Ægidio quoque adscribit Ægidius Gonzalez Davila in *Theatro Ecclesiæ Zamorensis* i. Nisi hæc *Summa* sit, de qua monuimus.

i Tomo 2. Theatr. Eccles. pag. 390.

26. Minimè tamen in Zamorensibus Ægidii lucubrationum voluminibus reperientur, quæ à novioribus nonnullis Higueræ dicto audientibus huic nostro tribuuntur, *Additiones ad Juliani Petri Chronicon*: quarum mentio fit apud Thomam Tamajum in *præfatione* ad librum suum vulgaris linguæ, *Novitatum antiquarum*; ex quibus, uti suspicor, fragmentum est à D. Laurentio Ramirezio adductum k pro confirmando Pseudo-Luitprandi asserto de Toletana cathedra, quâ sedit virgo parens sanctissima, cùm ad S. Ildephonsum descendit. Certè is, qui *Conchæ urbis historiam* publicavit, has additiones eitat part. 1. cap. 11. quemadmodum & P. Portocarrerus in libro suo *De descensione Deiparæ Virginis Mariæ ad Ecclesiam Toletanam* vernaculo. Nullus autem eorum de his additionibus vidit novitve aliud quàm quod idem Hieronymus de la Higuera Patri Portocarrero, ejusdem instituti Societatis, affirmavit. Cujus rei testem habeo laudatum paullò antè Thomam Tamajum in epistola memorata ad Eminentissimum Cardinalem Sandovalium; à quo interrogatus, vidissetne Ægidii Zamorensis ad Julianum Notas, negavit utique; adjungens, valdè se de his dubitare, eo quòd earum notitia derivaverit à Patre Higuera l. *Qui* (inquit) *quantumvis vir admodum religiosus; pruritum patiebatur scripta quæque novitatum pro veris & fide dignis offerendi*. Quæ Tamaji verba consonant iis, quæ in Notis ad Luitprandi Chronicon de eodem Higuera, ejusque hac levitate, præposteroque de historia judicio, consignata manere voluit.

k Ad annum DCLXVIII. pag. 348.
l Verba Hispana: *que aunque fue muy religioso, fue tentado de autorizar papeles de novedades*.

27. Robusta valetudine vixisse Ægidium ad provectam adeò ætatem, ut quamvis pleraque volumina, tam historiarum, quàm sapientialium scripserit, nec literas jam cognosceret, nec sciret se esse qui libros illos ediderit, Abulensis Episcopus magnus Alphonsus Tostatus prodit m. Hæc nos de Joanne Ægidio annotare habuimus, dum alius uberiore omnium ejus operum notitiâ, aut, quod æquius esset, editione, doctissimi viri famæ consulat.

m Tomo 2 in *Josue* cap 25. & in 1. *Reg* cap 3. qua ß. 2. ut Wadingus refert.

28. Anno hujus sæculi quarto Assisii in Umbria provincia in comitiis ordinis Minorum generalibus electum scimus in Generalem Ministrum F. GUNDISALVUM DE VALLEBONA (quod vernaculè VALBOA libenter interpretamur) Gallæcum natalibus, quem tamen Henricus Villottus n, atque ei adhærens Possevinus o, Ulyssipponensem in Portugallia credidere. Sed Lucas Wadingus, strenuus, siquis alius, Franciscanarum rerum vindex, quem nihil ferè latuit, quo illustrari & constare sibi possent Minoriticæ antiquitates, pro Gallæca stat Gundisalvi patria, tam in *Annalibus* p, quàm in *De scriptoribus ordinis Minorum* commentario. Unde hęc sunt quæ de eo intimamus; Sancti Jacobi provinciæ alumnum eum fuisse, & Castellæ præfectum, Assisiique electum Ministrum Generalem decimum quintum; Concilio Viennensi anno sæculi undecimo interfuisse; egregiè ordinem rexisse, & sapienter reformâsse, virum solidè pium & prudentem, scripsisseque

n In *Athenis Ord. Minor.*
o In *Apparatu*.
p Ad ann. MCCCIV. nu. 13. & MCCCV. nu. 13. MCCCVII. nu. 1. MCCCX. num. 6. & p. MCCCXI. nu. 1. MCCCXIII. num. 1. & 2.

29. Tractatum *De præceptis eminentibus regulæ*, &

30. *De æquipollentibus*. quæ habentur in *Enchiridio Minorum* Hispali typis edito anno MDXXXV. *Summam seu epilogum omnium, quæ in regula continentur*. Hos vocat libros Ludov. Miranda in expositione ejusdem. Obiit Parisiis anno MCDXIII. Majus est omni laude elogium de eo Alvari Pelagii, viri minimè assentatoris, sed integerrimi, & adamussim religiosæ vitæ exacti, lib. 2. *De planctu Ecclesię* cap. 33. dum de magistris agit. *Fateor autem me* (ait) *nunquam magistrum vidisse, in quantum ut homo scire potui, maximè in*

in S. Theologia, & maximè religiosum mendicantem, humilem, patientem, pauperem, oratorem, despectum mundo, mortificatum, nec pœnitentiam agentem, nec verum magistrum Christum in virtutibus sectantem, nec propterea magisterium appetisse, nisi magistrum Gonsalvum Sac. Theologiæ professorem Hispanum, Gener. Ministrum, ordinis fratrum Minorum, qui me Assisii recepit ad ordinem. Aliud ejusdem Pelagii datum ei earundem virtutum testimonium vide sis lib. 2. cap. 67. quod Wadingus exscripsit ad annum MCCCIV. num. 33.

31. Vitam cum morte commutâsse anno ejusdem sæculi duodecimo, aut circiter, ARNALDUS VILLA-NOVANUS creditur, quem Galli nobis competunt. Pro Gallica quidem patria stare videtur, quòd ibi operam literis dedit, Parisiis egit, & in Gallia se scribere *De regimine sanitatis* librum ejus cap. 20. ostendit. *De piscibus* (ait) *qui sunt in usu in bis partibus Galliæ*. Gallicarum item fœminarum sæpè meminit ejusdem libri cap. 2. & in Galliis scribere se frequenter significat [q]. Provincialem quoque se esse innuere videtur, dum ad Robertum Neapolis Regem, Provinciæque Comitem *De conservanda juventute* librum dirigens, *qui ex innatæ* (inquit) *fidelitatis devotione pro salute vestra meritò semper oro*. Provincialem appellat item Joannes Villanus, qui eodem sæculo scripsit obiitque, *Historiæ* suæ *universalis* lib. 9. cap. 3. S. Antoninus *Historiæ* tit. 21. cap. 2. §. 8. Paulus Langius in *Chronico Cuizensi* cum aliis, nuperque Paullus Colomesius vir eruditus, suffragium, in re licèt ambigua, nimis animosè tulit in *Gallia* sua *orientali*, sive Gallorum, qui linguas orientales calluerunt, Vitis [r], oppidum Villa-novanum in Gallia Narbonensi Arnaldo patriam adscribens. In quo Symphorianum Campegium viæ ducem sequutus fuit, qui in Arnaldi Vita eundem cum Colomesio annum, atque idem oppidum origini ejus præscribere non minoribus contendit animis. Vereor tamen ne in natalis loci, æquè ac in natalis anni, designatione uterque à via veri exorbitaverit, qui trecentesimo natum, quadragenario hujus sæculi eum obiisse ajunt; quem evidentissimè, ut paullò postea dicemus, constat hujusmet duodecimo ad plures jam abiisse. Gallum quoque disertè vocat Joannes Antonius Lindanus [s], ex Paschalis Justi *Chronologia medicorum*; ipse tamen parum sibi constans, sive editionum adhærens titulis, dum Arnoldum Catalanum ab hoc diversum laudat *Regularum curationis morborum* auctorem. quod opus Villa-novani esse nemo ignorat.

32. Hispanum autem nos haud minus idoneis auctoribus Arnaldum asserimus. Durandus de S. Porciano Dominicanus Meldensis Episcopus [t], anno MCCCXXVI. creatus, libro *De visione divinæ essentiæ ante diem judicii*, quem Joanni XXII. Papæ obtulit, *Fuit dictum* (inquit) *magistro Arnaldo Catalano, qui volebat præfigere tempus Anti-Christi, magister Arnalde, si vultis prudenter dicere, adsignetis tantùm tempus adventûs Christi*. Fuit autem Durandus hic natus in Galliæ oppido *Sancto Porciano*, vulgò *S. Porcain*, Arvernensis diœcesis, sive Claromontanæ, uti docet post alios vir clarissimus Henricus Valesius in *Galliarum notitia* [u]. Quæ Arvernorum provincia non ita semota est à Provincia propriè dicta, unde Arnaldum processisse aliis placuit, ut ignotum esse posset de viro famosissimo, in Gallia eum scilicet natum, homini ejusdem ævi, Gallo, & Arvernensi. Bernardus item de Lutzemburgo eorundem Durandi & Arnaldi æqualis, in *Catalogo hæreticorum* [x]: *Arnaldus* (ait) *de Villa-nova in partibus Cataloniæ magnus medicus*, &c. Eodem loquendi genere utitur Nicolaus Eymericus Dominicanus, Aragonensis, qui de Arnaldi erroribus ad Archiepiscopum Tarraconensem detulit, in *Directorio Inquisitorum*, eodem quoque seculo in lucem edito, part. 2. quæst. 28. Joannes Picus Mirandulanus, ingeniorum Phœnix, qui an. MCDXCIII. vità functus fuit, in *De rerum prænotione* lib. 5. cap. 10. *Arnoldus* (inquit) *Hispanus ex astrologica vanitate, aliisque compluribus, nobis Anti-Christum comminabatur anno gratiæ MCCCXIV.* &c. Quibus de nostro agi mox patebit.

33. Ferè eodem tempore, quo Picus florebat, nempe anno MCDLXXX. editus fuit Arnaldi liber *Regimen sanitatis* dictus, cum *Catalani* cognomento, quam quidem editionem vidimus nos in bibliotheca Colonæa Hispalensis Ecclesiæ, cum admonitione, *correctam eam noviter exire per Montis-pessulanos doctores*. Absque tamen loci notatione. Quemadmodum, & sequenti sæculo ejusdem *Regulæ universales curationis morborum*, cum aliis, Basileæ MDLXV. teste Lindano *De scriptis medicis* in *Arnaldo Catalano*. Sequuntur Gabriel Prateolus [y], Abrahamus Bzovius [z], quamvis Villanum per errorem rei auctorem laudans, Henricus Spondanus [a], ipse tamen non dissimulans alios repugnare, & Provincialem credere, ut & Gesnerus fecit in *Bibliotheca*. Et tamen Symphorianus Campegius Gallicis partibus addictus in *Vita Arnaldi* hanc opinionem nullos habere auctores pronunciare ausus fuit.

34. Recentiores conveniunt nostri, sed inter se divisi. Quidam enim è regno Valentiæ, & oppido ejus *Liria*, oriundum asserunt; Hieronymus scilicet Paullus, quantumvis ipse Catalanus, & Petrus Joannes Nunnesius, viri magni, quos laudat, vix tamen sequitur, Gaspar Escolanus Valentinus, historiæ suæ hujus regni lib. 3. cap. 18. Catalanis frequentior favet calculus. Et sunt utique in provincia ista plura oppida *Villa-nova* nuncupata, unde juxta consuetudinem nuncupari Arnaldus posset, in Ruscinonensi nempe comitatu duo, in Ceritania unum, in Confluente unum, in Catalonia propria, sive Barcinonensi Comitatu haud minus quatuordecim, ut videre est apud Andream Boschum in operis Catalanæ linguæ vernaculi *De titulis honoris Cataloniæ, Ruscinoni, & Ceritaniæ* lib. 1. cap. 19. 20. & 21. Cùm vix in Gallia tota hujusce appellationis locum invenire in *Galliæ descriptione* diligentissimi viri Henrici Valesii potuerimus.

[q] *De regim. sanitatis* cap. 20.

[r] Pag. 2. edit. Hage-comitis MDCLXV.

[s] *De scriptis medicis* verbo *Arnaldus de Villa-nova*.

[t] San-Marthani in *Gallia Christ.* tomo 3. Verbo, *Meldenses Episc.*

[u] Pag. 41.

[x] Verbo *Arnaldus*.

[y] *In Elencho omn. hæresum.* Verbo *Arnaldus*.

[z] *In Annal. Eccles.* ad ann. MCCCX. num. 14.

[a] *In Contin. Annal. Baronii* anno MCCCIX. §. 3.

35. Nec minimè pertinet quòd ad Aragoniæ Regem (Jacobum II. intelligo) *Regigimen* quoddam *sanitatis* direxerit, ab eodemque ad Clementem V. Papam destinatus venerit, ut jam notabimus; necnon & Parisios clam relinquens, non ad alium quàm ad Fridericum Aragonensem, laudati Jacobi fratrem, confugerit; quod synopsis statim subjicienda rerum ejus gestarum ostendet. Nec de fidelitate id quod ad Robertum Regem enunciavit eatenus valet, ut eam intelligere, quâ Regi subditus, non verò eam debeamus, quâ quilibet ei principi, cujus servitio sese dicavit, obstrictus est. Meminisse quoque eum Galliarum, atque hujus regni mulierum, indicat potiùs se ibi degere, quàm in ea ortum fuisse. Maximè cùm de Hispaniæ rebus, præcipuè medicis, non minùs frequenter, & in specie in libro *De venenis*, mentionem faciat. Planè adduci utrimque non spernenda argumenta visum fuit iis, qui rem in medio relinquere maluerunt [b]. Nempe Arnaldo nostro idem contigit quod S. Raymundo de Penna-forti Barcinonensi, de quo hæc habet Labbeus in Dissertatione historica *De scriptor. Eccles. Henricus Gandavensis natione* (ait) *Provincialem vocat, cùm fuerit Catalanus: quod ex illius temporis consuctudine profectum pauci nôrunt*. Hæc ille. Sed de patria satis.

36. Coluit Arnaldus feliciffimo, quo floruit, ingenio, non modò philosophiam, & medicam artem, quibus præcipuè censeri voluit, sed & sacram theologiam, variisque linguis imbutum animum gessit. Hebraïcæ enim, Arabicæ, Græcæque doctrinæ specimina ejus opera ostendunt. Parisiis dicitur ac Monte-Pessulano dedisse operam his disciplinis; & naturæ arcanorum indagationi plurimum vacâsse, adeò ut in ea (quod Campegius ait) *altius post ætatem suam penetraverit nemo*. Multum per Europam peregrinatus fuit, multorum vidit & mores & urbes, magno discendi atque docendi compendio. Italiam, Gallias, Hispanias peragravit; Græciam quoque meditatus. Magistrum in medicina suum Joannem Casamidam frequentiffimè laudat, sæpiùs tacito nomine, sed in capite *Breviarii practicæ* expresso.

37. Mira in eo & singularis fuit styli, barbariem inter & eloquentiam, ut idem ait, medii, claritas, & in commentando mentis aciei ad res ipsas intentio, ut omnem aliam scribendi rectè ac distinctè curam negligeret. Nec ad ea redire quæ scripsisset, cùm præcipuè hebeti laboraret videndi sensu, facilè tolerabat. Cujusmodi sunt nonnulli homines præsenti adeò ingenio & parabili, ut omnes ejus vires, veluti primo impetu, exhauriant, nihil ultrà, si ea resumerent quæ semel effuderunt, præstaturi. Ejus famâ permoti, Gallias, ubi profitebatur, medicorum filii confluere cœperunt; qui priùs aliò quovis, Galli etiam ipsi, veluti ad mercatum hujusce artis pergebant.

38. Post professionem, ut credimus, in patriam rediit. Cataloniam intelligimus. Barcinone enim medicinam faciebat circa præteriti sæculi annum octogesimum quintum, quo Petrus Magnus Aragonensium ac Siciliæ Rex in vivis esse desiit. Inde enim evocatus ad Petrum fatali morbo in itinere Tarraconem versus occupatum in historicis hujusce Regis monumentis refertur [c]. Fuisse eum in curia Romana, sive ea sit Roma urbs, sive Avenio, ubi Pontifices illius temporis sedem suam fixerant, scriptum nobis reliquit Joannes Andreæ in additionibus ad Durandi *Speculum* paullò pòst laudandis. Anno hujus sæculi nono ad Clementem Papam V. ivit Jacobi Aragoniæ Regis legatus, ut de Hierosolymitano regno cum eo ageret, ut in *Historia universitatis Parisiensis* Cæsar Egasius Bulæus auctor annotavit [d]. Parisiis cùm degeret circa annum MCCCX. scripsit *De judicii die* libellum, ex astrologicis observationibus contendens id adventurum anno septuagesimo sexto hujus decimi quarti sæculi. Ob quam rem, aliaque minùs rectè dicta, in religionis caussa, cùm & magnus audiret theologus, inde clam ausugiens, ne apud Inquisitores respondere cogeretur, Siciliam ad Fredericum Regem, tanquam ad asylum, se contulit, & apud eum vixit, donec non ita diu postea missus ab eo ad Clementem V. tunc temporis sacrorum protomystam Avenione commorantem, in mari diem suum obiit: quod Joannes Villanus [e], & S. Antoninus [f], aliique [g] referunt; non aliud, ut existimo, quàm naturalem significantes vitæ finem. Quare huc è via reducendus est Raynaldus, sive is qui notulas affixit *continuationis Baronianorum Annalium* magno operi [h], dum fluctibus periisse Arnaldum ait.

39. Meminit certè cum elogio ejus non vulgari Clemens ipse, datis ad universos per orbem Episcopos circularibus, ut vocant, literis; quibus admonitos de ejus obitu, suoque de viri medicinâ præstantiffimi defectu justo dolore, jubet diligentiffimè, ac censurarum etiam indicto celantibus fulmine, ubique perquirere Arnaldi librum quendam *De re medica* sibi ab eo olim promissum, eumque repertum, Oliverio clerico, cui has partes Clemens injunxerat, in manus consignare. Vidit literas Odericus Raynaldus in tabulario Pontificio [i]. Genuæ autem servari ejus cadaver, in Jo. Imperialis *Virorum illustrium elogiis* observatum invenimus; uti & referunt alii, è quibus Paschalis Justus in *Chronologia medicorum*.

40. Magnum philosophum atque medicum omnes omnium ætatum scriptores, qui de eo agunt, constantiffimè agnoscunt; sed & *magnum theologum* addunt, nisi quòd fædissimos quosdam errores adversus veram theologiam &; summa religionis admisit capita, quorum disertam notitiam non modò Nicolaus Eymericus [k], sed & alii [l] suis literarum monumentis consignaverunt. Vix tamen est, ut non resipuerit is, quem destinatum ad Clementem Papam catholicus Rex voluit, & cui per viam extincto, eâ, quàm diximus, laudis & honoris significa-

b Gesnerus in *Bibliotheca*, Quenited. *De patriis illustr. virorum* pag. 63. Bulæus in *Hist. universit. Parif.* tomo 4. pag. 120. Spondanus in *Annal. continuat.* anno MCCCIX. §. 5.

c Surita lib. 4 cap. 73. Escolanus *Hist. Valent.* lib. 1. cap. 18.

d Tomo 4. pag. 120.

e Ubi suprà.

f Ubi suprà.

g Raynald. to. 15. ad ann. MCCCX. num. 39 Bulæus in *Hist. universit. Parif.* loco citato.

h Ubi proximè.

i Ubi proximè.

k *Directorii* par. 2. qu. 10. & quæst. 28.

l Bzovius in *Ann.* tomo 14. ad ann. MCCCX. nu. 14. Bulæus ubi suprà pag. 121. Prateolus in *Elencho hæresum*, Verbo *Arnaldus*.

tione idem Pontifex veluti parentavit. Quare maledicentiæ notam vix effugere Bzovius poterit, quum de Arnaldo his verbis agere haud veritus fuit m: *Professione medicum vocans, exercitio alchimistam, consortio dæmonum exsecrabilem*. Quare autem id? *A quorum doctus præstigiis* (inquit) *ostendebat se posse laminas æreas in aureas commutare*. Joannes Mariana paullò benigniùs Arnaldum excepit, nec alchimiam exprobravit lib. 19. cap. 9. in fine, majoris famæ quàm laudis virum appellans, *cùm nobile ingenium, eruditionem maximam, pravis superstitionibus, pravisque de religione opinionibus fœdare visus sit. Quo nomine aliquantò post ab Inquisitoribus ignominiâ notatus est* (Aragonensibus, ut intelligo) *librique, quos magno numero ediderat, reprobati. Ex humano semine quibusdam in vase medicamentis hominis corpus efformâsse qui affirmet, auctorem habeo, vero an mendacio disputare non est necesse*. Hæc Mariana.

m Ubi proximè.

41 Circa enim chimicæ artis veritatem, & hunc ejus effectum, quem doctissimi omnium ætatum homines, naturalem, quantumvis rarissimum, credidere, minimè debuit Bzovius tam acri & effrænato judicio adversus Arnaldum invehi, quem in curia sibi notum Joannes Andreæ jurisconsultus in additionibus jam laudatis ad Speculatorem hoc elogio commendatum voluit, postquam hujus artis chimicæ innocentiam æquè commendâsset: *Plus nostris* (ait) *diebus habuimus magistrum Arnaldum de Villa-nova in curia Romana, summum medicum & theologum, de quo scripsi* De observatione jejunii *consilium, qui etiam magnus alchimista, virgulas auri, quas faciebat, consentiebat omni probationi submitti*. Cujus fidei hac in re Oldradus, abbas Panhormitanus, Baldus, Joannes Platenus, aliique jurisconsulti crediderunt, ut Hermannus Conringius, inquit, multis experimentorum auctoritatumque argumentis pro fide Arnaldi & hujus artis eruditè, ut solet, productis, in *De Hermetica & Paracelsica medicina* cap. 27.

42. Et putásne eam, quam novit Bzovius, hoc sæculo, quo vivimus, pseudophilosophicæ, atque adeò scelestæ ac dæmoniacæ, Arnaldi doctrinæ infamiam, æqualibus ejus, & in his summo Ecclesiæ Pastori, occultam adeò fuisse, ut nuper fato functi, uti diximus, famam ejus, & nomen, scriptaque, non in privatis colloquiis, sed sparsis per orbem Christianum ejusdem Clementis Papæ literis, laudari & approbari potuisse credamus homini non optimè in hujusmodi censendi licentia vulgo audienti? Raymundus certè Lullus, quem omnia chimica theatra crepant, rei magistrum se Arnaldum habuisse non dissimulat. *Ea* (inquit alicubi n) *accepi: & habui à serenissimo Rege Roberto* (Neapolis) *sub secreto sigillo, quæ quidem experimenta ipse habuerat à peritissimo Arnoldo de Villa-nova, qui meritò fons scientiæ vocari debet, quia in omnibus scientiis præ cæteris hominibus floruit*. Bernardus Trivisanus ridebat olim libros Raymundi & Arnaldi *De arte chimica*, quos ajebat o potiùs à recta via seducere, quàm ad scopum dirigere lectores ejus cupidos: & tamen idem postea post varios errores in viam se reductum lectione operum Raymundi, multoque magis Arnaldi, professus fuit p.

n In præfat. totius operis.

o Alchimiæ parte 1.

p Parte 1.

43. Quicquid autem in transmutando metallorum doctrina meruerit noster, in iis certè quæ ad medicinam pertinent, omnium ore q doctissimus audit; eaque remediorum ad sananda ægra corpora usus differentiâ, & efficaciâ, ut velut Apollo alter fuerit ætatis suæ vulgò habitus, quomodo Joannes Michaël Savonarola, decimi quinti, hoc est sequentis, sæculi scriptor in libello *De arte conficiendi aquam-vitæ* loquitur.

q Zerom lib. 1. [illegible]

44. Errores ejus in re theologica planè abominamur, si ejus verè fuerunt; quos detestatum fuisse eum, aut suspicionem utique de se habitam non indiligenter purgâsse, facilè credimus, opinioni Clementis Papæ de eo post mortem quoque habitæ non injuriâ deferentes. Nisi contendatur ex adverso, non ante annum MCCCXVII. hos errores animadversos fuisse atque damnatos; quod ex Eymerico Raynaldus docet Annalista ad hunc annum §. 62. Planè quòd Bonifacius VIII. Gallorum Regi exosus, quemdam librum ab Arnaldo compositum, & à theologis Parisiensibus reprobatum combustumque revocaverit & approbaverit, inter capita, quibus prædictum Bonifacium publico & solenni judicio Parisiis habito Galli Pontifices, & proceres Philippi Regis voluntati obnoxii premebant, instrumentum ipsum accusationis continet, quod *Historiæ Universitatis Parisiensis* auctor primus produxit r. Sed verius est Arnaldum, dum viveret, erroribus suis solenniter renunciâsse, cujus rei instrumentum Avenione anno MDXCIV. repertum prodit Raynaldus. Ad quod respexit Joannes Mariana ubi proximè.

r Tomo 4. pag. 40.

45. Adversus errores jam dictos circa annum MCD. Petrus Maza & Sancius de Besaran Dominicani Aragoniæ provinciæ scripsisse dicuntur, Francisco Diago auctore in historiæ ejusdem provinciæ lib. 2. Improbatur etiam, quod suprà monuimus, temerè atque, ut putant, impiè annunciati peculiari libello ex prænotionibus astrologicis ultimi judicii diei; qui fuit reprobatus, Antonino teste s, & quasi hæreticus reputatus; atque ipso transcursu temporis falsi & vani convictus t. In hac tamen arrogantia è cœlo quærendi tempora & momenta plures comites Arnaldus habuit, qui stellarum cursus, concursusque tantummodo contemplantes, finem sæculi, quem Deus voluntati suæ reservavit, constituere ausi sunt. Exempla referunt Hieronymus Vielmius u, Martinus Antonius Delrius x, Thomasque Malvenda y; nec fraudi aut culpæ fuit sanctissimo viro Vincentio Ferrerio Valentino in concionibus suis, præcipueque in epistola quadam ad Benedictum Papam XIII. data, asserere Antichristi jam suo tempore adventus [illegible] nativitas, ex Scripturarum testimoniis, signis datis, & revelationibus sibi vel aliis factis, ab eoque non planè intellectis, ut Sanctus Antoninus ait z: videri

s Ubi suprà.

t Villanus, & Paullus Langius suprà laudati, Raynald. ad ann. MCCCX. num. 19. Imperialis in elogio.

u De sex diebus cond. orbis lect. 6.

x Comm. ad Senecæ Octaviam p. 386

y De Antichristo libro 2. cap. 29.

z Histor. 3. parte titul. 23. cap. 8. § 1.

videri meretur idem Thomas Malvenda de re agens [a], sed jam ad Arnaldi opera.

a Ejusdem lib. 2. cap. 30.

46. Exstant quidem ea primùm, ut existimare pronum est, collectim data Lugduni in folio an. MDIV. cum præfatione Thomę Murchii Genuensis, quam Gesnerus affert de Arnaldo loquens in *Bibliotheca*. Sequitur Parisiensis editio anni MDIX. cum inscriptione *Medicorum operum*, quæ servatur in Colonæa bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ. Triplicata fuit Venetiis anno MDXIV. in folio, sub titulo *Medicorum & chimicorum operum*, necnon & secundò Lugduni apud Guilielmum Huyon MDXX. Sed ultimam similiter inscriptam in manibus habemus cum annotationibus ad quosdam libros Hieronymi Taurelli Montbelgardensis, in Altorphiana schola professoris medici, Basileæ apud Petrum Pernam anno MDLXXXV. quam nunc describimus.

47. Constat hæc editio duobus voluminibus, quorum primum continet

I. *Speculum introductionum medicinalium*.

II. *Aphorismos de ingeniis nocivis, curativis, & præservativis morborum, speciales partes corporis respicientes*. Ubi Taurellus notat, esse aliquos aphorismos aliunde huc insertos, scilicet ab ejusdem auctoris parte operativa; quæ sequitur,

III. *De parte operativa*. In hoc opusculo magicas ligaturas naturę viribus adscripsisse Arnaldum, eoque magis superstitioni deditum, quàm naturę gnarum, monuit Conringius cap. 27. laudato [b].

b Pag. 181.

IV. *De humido radicali* duos tractatus.

V. *De conceptione*.

VI. *De simplicibus*.

VII. *Antidotarium*.

VIII. *De phlebotomia*. Lugdun. cum aliis aliorum MDXVII.

IX. *De dosibus theriacalibus*.

X. *Librum aphorismorum De graduationibus medicinarum per artem compositarum*.

48. XI. *De vinis*. nescio ad quem Regem, cujus in exordio recordatur, directum. *Spiritus vini dotes* (ait Conringius [c]) *per Arnoldum maximè innotuisse primùm Europæ videntur, si ejus est libellus de vinis*. Germanicè hic liber à Guilielmo Hirnkofen versus, ac Viennæ editus fuit anno MDXXXII. in 4°. *Bibliotheca medica*.

c Dict. cap. 27. pag. 181.

XII. *De aquis medicinalibus*.

XIII. *De conferentibus & nocentibus principalibus membris nostri corporis*.

XIV. *De ligaturis*. hoc est, ut in limine libri ait, *De incantatione, de adjuratione, & colli suspensione*, epistolam è Gręco, ut ait, translatam.

XV. *Expositiones visionum, quæ fiunt in somniis, ad utilitatem medicorum non modicam*.

XVI. *De diversis intentionibus medicorum*.

49. XVII. *De regimine sanitatis*. Hunc librum, paucis mutatis, plagio sibi adscripsit Magninus quidam Mediolanensis, uti referunt auctor *Bibliothecæ medicæ*, item Lindanus *De scriptis medicis*, in *Magnino*, & Vincentius Placcius *De libris anonymis & pseudonymis* [d]. Ab hoc diversus est liber, & quidem brevior,

d Pag. 221.

XVIII. *Regimen sanitatis* dictus, & ad Regem Aragonum (Jacobum II. scilicet) directus, uti habet inscriptio. Planè sive hic, sive proximè laudatus, liber prodiit seorsum cum aliis Venetiis ex officina Bernardini de Vitalibus MDLXXX. in 4°. Manu exaratus servatur in Ambrosiana bibliotheca. Hispanam quoque interpretationem, quam fecit ex Latino codice antiquissimo Hieronymus de Mondragon Barcinone MDCVI. in 8°. typis commissam vidimus.

XIX. *De regimine castra sequentium* brevissimam lucubrationem.

XX. *De conservanda juventute, & retardanda senectute*. Ad Robertum Neapolis Regem. Editus fuit Venetiis cum *Regimine sanitatis* MDLXXX. in 4°. Italicè quoque versus, ibidem typis Erasmi Valgrisii MDL. in 8°.

50. XXI. *De bonitate memoriæ*.

XXII. *De coitu*.

XXIII. *Considerationes operis medicinæ*. sive, ut ait auctor, *exempl[a]riter de phlebotomia*. ad Groscinum Coloniensem.

XXIV. *Medicationis parabolas secundùm instinctum veritatis æternæ, quæ dicuntur à medicis regulæ generales curationis morborum*. Ad honorem scilicet Philippi Gallorum Regis scriptas, ut habetur in MS. codice Veneto, qui fuit Francisci Petrarchę [e].

e Biblioth. Venet. pag. 16.

XXV. *Tabulas, quæ medicum informant, specialiter, cùm ignoratur ægritudo*.

51. XXVI. *Breviarium practicæ à capite usque ad plantam pedis, cum capitulo generali de urinis, & tractatu de omnibus febribus, peste, empiala, & liparia*. quatuor libris. quibus, & signa, & caussas, & curationes omnium ęgritudinum comprehendit, ut ipse in proœmio ait, Joannem Casamidam pręceptorem suum laudans, & curationes ejus præcipuè commendans. *Praxim medicinalem*. Arnaldi editam Lugduni MDLXXXVI. in folio, ex *Breviario* isto, & aliis ejus, constare suspicamur.

XXVII. *Practicam summariam, seu Regimen*.

XXVIII. *De cautelis medicorum*.

XXIX. *De modo præparandi cibos & potus infirmorum in ægritudine acuta*. Laudat in limine magistrum suum P. de Mussadi.

XXX. *Compendium regimenti acutorum*. MS. inter libros Francisci Petrarchæ Venetiis [f].

f Biblioth. Veneta pag. 16.

52. XXXI. *Regulas generales de febribus*.

XXXII. *Regimen sive consilium quartanæ*.

XXXIII. *Consilium sive curationem febris hecticæ*.

XXXIV. *Consilium, sive regimen podagræ*, cum aliis, scilicet *De ligno vitæ*, *De oleo & vino antimonii*, *De facultatibus gemmarum, coralli, & spiritûs vini*, *ac de peste*. Argentinæ apud Bernardum Jovinū MDLXXVI. in 8°. MS. inter Petrarchę qui fuere libros Venetiis [g].

g Bibl. Veneta pag. 16.

XXXV. *De sterilitate tam ex parte viri quàm ex parte mulieris*.

XXXVI. *De signis leprosorum*.

XXXVII. *De amore heroïco*. Ad amicum quen-

quendam petentem ejus explicationem, quem *vehementem & assiduam cogitationem supra rem desideratam* deffinit, *cum confidentia obtinendi delectabile apprehensum ex ea*.

XXXVIII. *Remedia contra maleficia*.

53. XXXIX. *De venenis*.

XL. *De arte cognoscendi venena, quum quis proponit ea alicui ministrare*.

XLI. *Contra calculum*.

XLII. *Regimen curativum & præservativum contra catarrhum*.

XLIII. *De tremore cordis*.

XLIV. *De epilepsia*.

XLV. *De esu carnium pro sustentatione ordinis Cartusiensis contra Jacobitas* (Dominicanos intelligo, qui in Galliis *Les Jacobins* appellantur) qui nempe contendebant constitutionem Cartusianorum, languentibus, in extrema etiam necessitate carnium esum prohibentem, irrationabilem esse, & naturali legi contrariam.

XLVI. *Receptam electuarii mirabilis præservantis ab epidemia, & comportantis mineram omnium virtutum*.

XLVII. *De ornatu mulierum*.

XLVIII. *De decoratione*.

XLIX. *Explicationem super eamonem Hippocratis* 1. *Aphorismorum*. Vita brevis, ars verò longa &c.

L. *Expositionem super aphorismum Hippocratis*: In morbis minus periclitantur ægrotantes &c.

LI. *Commentum super libello de mala complexione diversa, cum textu Galeni*.

LII. *Quæstiones super eodem libro*.

54. LIII. *Commentum super regimen Salernitanum*, aliàs *medicinam Salernitanam*; *idest conservandæ bonæ valetudinis præcepta cum luculenta & succincta Arn. Villa-novani in singula capita exegesi, per Joannem Curionem primùm, deinde per Jacobum Crellium recognita & repurgata*. Pisis primùm, ut credere est, ann. MCDLXXXIV. in 4°. deinde frequenter editam; nempe Franco-furti apud Egenolphum MDLVII. apud Joannem Saurium MDCXII. in 12°. Franco-furti apud Steinmejerum MDCXXVIII. in 16°. Antuerpiæ apud Joan. Withagium MDLXII. in 16°. Lugduni apud Joan. Lertout MDLXXVII. in 16°. Parisiis apud Hieronymum de Marnes MDLXXX. in 12°. quas omnes editiones laudat Joannes Antonius Lindanus: sed nos adjicimus his Monspeliensem Francisci Chovet MDCXXII. in 16°. & Roterodamensem, ex Zachariæ Sylvii recensione, Arnoldi de Laërs MDCLVII. in 16°. cum aliis argumenti non dissimilis. *Scholæ Salernitanæ* nomine celebratur liber hic metricus celebratissimus, ad Robertum Normanniæ Ducem regnique Anglicani hæredem directus ab schola ipsa, cùm proprium nomen suum auctor reticuerit, qui Joannes Mediolanus fuisse perhibetur, notante Joan. Georgio Schenkio in *Bibliotheca medica*, & recentiùs eo Renato Moreau, doctore medico Parisiensi eruditissimo, qui ad suam *Scholæ* hujus *Salernitanæ* editionem animadversionibus propriis illustratam, non modò Joanni Mediolano hanc laudem non invidet, verùm & Villa-novanum ingenuè ac prudenter à calumnia Schenkii tueri conatur, à quo is traducitur, quod verum auctoris nomen, dum *Scholam* cum Notis edidit, invidiâ motus occultaverit. Incipit:

Anglorum Regi scribit schola tota Salerni,
Si vis incolumem, si vis te reddere sanum, &c.

55. Secundum volumen continet chimica:

Thesaurum thesaurorum, & rosarium philosophorum, ac omnium secretorum maximum secretum de verissima compositione naturalis philosophiæ, quâ omne diminutum reducetur ad solificum & lunificum verum. Adamus à Bodenstein Germanus, Andreæ Carolstadii filius, medicus Basileensis, *Isagogem* dedit *paraphrasticam* in hoc *Rosarium chimicum*, ut ait *Bibliothecæ medicæ* auctor. Exstat *Rosarium* hocce cum *Veræ alchimiæ* aliquot scriptoribus à Guilielmo Gratarolo collectis Basileæ apud Henric. Petri MDLXI. in folio, tomo 2. pag. 35. simulque est *Novum lumen*, de quo mox, pag. 60. epistola super alchimia pag. 65. *Lumen luminum* pag. 67. *Practica ex Breviario alchimiæ* pag. 73. è quibus duo posteriores libri exhibentur tertio volumine *Theatri chimici* Argentorati editi apud Lazarum Zetznerum MDCXIII. in 8°. *Nova opera chimica* Arnaldi, videlicet *Thesaurum*, *Lumen novum*, *Florem florum*, & *Speculum alchimiæ* edidit Hieronymus Megiserus Franco-furti apud hæredes ejus MDCII. in 8°. *Thesaurus philosophorum* MS. est Patavii apud Hectorem Trivisanum Nicolai nepotem, Thomasino teste in *Bibliotheca Patavina* pag. 113. Sed editionem nostram continuamus.

56. II. Librum, qui dicitur *Novum lumen*, sive ejusdem argumenti *secundum de lapide philosophorum*, ad quendam directum, quem *patrem & dominum reverendum* vocat, aitque in fine, se non vidisse alium nisi magistrum suum, quem non nominat, *qui in debita* (inquit) *materia opus suum applicaret*.

III. *Sigilla duodecim pro totidem cœlestibus signis*.

quæ addidit Taurellus in hac editione: quæ superstitiosa videntur.

IV. *Magisterium*, *& gaudium*, *ad inclytum Regem Aragonum*, *quod quidem est* Flos florum, *thesaurus omnium incomparabilis*, *& margarita* &c.

V. *Epistolam super alchimiam ad Regem Neapolitanum*. Accedunt

VI. *Capitula astrologiæ de judiciis infirmitatum secundum motum planetarum*.

VII. *Thesaurus sive Rosarium, Flos florum*, & duo ad Reges Aragoniæ & Neapolis opuscula, prodierunt cum aliis in *Artis auriferæ*, quam *Chimiam* vocant, editione Basileensi apud Conradum Valdkirchium MDCX. in 8°.

57. Hucusque pertingunt editiones Arnaldi operum, sed & alia seorsum veniunt eidem tributa, nempe

I. *De febribus* liber exstat operis Veneti *De febribus* pag. 241.

II. *De sanguine humano epistola ad Jacobum Toletanum*, cujus Conringius meminit

nit *De Hermetica & Paracelsica medicina* cap. 27. [h]

III. *De Anti-Christi adventu* librum, quem suprà diximus [i], quem fortè aliquis existimet eundem esse cum sequenti

58. IV. *De mysterio cymbalorum*, de quo Joannes Franciscus Picus Mirandulæ Comes hæc ait [k]: *Arnoldus Hispanus præter ea quæ de futuro Anti-Christi adventu conjectatus fuerat, revelationem quampiam multarum atque magnarum rerum factam adducit in libro* De mysterio cymbalorum, & adventu Anti-Christi, ad monachos Scalæ-Dei, *quæ centum annos præfixit eventibus. Preteriere ducenti, nec impletam esse prænunciationem constat. Hanc magni fecit revelationem Arnoldus, quoniam ab homine illiterato Latino edita stylo fuerat.* Unde patet ad prognosticationem suam de Anti-Christi adventu Arnaldum, æquè uti Vincentium Ferrerium, revelationibus permotos fuisse. Et quidem librum hunc *De adventu Anti-Christi* cum hac tantùm inscriptione habent MS. satis antiquo charactere PP. Carmelitani S. Mariæ Transpontinæ Romæ. Incipit: *Constitui super vos auditores, speculatores* &c. Sed in codice isto post prædictum opus, quod his absolvitur: *& altero Augustini De civitate Dei*, ponitur seorsum tract. ejusdem *De mysteriis cymbalorum*. Incipit: *Qui interrogent*. Respondetque in eo ad quæsitum sibi factum, quare Ecclesiæ catholicæ mos fuerit in hora matutinorum & vesperorum priùs pulsare cymbalum parvum, postea verò magnum. Sequuntur in eodem codice MS. alia ejusdem, ut credimus, argumenti de adventu Anti-Christi, scilicet *Apologia de versutiis & perversitatibus pseudo-theologorum, & religiosorum, ad magistrum Jacobum Albi canonicum Condignensem*. Item aliæ *responsiones* ad argumenta & oppositiones doctorum Parisiensium. quæ omnia nunquam, ut credimus, edita fuere.

59. V. Dialogus *De rebus Ecclesiasticis, cum Frederico & Jacobo Regibus Aragoniæ & Siciliæ*. Meminit Cæsar Egasius Buleus *Hist. universit. Paris.* volum. 4. [l]

VI. *De urinis tractatus*. Reperiri hunc in codice 435. bibliothecæ Thuaneæ, qui in editionum nulla, nec à Lindano laudatur, admonuit Philippus Labbeus in *Bibliotheca manuscripta* [m]. Sed nos Arnaldi tractatum *De urinis*, & alium *de phlebotomia*, Lugduni editos cum aliorum aliis an. MDXVII. aliunde novimus.

VII. *Testamentum Arnaldi*. Chimicum fortè opus, exstare in Lauredani bibliotheca Venetiis, auctor est Thomasinus in *Bibliotheca Veneta* [n].

VIII. *Medicamina*.

60. IX. *Abbreviatio libri Prognosticorum*, Hippocratis, ut credimus, ubi & *De crisi*. Inter libros Francisci Petrarchæ, nunc apud Fortunatum Ulmum abbatem Casinensem, cùm Thomasinus eandem formaret *Bibliothecam Venetam* [o].

X. *Interpretatio Avicenæ de viribus cordis* in quarto volum. *Avicenæ operum* Venetæ Erasmi Valgrisii anni MDXX. in 8°. editionis exstat.

XI. Liber *De omni genere simplicium medicamentorum*, qui *Aggregator practicus* inscribitur, ex Avicena, Serapione, Pandectario, Plateario, &c. Sed cùm inter alios Arnaldus ipse laudetur, jure hunc ab albo germanorum ejus operum exclusit Gesnerus in *Bibliotheca*, & catalogo scriptorum *De plantis*, ex eoque *Bibliothecæ medicæ* auctor, qui hunc librum Jacobo cuidam de Dondis (hic Aggregator Patavinus nuncupatus) ex conjectura attribuit. Nec alium, & ab eo diversum, credimus *De virtutibus herbarum*, qui laudari solet, librum in 4°. Eâdem notâ castiganda est inscriptio quæ

Librum *Tesoro de pobres* nuncupatum, qui Petri Hispani, seu Joannis Petri, aliàs Joannis Papæ, fuit germana proles, Barcinone editum MDCIV. Arnaldo adscribit.

61. Chimicis operibus, quæ altera editionis nostræ Taurelli pars dedit, adjungimus aliunde.

I. *Lumen luminum*.

II. *Practicam ex Breviario alchimiæ*, quæ duo exstant in *Theatro chimico*, uti jam diximus.

III. *Speculum alchimiæ, carmen, quæstiones tam essentiales quàm accidentales*: quæ exstant ejusdem *Theatri chimici* volum. 4. Edidit quoque Megiserus Franco-furti apud suos hæredes MDCII. in 8°.

IV. *De aqua vitæ simplici*. Incipit: *In humanum corpus*. Exstat Patavii MS. in folio inter libros qui fuere Nicolai Trivisani, uti refert Thomasinus [p].

V. *Phœnix* ejusdem ibidem exstat [q].

VI. *Rosa novella*. Ibidem [r]. *Parabolæ Arnaldi de Villa-nova cum commento Didaci Alvarez Chanca*. Editæ sunt Hispali ann. MDXIV. exstant in bibliotheca Colonæa Hispal. Ecclesiæ; nisi opus sit jam dictum num. 23.

62. At quid est, quòd etiam theologum Arnaldus egerit? legitur sanè in Vaticano codice MS. 5740. rei testis hęc operis, quod continet, epigraphe: *Expositio super Apocalypsi magistri Arnaldi de Villa-nova*. Incipit: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia* &c. In codice etiam 5732. ejus manu qui contenta in quoque volumine summatim in primo illius limine annotavit, scriptum vidimus. Abbatis *Joachimi de Psalterio, De concordia vet. & novi Testamenti. Arnaldi de Villa-nova tractatus de semine Scripturarum. De nomine tetragrammato, & Alphabetum scholasticum. Petrus de Aliaco* &c. De Arnaldo jam satis.

CAPUT II.

RAYMUNDUS DE PONTE *Dominicanus, Valentinus Episcopus*, De sacramentis *libri auctor*. DE MICHAELE DE FRAGA, *ejusque opere quodam*. PETRUS MARSILIUS *historiæ Jacobi Aragoniæ Regis in Latinum interpres*. *De* PETRO DE RIU *Perpinianensi Carmelita, & ejus scriptis, atque item de* ARNALDO DE ROSIGNOL *Valentino, Mercenariorum sodali.*

63. RAYMUNDUS DE PONTE in Aragonię regno, & *Fraga* municipio, uti fama

[h] Pag. 182.
[i] Raynaldus ad an. MCCCX. num. 39.
[k] Lib. 9. De rerum prænotione cap. 5.
[l] Pag. 122.
[m] Parte 4. sect. 6. pag. 30.
[n] Pag. 200.
[o] Vide pag. 56.
[p] In Biblioth. Patav. pag. 131.
[q] Eodem teste pag. 110.
[r] Ibidem.

fama fert, natus inter ævi sui doctissimos, pietateque & virtutibus, gestisque rebus præstantissimos, vulgò existimatur. Planè haud obscura testimonia sunt eximiæ ejus doctrinę ac dignitatis munera & honores, cùm in Hispania, tum apud exteros, ab eo gesti. Nempe Romanæ sedi non tantùm Rotæ, ut vocant, senator, hoc est sacri Palatii Duodecim, vir, sed etiam Marchię Anconitanę exarchus, seu mavis gubernator, constitutus, operâ suam & obsequium probavit. Aragonię Rex (Petrus forsan Magnus) Cancellarium eundem habuit; præsulemque Valentina Ecclesia delegit Kalendis Maji MCCLXXXVIII. Templariorum equitum caussæ cognitio per Aragoniæ regnum eidem cum Eximino de Luna Cęsar-augustano antistite à Clemente Papa & Jacobo Rege simul delata est. Viennensique in Concilium, quod Viennæ Gallorum celebrabatur, unus ex quinque viris exstitit, quorum judicio ac sententiæ de rebus mox gerendis legibusque sanciendis cæteri PP. assentirentur. Obiit tandem in Tarraconensi urbe, dum Provincialis ibi Synodus anno hujus sæculi decimo tertio ageretur, Dominicanorum ante aliquot annos, quod religionis & moris fuit, quin Pontificalis dignitas impedimento esset, sacro instituto addictus.

64. Nullum hodie scriptum ab eo exstat, attamen divulgatum fuit famâ scripsisse eum doctissimum *De sacramentis* librum. Plura de Raymundo scripserunt Dominicani Franciscus Diagus in historia ordinis sui Aragonensis provinciæ lib. I. cap. 8. & ex eo Alphonsus Fernandez *De scriptoribus* ejusdem, Vincentius Blascus Lanuza in ejusdem regni Chronicis tomo I. lib. 5. cap. 31. ac 37. Meminit Hieronymus Surita in *Indicibus Rer. ab Aragoniæ Regibus gestarum* anno MCCCIX. Fontana in *Monumentis Dominicanis* ad ann. MCCCVIII.

65. Hujus Raymundi propinquum & civem Michaelem de Fraga vocatum, ejusdem Dominicanorum instituti, Franciscus Diagus laudat quoque cap. 8. libri I. *Historiæ* hujus *Aragoniæ provinciæ*, atque ab eo scriptum fuisse librum ait *De donationibus factis cœnobio Prędicatorum Valentiæ urbis*.

66. Circa eadem tempora Fr. Petrus Marsilius, ejusdem ordinis Prædicatorum, domûs S. Catharinæ martyris Barcinonensis urbis, in Latinum ex vernacula Provincialium, sive Catalanâ linguâ, convertit historiam, quam *De rebus sui temporis* Jacobus Rex Aragoniæ primus superiore sæculo conscripserat; quam interpretationem minimè vidisse suspicari possumus Bernardinum Gomezium Miedem archidiaconum Saguntinum, & canonicum Ecclesiæ Valentinæ, qui eandem Spartam cùm adornaret, hoc est *De rebus gestis* ejusdem *Jacobi Regis* commentaretur sermone Latino; id haud prætermittere debuit Marsilii operam suæ similem ævo adhuc constare nostro. Quam certè videmus, laudantque, magnus *historiarum Aragonensium* vindex Hieronymus Surita lib. 2. *Annalium* cap. 74. Joannes Dametus in *Historiæ regni Balearis* lib. I. tit. I. §. 2. Franciscus Diago in *Hist. ordinis Prædicat. provinc. Aragoniæ* lib. 2. cap. 29. & 45. Floruisse sub Jacobo II. Rege, qui anno MCCCXXVII. diem suum obiit, disertè monet Surita.

67. Petrus item de Perpiniano, proprio familiæ nomine de Riu (in quo Latinè exprimendo alii Rimi, alii Rimes, verè alii de Rivo proferunt) æqualis horum temporum fuit, sodalis Carmelitarum, ex cœnobio Perpinianensi, cujus præfecturæ munus gessit, S. T. doctor, ingenio & eloquentia sacrarumque literarum studio clarus; quem & Trithemius cum Eisengreinio, Xystus Senensis, & Possevinus, præter domesticos, laudant.

68. Scripsit, Petro Lucio teste in *Bibliotheca Carmelitarum*,

I. *Super Sententiarum* libros IV.
II. *Quæstiones Sententiarum* libris II.
III. *In Psalmos omnes Davidis* lib. I.
IV. *Sermones varios* libro uno.

Vixisseque ait circa ann. sęcularem MCCC. Attamen Eisengreinius ad ann. MCCCXIV. ejus mentionem habet in *catalogo testium veritatis*. Circa patriam Aloïsius Pons Icart Tarraconensium rerum scriptor, in c. 42. a reperire se non nusquam affirmat, tam Petrum hunc, quàm Guidonem de Perpiniano nuncupatos, non ex ea urbe in Ducatu Ruscinonensi fuisse oriundos, sed ex Tarraconensi; exstareque hujus cognominis & stirpis quosdam in hac illius urbe.

a Grandezas de Tarragona.

69. Fr. Arnaldus de Rosignol Valentinus, Mercenariorum domûs Podiensis, Valentini regni sodalis, scripsisse dicitur circa annum MCCCXIV. Commentarium ad cap. *Nunquam. De consecratione* distinct. 5. in Decreto Gratiani, contra otium religiosorum: quem in eodem monasterio adservari nos docuit Illustrissimus Archiepiscopus Hydruntinus Dominus Gabriel Adarzo & Santander, ex eodem ordine assumptus, datis ad me literis ex Hydrunto.

CAPUT III.

De Raymundo Lullo *Majoricensi eremita, atque ejus rerum scriptoribus. Gesta ejus pręcipua, occasio conversionis, illuminatio ad artem formandam, mors à Mauris Africanis illata. Nicolaus Eymericus jurène an injuria ejus errores notaverit, inter partes validè controverti: qui forti alterius fuerint Raymundi de Tarraga nuncupati. Lucas Wadingus laudatur. De Artis Raymundinæ utilitate superiori simile partium dissidium. Prohibitam hanc tanquam novam in Academia Parisiensi. Premi eam doctissimorum hominum judicio, aliorum exaltari. Athanasii Kircheri opera in hac arte posita. Wadingi catalogus Lulli operum repræsentatur, quibusdam adjunctis. Raymundi judicium de ordinibus militaribus in confinio ditionis Maurorum constituendis. De Conceptione B. Mariæ librum Lulli non esse. Petri Alvæ de Raymundo de Centillis ejus auctore non recta conjectatio notatur. De chimicis Lulli operibus queritur, an ejus sint, aut*

aut ei suppositа. Wadingi suffragium de renovanda librorum ejus omnium priùs examinatorum editione. Recensentur plures Raymundi artis sectatores & assertores.

70. FAMA clarus, si quis alius, desinente superiore, atque ineunte hoc, seculis, apud universas Europæ nationes, & ad posteritatis omnem memoriam, RAYMUNDUS LULLUS fuit Majoricensis, tebus pro infidelium conversione opere gestis, & scriptis atque consilio promotis clarissimus, & tandem ab immanibus fidei hostibus Machometanis occisus fuit. In majori Balearium insularum, urbeque Majorica, is natus est, Raymundo altero Lullo parente, qui cum Jacobo Aragoniæ Rege I. hujusce insulæ ac regni debellatore, miles venerat, ibique domicilium fixerat. Raphaël Volaterranus sponte fallitur, dum contra omnes unus *virum Gallicum* vocat initio lib. 37. *Commentar. Urbanor.*

71. Ut abstineamus tamen calamum ab enartandis ejus rebus ordine gestis, in caussa est propositum operis, quod literarum præcipuè merita persequitur; & quòd huic rei operam jam alii navaverint Vitæ Raymundi auctores, Carolus nempe Bovillus Samarobrinas [t], Bonaventura Armengol Baleatis Franciscanus [u], qui Nicolaum de Molinas, & alterum Nicolaum de Paz, eidem curæ ante se incubuisse refert Latinè; Joannes Segui pœnitentiarius & canonicus Majoricensis [x], & Gaspar Escolanus [y], & Vincentius Mut [z] Hispanè; quorum prior se vidisse ait relationem quandam de vita sua Philippo Gallorum Regi postulanti à Raymundo ipso olim datam, quam & penes se habuit (sequutusque fuit Wadingus statim laudandus) N. Colletet Gallicè [a], necnon per partes, ut quoquo anno res ejus occurrebant, ex fide cujusdam anonymi Raymundo æqualis, quem MS. penes se conservare admonuit, quemque in publicum edi ejusdem interesset, Lucas Wadingus in *Annalibus Franciscanis* [b]. Ex quo quædam strictim tangere animus est, si priùs factam (ut Paullum Apostolum imitaretur) sui ipsius modestam à Raymundo descriptionem, ac vitæ veluti synopsin quandam, præmiserimus [c].

72. *Homo* (inquit) *fui in matrimonio copulatus, prolem habui, competenter dives, lascivus & mundanus. Omnia, ut Dei honorem & bonum publicum possem procurare, & sanctam fidem exaltare, libenter dimisi. Arabicum didici, pluries ad prædicandum Sarracenis exivi, propter fidem captus fui, incarceratus, verberatus; quadraginta quinque annis ut Ecclesiæ rectores ad bonum publicum, & Christianos principes movere possem, laboravi. Nunc senex jam, nunc pauper sum, in eodem proposito sum, in eodem usque ad mortem mansurus, si Dominus ipse dabit.* Aliquot jam ejus vitæ momenta subjungemus. Conversionis occasionem scilicet, Artis ab eo inventæ rationem, piarum expeditionum compendium, & tandem mortem, quam ab infidelium furore subiit, antequam ad doctrinam & scripta veniamus.

73. Juvenis nihil minus quàm in via virtutis ambulans, prospicere animæ saluti, sed curiæ addictus Jacobi Balearium insularum Regis Petri, magni Aragoniæ filii, vana quæque atque ludicra sectari, quibus assurgere vulgus, laudemque ac præconium adscribere solet, musicæque, ac poëseos, amorumque, ac deliciarum omnium effræni cupiditate circumagi. Quousque à formosa, quam deperibat, æquè tamen honesta, quod factum prodit, fœmina, ostensâ ei per quæsitam occasionem putridâ in uberibus, quam cooperiebat, plagâ, sic tædio & pœnitentia retroactæ vitæ in alterum hominem transformatus fuit, ut exinde relicto sæculo, vitam spiritualem, & ab omnibus, præterquam à salutis hominum & exaltandæ fidei curis, segregatam sibi præscripserit. Sed illiteratus homo nil minus poterat quàm religionis caussam literarum præsidio & armis propugnare. Cujus impotentiæ sibi conscius, precibus Deum assiduis in quodam eremitorio Majoricensis insulæ, ut mentis ejus tenebras infusionis divinæ radiis ad exsequendum ritè opus illuminare dignaretur, urgere ac deprecari non desinens; antiquo etiam ardentiùs debellandi Machometicam sectam, quo totâ flagravit vitâ, desiderium animitùs concepit, & ut fama est, singulare quoddam instrumentum id opus, & pium quodcumque aliud ejusdem generis promovendi cœlitus accepit, arte sibi monstrata breviter & sine disciplinarum acri & obstinata contentione addiscendi necessaria omnia, atque iis ex tempore utendi; quo doctissimus quisque, post exantlatos quamplurium annorum labores, ægrè vix pervenit, quibus utique rem exsequi, atque piissimo voto suo defungi posset ipse, & ut alii defungerentur, procurare.

74. Scripsisse hanc *Artem* sub lentisci umbra vulgò dicitur, mirumque remansisse majoris rei, quàm ut humanæ vires eò pertingere possent, hoc loco patratæ vestigium, arbusti scilicet folia omnia characteribus linguarum Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, atque Arabicæ inscripta: quod adhuc perdurare iisdem signis, sed ignotæ jam figuræ, succrescentibus in dies omnibus in foliis conspicuum, scriptores optimæ fidei tradunt [d]. Sed de hac Arte postmodum, ubi de ea agemus.

75. Prolixum quidem esset peregrinationes Raymundi omnes, per Europam ferè totam, Asiam, Africam, officiaque apud omnes sibi æquales Pontifices, Nicolaum IV. Cœlestinum V. Bonifacium VIII. Benedictum XI. tandemque Clementem V. in Viennensi Concilio Ecclesiæ totius comitia celebrantem, necnon & Reges Philippum Franciæ, Jacobum Balearium, Carolum Neapolis, assiduè & constanter acta, ut collegia scholasticorum philosophiæ ac theologiæ, simul & linguarum, quibus hostes Christiani nominis utuntur, ut doceri aut convinci cominus possent, ubique instituerentur: quod in Romana curia, Parisiis, Oxoniæ, Bononiæ, atque Salmanticæ fieri jussit, Raymundo, uti ferunt, urgente. Clemens V. *De magistris* edita constitutione, quæ lib. 4. *Clementinarum* exstat;

t Parisiis apud Ascensium anno MDXI. & apud Gononum in *Vitis PP. occidentis.*

u Unà cum *arte* Raymundi MDCXLV. Palmæ Balear. à Gabriele Guasp.

x Majoricæ MDCVI. in 8.

y In *Histor. Valentinæ urbis & regni* lib. 3. cap. 11. & sequentibus.

z In *Histor. Balearica* lib. 2. tit. 1. cap. 1.

a Borello teste in *Bibl. chimica* pag. 63.

b Tomo 2. ann. MCCLXXV. num. 9. & seqq. ann MCCLXXVI. 6 ann. MCCXCII. 98. an. MCCXCIII. 1. ann MCCXCV. 5. & tom 3. an. MCCCVIII. 31. MCCCXII. 8. & MCCCXV. 2. & *De script. ord. Minor.* in *Raymundo Lullo.*

c Ex quodam ejus libro *Disput. Petri clerici, & Raym. Phantastici* exscripsit Wadingus tom. 2. *Annal.* ad d. M. anno MCCXCIII. num. 1.

d Escolanus lib. 3. cap. 11. num. 5. Wadingus ad ann. MCCLXXV. n. 12.

nec-

necnon ut Hierosolymitana expeditio magnis omnium illius temporis Principum animis atque æquis viribus resumeretur.

76. Quod utique postremum præstaturus videri poterat, nisi antiquus ille Christiani proventus hostis tam fœcunda hæc omnia, quadraginta, & ampliùs, ut à Raymundo ipso audivimus, annorum labore improbo jacta, & consota fructuosissimarum & optimarum cogitationum & operarum semina, permittente Deo, dispersisset & corrupisset. Nec defuit Raymundo, ut quod ab aliis fieri satagebat, ipse compleret opere. Quinimmo ad Mauros tandem, unde vivus olim vix evaserat, anno hujus sæculi decimo quinto, constanti & erecto ad ponendam pro Euangelio vitam animo venit, Rugiæque in Africæ ora, dum ecclesiasten palam & hyperaspisten profiteretur Christianum, & Alcorani hostem, conjectus primò in tristissimum carcerem, vinculis & fame, atque verberibus maceratus, demumque inde eductus, festo ipso die SS. Apostolorum Petri & Paulli à furenti populo lapidibus obrutus, semianimis fuit à Genuensibus quibusdam mercatoribus in navim impositus, in qua invictum spiritum Deo reddidit; atque ejus corpus Majoricam, faventibus patriæ Raymundi jurique ejus ad sepulturam ventis, non sponte vectorum, fuit delatum; ubi in cœnobio Franciscanorum, ut verè martyris, religiosè colitur, religionem suadentibus & confirmantibus quampluribus signis, de quibus latè agunt Vitæ auctores.

77. Derogavit sanè non minimum hujus ea virtute ac meritis, & mortis genere clarissimi hominis famæ Nicolaus Eymericus, Dominicanus, Inquisitor provinciç Aragoniç, hujusmet sæculi, narrans in suo *Directorio fidei* [e] sese in Raymundi curiosè perlectis libris plusquam quingenta, quæ exorbitarent à rectæ fidei via, atque hæresibus consentirent, dicta olim notâsse, deque iis Gregorium XI. Pontificem Maximum, qui anno MCCCLXXI. clavum Ecclesiæ navis in manus suscepit, certiorem fecisse. Quiquidem diplomate suo ex Avenione anno hujus sæculi tricesimo sexto ad antistitem Tarraconensem, ejusque suffraganeos directo, lectione Raymundi quorumcumque librorum interdicta, enunciationes illas ad se delatas ex doctorum virorum, quibus examen earum commisisset, sententia damnavit. Exstant apud Eymericum laudatum hæ literæ Pontificiæ non umquam improbatæ, aut hinc decedere jussæ. Quare non solùm is laïcum hominem, phantasticum & imperitum; immo & doctrinæ falsæ, atque à diabolo dictatę, auctorem vocare Raymundum, sed & alii herçsum & hereticorum enarratores, Bernardus Lutzemburgensis, & Gabriel Prateolus, hçreticis eum accensere minimè dubitârunt. Quibus consentiunt Genebrardus & Gualterius chronologi; & Eymerici partes strenuè agens Abrahamus Bzovius in continuatione *Annal. Ecclesiasticorum* [f] multis hominem, ejusque famam lacerat.

78. Quod tamen dedecus atroci injuria illatum nostro Raymundo fuisse, retorquentes in Eymericum calumniç facinus, multis & urgentissimis argumentis confirmant Baleares civis sui, & Franciscani sodalis sui, (fuit enim tertii ordinis laïcorum unus) propugnatores. Alii enim convictum fuisse Eymericum falsi criminis in confingendo Gregorii Papç diplomate, atque eo nomine damnatum anno MCCCLXXXVI. & ab Aragonia ejectum affirmant; deindeque anno MCCCXCV. Avenione sedente Benedicto XIII. iterum accusato ab Antonio Riera presbytero Valentino, eodem Eymerico & comparere jusso, solenni examine comprobatum fuisse, nihil eorun quæ imputabantur Raymundi doctrinæ, in ejus libris uspiam, aut eo sensu quo imputabantur, sed recto quidem & catholico, reperiri. Tertiò tandem, anno MCDXIX. auctoritate domini Alamani Ademari S.R.E. Cardinalis Pisani, ad Regem Aragoniæ Alphonsum V. legati Martiui Pontificis Barcinone tum agentis, & coram Episcopo quodam Castellensi Bernardo actitatam denuò caussam de Raymundi doctrina & fama; sententiamque ab eodem judice pro librorum ab omni censura immunitate, bonoque auctoris nomine, pronunciatam; cunctaque aliàs in contrarium deducta & allegata pro nullis & irritis haberi debere declaratum. Quorum actorum authentica instrumenta Majoricenses in archivo regiæ universitatis domus asservari ajunt. Alia etiam testimonia, præcipueque declarationem Tridentinorum patrum, affert Vincentius Mut, paullò post laudandus.

79. Planè editus anno MDCIV. in eadem urbe Majoricensi typis exstat liber Latinâ priùs, vernaculâ deinde Hispaniæ linguâ scriptus, atque *Sententia diffinitiva in favorem Lullianæ doctrinæ* inscriptus [g], quem Raymundi cives editæ, atque etiam nunc exstanti, Eymericiani *Directorii* accusationi opponi debere, magnumque operæ pretium sese facturos existimaverunt, productis è latebris suis, & in vulgus communicatis, quæ maximo viri celeberrimi famç detrimento in illum usque diem latuerant. Vidisse se ait Wadingus tomo 3. ad annum MCCCXV. num. 11. Antonii Bell-ver, professoris primarii, & canonici Majoricensis, *Apologiam* integro & magno volumine contentam ad Xystum V. Pontificem, & Philippum II. Regem, pro Raymundi asserenda doctrina.

80. Aliis tamen placuit, quin Eymerici prematur existimatio, non Raymundi Lulli hujus, quem laudamus, germana scripta eum accusâsse; sed Raymundo falsò suppositos junioris cujusdam alterius Raymundi, quem *de Tarraga* vocant, sive *Neophytum*, utpote è Judæo conversi, ac Dominicanorum ordini aggregati, hæreticos libros, jussu nimirum Gregorii XI. damnatos, & igne comburi jussos. Qua de re facta duos inter ejusdem appellationis opportuna distinctione, Franciscus Peña, doctissimus Rotę Romanę olim judex, in Notis suis ad Eymerici *Directorium*, atque ex eo alii [h], admonuere. Quæ fine verita-

tis

[e] Parte 2. nu 189. quæst. 9. sub titulo *De Raymundo, & ejus erroribus.*

[f] Ad ann. MCCCLXXII. per plures section. & MCCCLXXII. 14. & ann. MCCCLXXVII. num. 29.

[g] Edita fuit *Saeculo* Latinè unà cum *disp. Raymundi, & Henrici Saracenii* curante Alphonso de Proaza Valentiæ per Joannem Lofredum MDX. 4. Inde Palmæ Balearium per Gabr. Guasp MDCIV. Tandè Hispanè cum vita Raymundi à Joanne Segui scripta Majoricæ MDCVI. in 8.

[h] Gab. Vazquez 1. parte disp. 133. cap. 4. Dermitius Thaddæus in *Nitela Franciscana advers. Bzovium*, ad an. MCCCLXXII. Wadingus ad ann. MCCCXV. 11. Raynaudus *De bonis & malis libris* partic. 1. erot. 10. num. 246. Gaddius *De script. non Eccles.* in *Lullo Raymundo*, Bulęus in *Hist. univ. Paris.* tomo 3. pag. 498. & in *catalogo illustr. Academicorum* ibid. & tomo 4. pag. 439. & iterum in catalogo hujus tomi.

tis præjudicio apta magis videri poterunt, ut illæsus famæ uterque maneat, tam Lullus quàm Eymerichus, hic vir doctus admodum, & ob lucubrationes suas posteritati sic proficuus; ille verò constantissimus erga pietatem & religionem innumerûm ferè operum auctor. Lege sis Francisci Marzal Minoricensis Franciscani *Archiologium vitæ & doctrinæ Lulli*, unà cum *Arte* ejusdem editum Palmę Balearium MDCXLV. in 4°. & latè doctęque nomen bonum Lulli facientem Vincentium Mut in *Historiæ Majoricensi regni* tom.2. lib. 2. cap. 11. & pluribus sequentibus & lib. 8. cap. 6.

81. Apologiam sanè Lulli Hispanicam Joannis Arcei de Herrera servari MS. novimus in Ambrosiana bibliotheca. Joannes item de Riera, Franciscanus, & ipse Majoricensis, edidit *Tractatum, in quo respondet omnibus, quæ hucusque objecta sunt Raymundo*, Palmæ Balearium MDCXXVII. in folio. Strenuè hic caussam egit Romæ ejusdem Raymundi, decessitque ibi in collegio S. Isidori Hibernorum. Laudatur alicubi [l] Lulli Vita eleganti ac terso stylo per Nicolaum Causinum scripta, quam non vidimus, nec laudant scriptores de scriptoribus Societatis, si non alius est à summo hujusce instituti viro. Pendent tamen adhuc alii sententiâ, & utrimque rationibus pressi, quas examinare non aliquod pretium operæ est, illis, neutri caussam adjudicant [k], in quibus laudo sinceritatem, ac rectitudinem judicii, quo Lucas Wadingus in hoc negotio utitur [l].

k Bellarminus cum Labbeo, Miræus in *Script. Eccles.* Bzovius in *Annal.* ad annum Christi MCCCLXXII.

l An. MCCCXV. 22. & 17. & 18. & seqq.

82. Derogat quoque multorum opinioni de mirabili ejus, quam formavit Raymundus, Artis invento, quamplurium aliorum contrà sentientium, & laboriosissimam ejusdem Artis inutilitatem, nullosque tanti promissi dignos fructus Lullistis, quomodo sectatores hujus doctrinæ vocant, regerentium existimatio, dictaque ex animo de iis sententia. Quantumvis enim Lullianam doctrinam, & in primis hanc Artem, multoties fuisse approbatam, ac doceri permissam, sectatores ejus referat; à Parisiensi nempe universitate ann. MCCIX. à Petro Aragonię Rege anno MCCCLXIX. ejusq; successoribus, Martino MCCCXCIX. Alphonso V. Magno MCDXLIX. Ferdinando V. Catholico MDIII. Philippo II. MDXCVII. quæ omnes approbationes, & artem docendi facultates in laudato priùs libello latę pro Raymundo sententię continentur, proferant; mira etiam pręstitisse, & vix humana, hujus Artis beneficio, plures vulgò dicant; Petrus scilicet Daguinus, & Angelus Politianus, qui hujus ope sese de omnibus disputare gloriabatur, Jacobus Faber Stapulensis, Canterii tres fratres, Andreas, Petrus, & Jacobus Frysii, Ferdinandus Cordubensis Hispanus, de quo altera hujus Bibliothecę parte [m] agitur, & iterum infrà agemus, pro eaque omnium nationum homines doctissimi strenuè decertaverint, Julius Pacius Vicentinus jurisconsultus, qui ejus usum veluti renovâsse videtur, Jordanus Brunus Nolanus, Valerius de Valeriis Venetus, Henricus Cornelius Agrippa, & ex una Hispania Petrus Ciruelus, Jaïmus Januarius, Franciscus Marzal, Augustinus Nuñez Delgadillo, Petrus Hieronymus Sancius de Lizarazu, & alii à Vincentio Mut in *Historiæ Balearicæ* jam laudato loco adducti: qui doctè & prudenter de vi & facultate Artis loquitur.

m Sub nomine *Ferdin. Cordub.* tom. 1. pag. 215.

83. Quantumvis, inquam, omnia hęc tueantur inventi hujus meritum; res tamen certa est, Joannis Gersonis testimonio, repudiatam Parisiis hanc doctrinam & prohibitam fuisse. Sed quare repudiatam? Audi sis Gersonis verba [n], quę tamen ex parte magnam ejusdem laudem continent: *Sic nuper actum est Parrhysiis per sacram theologię facultatem adversus illos, qui doctrinam quandam peregrinam Raymundi Lulli conabantur inducere, quæ licet in multis altissima & verissima; quia tamen in aliis discrepat à modo loquendi doctorum sacrorum, & à regulis doctrinalis suæ traditionis, & usitata in scholis; ipsa edicto publico repudiata prohibitaque*. Et alibi [o]: *Alta, vera, & copiosa multa continere* professus; statutum fuisse ait, *ne derelinquentes* (scholastici) *modum doctrinalem sanctorum doctorum per Ecclesiam approbatorum, & qui tentus esset hactenus in sacra theologiæ facultate, transirent ad novam hanc phantasiandi curiositatem*. quomodo Gerson loquitur. Una igitur exceptione novitatis Parisiis laboravit. Quam Aętem non minus laudat, cùm deprimere magis conatur, Hieronymus Cardanus lib. 15. *De subtilitate*. *Tertium genus* (ait) *inutilis subtilitatis in Raymundi Lulli libris spectare licet. Res prorsus risu digna, omnem velle tradere doctrinam, nullum nôsse; sed tamen, ut diligentiùs consideravimus, non prorsus contemnenda inventio visa est, siquidem totam unam artem, utpote medicinam, duodecim ad summum chartis tradere licet*.

n In epist. ad Bartholomæum Cartusianum tom. 1. ejus oper. fol. 98.

o *De examine doctrinarum* 2. parte consider. 1 eodem tomo fol. 103.

84. Vulgò etiam improbant, difficultatis, obscuritatis, nulliusque usus nomine, Joannes Mariana lib. 15. *De rebus Hispaniæ* cap. 4. *præstigia oculorum, ludibriaque potiùs artium, quàm veras artes*, ex quorundam censione appellans. Sphinge opus esse ad Raymundi artem Raphaël credebat Volaterranus [p], qui subjungit obscuriora adhuc alia reliquisse, *quæ in sanctuariis Parisiorum asservari ferunt*. Jacobus item Gaddius, nostri temporis criticus eruditione ac judicio non vulgari, *De scriptoribus non Ecclesiasticis* agens [q], pluribus urget hanc Artem, longiorique alibique tempore opus haberi ait ad comprehendendam Lulli Artem, quàm ad totam Thomę, aut Bonaventuræ, aut Alesii, aut Durandi theologiam. Cornelius & ipse Agrippa, qui commentaria in hanc Artem dedit *De incertitudine & vanitate scientiarum* cap. 9. eandem, inquit, *ad pompam ingenii, & doctrinæ ostentationem potiùs quàm ad comparandam eruditionem valere, ac longè plus habere audaciæ quàm efficaciæ; esseque totam ineruditam ac barbaram, nisi elegantiori quadam literatura adornetur*.

p Lib. 35. *Comment. Urban.* in principio.

q Parte 1. lit. L. in *Lullo Raymundo*.

85. Laudo semper Wadingi judicium in cordatè censendo de hac Arte [r]. Aliis tamen virum hunc grandi præconio adornantibus, *illuminati* sanè *doctoris* appellatio vulgaris

r Tomo 5. ad an. MCCCXV. num. 11. & 12.

adeò facta est, ut jam eâ usus sit Ferdinandus V. Aragoniæ Rex, *Divum* quoque nuncupans in privilegio doctrinæ ejus concesso [s]. Necnon & Alphonsus Magnus, ejusdem Ferdinandi patruus, Rex sapientissimus, *doctorem egregium, mirandarum artium & scientiæ auctorem* vocans [t]. Recenter magis Hieronymus Surita *magnum* appellat *inventorem docendi novam philosophiæ artem, disciplinarumque liberalium divinarumque literarum per novas revelationes atque mysteria* lib.8. *Annal. Aragoniæ* cap.1. *Excellentis ingenii philosophum* Papirius Massonus in Vita Bonifacii VIII. Pontificis vocat. Durant etiamnum hujus Artis professores stipendio publico exhibiti Majoricæ, & forsan Barcinone; Gallisque pluribus chara esse dicitur, exindeque pretiosos haurire thesauros, ut ait Wadingus [u], qui addit, Ivonem Parisiensem Cappuccinum ex Raymundi principiis duo magna volumina, quæ *Digestum sapientiæ* vocat, nõ ita diu concinnasse. In Germania etiam multos esse hujus doctrinæ admiratores ac sectatores Hottingerus fatetur [x]. Cujus & *Clavim* Joannes Henricus Alstedius Strasburgi olim ediderat anno MDCXXXIII. in 8°. Nuperque vir eruditissimus Athanasius Kircherus, noster Romæ amicus, examinatâ seriùs quàm vulgò solet, Lulliana Arte, ut Ferdinandi Cæsaris III. quæsito satisfaceret, approbavit eam, quinimmo & commendavit, adjunctâ ad faciliorem & locupletiorem ejus usum combinatoria arte, sive *Arte magna sciendi*, quam dicavit Augustissimo Leopoldo Cæsari, typis Amstelodamensibus anni MDCLXIX. in folio editam.

86. Sed jam tempus est, doctrinæ formâ quomodocumque adumbratâ, in opera hujus descendere; quorum à Luca Wadingo in *Scriptoribus Minorum*, & priùs ab Alphonso de Proaza adornatum catalogum, quantumvis prolixum, in classes tamen curiosè distributum, hîc repræsentare satiùs duximus, quàm novum nunc excudere, aut pleniorem eum quærere, quem habere se ex bibliotheca Escurialensi regia testatus olim fuit Petrus de Alva in *Militia Conceptionis* [y]. Annectemus ei tamen opportunè quicquid aliunde in notitiam nobis venit.

s In dicto opere *brev. desfinitiva* &c.

t Ibidem.

u *De script. ord. Minorum.*

x *Hist. Ecclesf.* 3. parte cap. 14. sect. 1. pag. 701.

y Verbo *Raym. Lullus.*

ARTIUM GENERALIUM LIBRI.

87. I. *Ars generalis*. Incipit: *Ars generalis*.

II. *Ars brevis*, quæ est imago artis, quæ dicitur *Ars generalis*, sive *magna*, scripta anno MCCCVII. impressa variis locis. Incipit: *Ratio quare facimus istam artem*. Hæc Wadingus. Lugduni hæc prodiit ex officina Jacobi Marechal cum *Arte generali*, & Argentorati cum Raymundi operibus, quæ ad adinventam ab ipso *Artem universalem* &c. pertinent, MDCIX. in 8°. sumptibus Lazari Zetzneri.

III. *Ars generalis ultima*. incepta Lugduni MCCCV. & finita Pisis in monasterio S. Dominici MCCCVIII. impressa Lugduni apud Jacobum Marechal MDXVII. variisque in locis, & ultimò Majoricæ apud hæredes Gasparis Guasp, correcta & distinctiùs divisa per Fratrem Franciscum Marzal anno MDCXLV. Incipit: *Quoniam multas artes fecimus* &c. Exstat & in laudata editione Argentoratensi Zetzneri. Monet auctor in fine, ad hoc ut faciliùs addiscatur hæc *Ars magna*, debere addisci prædictam *Artem brevem*, quæ est imago *Artis* hujus *generalis*, ut ipse ait. Hispanicè exstat: *Arte general de Raymundo Lullo para todas ciencias*. Matriti MDXLVIII. in 8°.

88. IV. *Ars demonstrativa veritatis*. Parisiis scripta anno MCCCIX. Incipit: *Quoniam hæc ars demonstrativa*.

V. *Ars* altera *demonstrativa veritatis*. Incipit: *Finalis quidam*.

VI. *Compendium artis demonstrativæ*. Incipit: *Quoniam omnis*.

VII. *Lectura super artem demonstrativam*, sive liber *Chaos*. Incipit: *Quoniam Deus multum est accolibilis*. Alius habetur liber huic similis, cujus titulus est: *Chaos magnum*. Lullista aliquis scripsit: *Introductorium ad artem demonstrativam*. Quod incipit: *Introductoria artis demonstrativæ* &c. in quo citatur Lullus.

89. VIII. *Liber correlativorum innatorum*. scriptus Parisiis MCCCIX. Valentiæque editus curâ Alphonsi Proaza apud Gregorium Costilla MDXII. Incipit: *Quoniam ignoratis*.

IX. *Ars inventiva veritatis*. Incipit: *Ars præsens ab arte demonstrativa descendit*. Nuncupata hæc magno illi viro ac Toletano præsuli D. Francisco Ximenio prodiit Valentiæ MDXV. cum privilegiis regiis pro Lulliana doctrina.

X. *Tabula generalis ad omnes scientias applicabilis*. Incepta in portu Tunisi xv. Septembris MCCXCII. & finita in civitate Neapoli MCCXCIII. in octava Epiphaniæ. Incipit: *Ratio quare ista tabula*.

XI. *Ars expositiva, seu lectura super artem inventivam, & tabulam generalem*. Incipit: *Ars ista modum sequitur & doctrinam artis inventivæ*. Prædicti tres ultimi libri Valentiæ prodierunt anno MDXV. correcti ab Alphonso Proaza, & Francisco Cardinali Ximenio dicati, ex officina Didaci Gumiel, Valentiæ.

XII. *Ars compendiosa inveniendi veritatem*. Incipit: *A. Ponimus*.

XIII. *Ars* alia *compendiosa*. Incipit: *Hæc ars compendiosa*.

XIV. *Ars inquirendi particularia in universalibus*. Incipit: *Cùm apud nos*.

90. XV. *Liber propositionum secundum artem demonstrativam compilatus*. Incipit: *Ab arte demonstrativa*.

XVI. *Liber De ascensu & descensu intellectûs*. Incipit: *Quoniam sunt aliqui homines*. Scriptus in Monte-Pessulano anno MCCCIV. Valentiæ editus Alphonsi Proazæ curâ per Gregorium à Costilla MDXIX.

XVII. *Ars penultima*. Incipit: *Quoniam scimus istam*.

XVIII. *Ars scientiæ generalis*. Incipit: *Ars sive scientia*.

XIX. *Lectura* alia *super artem inventivam*

vum veritatis. Incipit: *Circa quod*.
XX. *De conditionibus artis inventivæ*. Incipit: *Quoniam Deus*.
XXI. *Liber De declaratione scientiæ inventivæ*. Incipit: *Primò ad inveniendum*.
XXII. *Practica brevis super artem brevem, sive super tabulam generalem*. Incipit: *Est autem hæc*.
XXIII. *Liber De experientia realitatis artis*. Incipit: *Quoniam experimentum*.
XXIV. *Liber De mistione principiorum*.
91. XXV. *Liber De formatione tabularum*.
XXVI. *Lectura super tabulam generalem*. Incipit: *Cum theorica*.
XXVII. *Practica brevis super eandem*. Incipit: *Alphabetum*.
XXVIII. *Lectura super tertiam figuram tabulæ generalis*. Incipit: *Dividitur hæc lectura*.
XXIX. *Liber facilis scientiæ*. Incipit: *Manifestum est*.
XXX. *De quæstionibus super eo motis*. Incipit: *Quoniam liber facilis scientiæ*.
XXXI. *Liber de significatione*. Incipit: *Significatio est ens*.
XXXII. *Liber magnus demonstrationis, seu brancha artis inventivæ veritatis*. Incipit: *Quoniam humanus intellectus*.
XXXIII. *Liber De lumine*. Incipit: *Quoniam intellectus est valdè*. Ms. exstat in Ecclesia Hispalensi in 4°.
XXXIV. *Liber De inquisitione veri & boni in omni materia*. Incipit: *Scientia veri & boni*.
92. XXXV. *Liber de punctis transcendentibus*.
XXXVI. *Ars intellectûs*. Incipit: *Quidam homo*.
XXXVII. *De modo naturali intelligendi in omni scientia*.
XXXVIII. *De inventione intellectûs*.
XXXIX. *De refugio intellectûs*.
XL. *Ars voluntatis*. Incipit: *Cùm Deus*.
XLI. *Ars amativa boni*. Incipit: *Ad recognoscendum*.
XLII. *Ars* alia *amativa*. Incipit: *Ad cognoscendum*.
XLIII. *Ars* alia *amativa*. Incipit: *Deus benedictus*.
XLIV. *Ars memorativa*. Incipit: *Per quandam sylvam*.
XLV. *De quæstionibus super ea motis*.
XLVI. *Ars* alia *memorativa*. Incipit: *Hic est necessarium*.
93. XLVII. *De principio, medio, & fine*.
XLVIII. *De differentia, concordantia, & contrarietate*. Incipit: *Sensuale est*.
XLIX. *De æqualitate, majoritate, & minoritate*.
L. *De fine & majoritate*. Incipit: *Quoniam quicquid*.
LI. *Ars consilii*. Incipit: *Cùm sit hoc quod consilium*.
LII. *Liber* alius *de consilio*. Incipit: *Quidam homo*.
LIII. *Liber De excusatione Raymundi*. Incipit: *Dominus Deus humilis*.
LIV. *Liber ad intelligendum doctores antiquos*.
94. LV. *Ars infusa*.
LVI. *Art de fer y soltar questions*. Vernaculâ linguâ. quod sonat, *Ars faciendi & solvendi quæstiones*.
LVII. *Fundamentum artis generalis*.
LVIII. *Supplicatio Raymundi ad Parisienses*.
LIX. *Liber ad memoriam confirmandam*. scriptus Pisis in conventu S. Dominici. Incipit: *Ratio quare*.
LX. *Liber de potentia, objecto, & actu* Incipit: *Cùm plures homines*.
LXI. *Ars generalis rhitmica*. scripta Majoricę mense Martio MCCC. vernaculâ linguâ. Incipit: *Deus gloriòs per &c.*

95. Edita exstant simul *Raymundi Lullii opera ea, quæ ad inventam ab ipso Artem universalem scientiarum artiumque omnium brevi compendio, summaque memoria apprehendendarum, locupletissimaque vel oratione ex tempore pertractandarum pertinet, ut & in eandem quorundam interpretum scripti commentarii*. Argentinæ sumptibus Lazari Queztneri anno MDCXVII. in 8°. prodierunt.

LIBRI GRAMMATICÆ ET RHETORICÆ.

96. LXII. *Ars grammaticæ speculativæ completissima*.
LXIII. *Ars grammaticæ brevis*.
LXIV. *Ars rhetoricæ*. Incipit: *Cùm verbum*. Has novit Wadingus. Nos verò adjungimus
LXV. *Rhetoricen* Lulli, quam edidit Remigius Rufus Candidus Aquitanus precibus Bernardi Lavinhetæ Raymundi studiosissimi, ut mox dicemus; mireque commendavit in pręmissa epistola. Exstat in editione Argentoratensi, quam diximus, Zetzneri [a]. In- a Pag.178.
cipit: *Ex tenebris lux ipsa emergit*, nuncupaturque in titulo liber *Alchimia verborum*, ab aliquo forsam sciolo. Lulli rhetoricam Parisiis editam anno MDCXXXVIII. in 4°. sicuti & *in Rhetoricam isagogen* ejusdem prodiisse ex Ascensiana Parisiensi anno MDXV. in 4°. alicubi legimus.

LIBRI LOGICALES.

97. LXVI. *Liber qui vocatur* Logica de Grozell. versu vulgari. Incipit: *Deus per fer à nos honrament*.
LXVII. *Logica parva*. Incipit: *Logica est ars & scientia*. Edita primùm Compluti ab Arnaldo Guilielmo Brocar MDXVIII. illustrata deinde cõmentariis Antonii Belver Majoricę à Gabriele Guasp MDLXXXIV.
LXVIII. *Logica nova*, absoluta Genevæ MCCCIII. & Valentię edita à Gregorio Costilla, curante Alphonso Proaza MDXIX. Incipit: *Considerantes veterem & antiquam logicam*. Pręter has vidimus
98. LXIX. *Dialecticam seu logicam novam*, quam à superiore distinguimus, quòd hęc

hęc incipiat : *Logica est ars qua verum* &c. quam in editione Argentoratensi toties laudata exstantem Bernardus Lavinheta emendâsse, restitutis iis, quę olim fuerant sublata, dicitur.

LXX. *Liber De novo modo demonstrandi*. Incipit : *Quare dicitur*.

LXXI. *Liber de fallaciis*. Incipit : *Per istas fallacias possunt convenire theologi*.

LXXII. *Logica* alia *de quinque arboribus*.

LXXIII. *Liber De subjecto & prædicato*.

99. LXXIV. *Liber De conversione subjecti, & prædicati per medium*. Incipit: *Quoniam opiniones*. Ita est in editione quam laudavimus Zetzneri a, non, *Quoniam apponentes*, ut apud Wadingum.

a Pag. 166.

LXXV. *Liber De syllogismis*. Idem fortè cum eo qui sequitur,

LXXVI. *Liber De modo naturali & syllogistico, quo concluditur necessariò & naturaliter prædicatum esse in subjecto*. Incipit : *Quoniam omnes quà sumus*.

LXXVII. *Liber De affirmatione & negatione & caussis earum*. Incipit : *Quoniam omnia sunt*.

LXXVIII. *Liber de quinque prædicabilibus & decem prædicamentis*. Incipit : *Quoniam quinque prædicabilia*.

LXXIX. *Liber de novis fallaciis*. Incipit: *Quoniam intellectus humanus*.

LXXX. *Liber, qui dicitur Fallacia Raymundi*. Incipit : *Quedam affirmatio*.

LIBRI PHILOSOPHICI.

100. LXXXI. *Liber lamentationis duodecim principiorum philosophiæ contra Averroïstas*. Scriptus Parisiis mense Februario ann. MCCCX. dedicatusque Philippo Francorum Regi. Incipit: *Principum illustrissimo*. In editione Argentoratensi Zetzneri b, sic inscribitur : *Duodecim principia philosophiæ, quæ & lamentatio seu expostulatio philosophiæ contra Averroïstas, & Physica ejusdem Raymundi, dici possint*. Ms. est in bibliotheca Patavina, quę fuit Nicolai Trevisani, Thomasino teste c.

b Pag. 112.

c Pag. 121. Biblioth. Patavina.

LXXXII. *Liber de principiis philosophię*. Scriptus Majoricæ MCCC. Incipit: *Cùm philosophia sit effectus primæ caussæ*.

LXXXIII. *Liber de ponderositate & levitate elementorum*. Incipit : *Ad requisitionem medicorum*.

101. LXXXIV. *Liber de anima rationali*, absolutus Romæ MCCXCIV. atq; editus Compluti per Guilielmum Brocar ann. MDXIX. Incipit: *Quoniam anima rationalis*. Tractatus Raymundi *De anima* est MS. Venetiis, apud magnam domum Minor. Conventualium. Thomassinus in *Bibliothecæ Venetæ* pag. 109.

LXXXV. *Liber de reprobatione errorum Averroïs*. Incipit : *Cùm Christianos fideles*.

LXXXVI. *Liber contra ponentes æternitatem mundi*.

102. LXXXVII. *Liber de quæstionibus super librum de anima rationali motis*. Incipit: *Utrum anima*.

LXXXVIII. *Liber de actibus potentiarum animæ æqualibus*. Incipit : *Utrum beatitudo*.

LXXXIX. *Liber de anima vegetativa & sensitiva*.

XC. *Physica nova*. Incipit: *Cùm aggredi*.

XCI. *De natura*.

XCII. *Ars philosophiæ*. Incipit : *Cùm natura sit*.

XCIII. *De consequentiis philosophiæ*. Incipit: *Cùm philosophia*.

XCIV. *Liber de generatione & corruptione*.

103. XCV. *Liber de graduatione elementorum*.

XCVI. *Liber super figura elementari*. Incipit : *Elementa sunt quatuor*.

XCVII. *Liber de qualitatibus, proprietatibus, & effectibus elementorum*.

XCVIII. *Liber de olfactu*. Incipit : *Ad inquirendum sensum*.

XCIX. *Liber de possibili & impossibili*. Incipit: *Quoniam philosophantes*.

C. *Ars compendiosa principiorum philosophiæ secundum artem demonstrativam in duas partes divisa*. Incipit : *Cùm intendamus artem valdè compendiosè componere*.

CI. *Liber de intensitate & extensitate*.

LIBRI METAPHYSICI.

104. CII. *Metaphysica nova*. Incipit : *Quoniam quidem intellectus*.

CIII. *Liber de ente reali & rationis*. Incipit: *Quoniam intellectus*.

CIV. *De proprietatibus rerum*.

CV. *Liber de homine*. Incipit: *Cùm sit dicens*. Ms. Venetiis in magna domo Conventualium, teste Thomasino in *Bibliotheca Veneta* d.

d Pag. 109.

CVI. *Liber de magnitudine & parvitate hominis*. Incipit: *O bone Deus !*

LIBRI VARIARUM ARTIUM.

105. CVII. *Ars politica*.

CVIII. *Liber militiæ secularis*. Incipit: *Ad significandum septem*.

CIX. *Liber de militia clericali*. aliàs, *De clericis*. Incipit: *Liber iste*.

CX. *Ars de cavalleria*. vernaculè, ut credo.

CXI. *Tractatus de astronomia*. absolutus Parisiis MCCXCVIII. Incipit : *Cùm plures sint homines*.

CXII. *Ars astrologiæ*. Incipit : *Cùm plures homines*.

CXIII. *Liber de planetis*.

106. CXIV. *Geometria nova*. Incipit : *Quoniam brevis intentio*.

CXV. *Geometria magna*. Incipit : *Quoniam multum est*.

CXVI. *De quadrangulatura & triangulatura circuli*. aliàs appellatus *liber de circulis*. Incipit : *Ad investigandum*.

CXVII. *Ars cognoscendi Deum per gratiam*. Vernaculè. Incipit: *Deus es aquell ens*.

CXVIII.

CXVIII. *Ars arithmetica.*
CXIX. *Ars divina.*

LIBRI MEDICINÆ.

107. CXX. *Ars de principiis & gradibus medicinæ*. Incipit: *Quoniam omnis ars habet sua principia*.

CXXI *Liber de regionibus infirmitatis & sanitatis*. Scriptus in Monte-pessulano anno MCCCIII. Incipit: *Quoniam multùm est difficilis scientia*.

CXXII. *Liber de arte medicinæ compendiosa*. Incipit: *Ars ista hac intentione compilata est*. Continet hunc codex Vaticatus MS. 5902. & Urbinatensis 1083.

108. CXXIII. *Liber de pulsibus & urinis*.

CXXIV. *Liber de aquis & oleis*. Incipit: *Ego Raymundus*.

CXXV. *Liber De medicina theorica & practica*.

CXXVI. *Liber De instrumento intellectûs in medicina*.

LIBRI JURIS.

109. CXXVII. *Ars utriusque juris*. Scriptus in Monte-pessulano mense Januarii MCCCVII. Clemente V. Pontifice. Incipit: *Quoniam scientia est longa*.

CXXVIII. *Ars juris particularis*. Incipit: *Quoniam vita hominis*.

CXXIX. *Ars principiorum juris*. Incipit: *Præsens ars*.

CXXX. *Ars De jure*. Incipit: *Quoniam scientia juris*.

LIBRI SPIRITUALES ET CONTEMPLATIONIS.

110. CXXXI. *Liber natalis pueri Jesu*. Scriptus Parisiis ann. MCCCX. Philippoque Francorum Regi dicatus. Incipit: *Da Domine in te credentibus*. Editus fuit Parisiis apud Guidonem Mercatorem anno MCDXCIX.

CXXXII. *Liber de decem modis contemplandi Deum*. Incipit: *Ad honorem Dei contendere volumus*.

CXXXIII. *Liber de raptu*.

CXXXIV. *Liber contemplationis, quæ fit in Deo*. Incipit: *Summe Deus*.

111. CXXXV. *Liber Blancherna, tractans de quinque statibus personarum, de uxoratis, religiosis, prælatis, Cardinalibus, & Pontificibus*. Translatus est in linguam Valentinam, & demum impressus Valentiæ per Franciscum Jofredum anno MDXXI. Hæc de libro isto Wadingus. Præmittitur huic editioni, quam vidimus, epistola Joannis Bonlabii Catalani ex oppido *Roca-fort de Queralt*, qui forsan interpretatus ipse librum fuit ex Latino. Vulgaris titulus hic: *Blanquerna que tracta de finch estaments de persones, de matrimoni, de religiò, de prælatura, de Apostolical senyoria, la qual es en lo Pare Sant, y en los Cardenals, y del stat de vida hermitana contemplativa, debax los quals tots son contenguts: ordenat per lo illuminat dotor y martyr maestre Ramon Lull, traduit y corregit ara novament del primer original, y estampat en llengua Valenciana, ab lo libre de oracions e contemplacions del inteniment en Deu, fet per lo matex dotor*.

112. CXXXVI. *Liber De orationibus & contemplationibus intellectûs*. Simul, uti diximus, typis editus Valentinâ linguâ ann. MDXXII. Incipit: *En la ignorancia*.

CXXXVII. *Liber De meditationibus totius anni, aliàs de amico & amato*. Incipit: *Interrogavit amicus suum amatum*. Parisiis editus MDV. Prodiit etiam Rhotomagi cum annotationibus Martialis Cenomanensis tertii ordinis S. Francisci.

CXXXVIII. *Liber De laudibus B. Virginis Mariæ*. qui dicitur *Ars inventionum*. Parisiis editus per Guidonem Mercatorem MCDXCIX. Incipit: *Quæstiones, diffinitiones, laudes*. Hæc Wadingus. Sed errore editum fuit *Ars inventionum*, cùm *intentionum* sit legendum. Editio hæc anni MCDXCIX. typis Joannis Parvi confecta, continet etiam *Clericum* & *Phantasticum*, de quibus postea. Jacobus Faber Stapulensis editionem procuravit, & procemium addidit, quo se ait multum in lectione horum operum proficere.

113. CXXXIX. *Liber appellatus, Clericus, sive, pro clericis*. Scriptus an. MCCCXI. seu veriùs MCCCVIII. simul cum præcedenti editus. Quibus adjungimus, illaudatum à Wadingo,

CXL. *Phantasticum*. scriptum anno MCCCXI. ut ibi dicitur.

CXLI. *Liber De confessione*. Scriptus Majoricæ MCCCXI.

CXLII. *Liber De orationibus*. Incipit: *Com malos homens*, vulgaris.

114. CXLIII. *Philosophia amoris*. Scripta Parisiis mense Octobris MCCXCVIII. Parisiis edita per Jacobum Fabrum Stapulensem, & dicata Alphonso de Aragonia Cesar-augustano & Valentino Archiepiscopo MDXVI. in 4°. Incipit: *Raymundus Parisiis existens*. Hæc Wadingus. Vernaculâ Valentiæ linguâ *Philosophiam* hanc *amoris*, sive primitus scriptam ab auctore, sive postea redditam, non dubitamus, ex quo in examine propositionum Raymundi nostri, quod pręcessit diffinitivam sententiam prędictam, testimonia multa proferuntur, & in examen vocantur hujus linguę ex hoc libro.

CXLIV. *Liber proverbiorum*. editus Venetiis MDVII. unà cum disputatione eremitæ & Raymundi &c. de qua mox, & cum pręcedenti *Philosophia amoris* ann. MDXVI. in 4°. scriptus ab auctore Romæ. Incipit: *Cùm proverbium sit*. Wadingus. Seorsum verò Valentiæ à Joanne Josredo MDX. in 4°. *Proverbiorum mille* liber (idem ne an alius?) est MS. in bibliotheca Ambrosiana. *Proverbia & sententias Raymundi* Venetiis edidit Joannes Tacuinus MDVII. Est in bibliotheca Sapientiæ Romanæ.

115. CXLV. *Liber de centum nominibus Dei*, aliàs *Psalterium*. Incipit: *Cùm Sarracenis*

nis. Habetur etiam vernaculè. *Con los Sarrayns*.

CXLVI. *Orationes per regulas artis versibus rhithmicis vulgaribus*.

CXLVII. *Horæ Deiparæ Virginis vulgaribus modulis decantatæ*. Incipit:

A honor delmajor senyor.

CXLVIII. *Elegiacus Virginis planctus*, vulgaribus versibus.

Viveua en gran gaug la Verge Maria.

CXLIX. *Lamentatio, seu querimonia Raymundi*. Scripta MCCLXXXV. vulgaris linguæ. Incipit: *Deus ab nostra virtute*.

116. CL. *Carmina Raymundi consolatoria*, vulgaris etiam sermonis.

Sò creat e esser mondat.

CLI. *Mille proverbia vulgaria*. Fortè ille qui est in Ambrosiana liber.

CLII. *Versus vulgares ad Regem Balearium*.

CLIII. *Tractatus* vulgaris metricus *septem fidei articulos demonstrans*.

CLIV. *Liber continens confessionem*. Scriptus Majoricæ MCCCXII. Incipit: *Cùm peccatum sit magna transgressio*.

117. CLV. *Primum volumen contemplationum*, continens primum & secundum librum, & illi continent viginti duas distinctiones. Incipit: *Jesus Christ senyor nostro*. Wadingus. Liber hic *Contemplationum*, seu volumen primum duos libros continens, editus fuit Parisiis Latinè curâ Jacobi Fabri Stapulensis, unà cum *Blancbernæ anachoretæ de amico & amato*, apud Joannem Parvum MDV. in folio, emptum à se, ait Faber, obolo uno hunc librum ab egeno quodam; tantique esse, ut lecto eo quidam statim propositum fecerit amplexandi religiosum quendam ordinem, seque ipsum idem facturum subjungit, ni valetudo esset impedimento.

CLVI. *Secundum volumen* continens librum tertium, incipiens à distinctione 23. usque ad 32. inclusivè, scriptum per Ægidium de Bret Brabantinum die XXVIII. Januarii an. MCDLXVII. Incipit:

Deus glorios & virtuos,
A vos senyor sia donado.

CLVII. *Tertium volumen* continens quartum librum à distinctione 33. usque ad 40. inclusive. Est *De oratione*. Incipit:

A Deus gran maravellos,
A vos senyor sia fatta reverencia.

CLVIII. *Quartum volumen*, & liber quintus *Contemplationum*.

118. CLIX. *De centum signis Dei*. Incipit: *Quoniam beatitudo hominum*.

CLX. *De centum dignitatibus Dei*. Incipit: *Quidam homo*.

CLXI. *Liber De expositione orationis Dominicæ*. Incipit: *Cùm oratio, quam Dominicam*.

CLXII. *Liber alius de eodem*.

CLXIII. *Liber De Ave Maria*.

CLXIV. *Liber dictus* Parvum contemplatorium, *secundum artem inventivam & tabulam generalem factus*.

CLXV. *Liber De præceptis legis, articulis fidei, & sacramentis, per modum contemplationis*. Incipit: *Omnipotens Deus*.

119. CLXVI. *Liber De virtutibus & Peccatis*. Majoricæ anno MCCCXII. Incipit: *Cùm sit multum mirandum*.

CLXVII. *Liber De compendiosa contemplatione*. cujus quodlibet caput incipit: *Die ac nocte*. opus autem totum: *Cùm sit creatus homo*.

CLXVIII. *Liber orationum* factus pro Regina Aragoniæ. Incipit: *Cùm multi homines*.

CLXIX. *Liber De orationibus per decem regulas*.

CLXX. *Liber De viis paradisi & viis inferni*.

CLXXI. *Liber De orationibus & contemplationibus*. Incipit: *In ignorantiam*.

CLXXII. *Liber dictus* Opus bonum. Incipit: *Cùm multi homines*.

120. CLXXIII. *Liber De conscientia*.

CLXXIV. *Liber De gaudiis Virginis*. aliter *De Benedicta tu*. Incipit: *Inter alia verba*.

CLXXV. *Liber De septem horis officii Virginis Mariæ*. Incipit: *Ad honorem*.

CLXXVI. *Liber alius ejusdem argumenti*.

CLXXVII. *Planctus dolorosus Dominæ nostræ super Passionem filii sui*. Incipit: *Virgo Maria*.

CLXXVIII. *Ars philosophiæ desideratæ, ad suum filium*. Incipit: *Solus eram in quodam*.

CLXXIX. *Ars confitendi*. Incipit: *Cùm sit necessarium*.

121. CLXXX. *Liber De doctrina puerili*. Incipit: *Deus vult*.

CLXXXI. *Doctrina alia puerilis parva*. Incipit: *Quoniam infideles*.

CLXXXII. *Liber De prima & secunda intentionibus*, ad filium. Incipit: *Cùm desiderans & jacens*.

CLXXXIII. *Blancberna magnus*. Incipit: *Ad significationem quinque plagarum*.

CLXXXIV. *Liber De placida visione*.

CLXXXV. *Liber De consolatione eremitica*.

CLXXXVI. *Ars ut ad Deum cognoscendum & diligendum majorem virtutem habere possimus*. Incipit: *Cùm intendemus*.

CLXXXVII. *Liber ducentorum carminum*. vulgaris linguæ.

122. CLXXXVIII. *Liber De vita divina*.

CLXXXIX. *Liber De diffinitionibus Dei*.

CXC. *Primo libre, el desconsuelo de Ramon*. Vernaculus.

CXCI. *Liber hymnorum*.

CXCII. *Liber sex mille proverbiorum in omni materia*.

Quæ omnes de contemplatione & piis aliis argumentis libri (ait Wadingus [e]) *devotionem spirant, fideique dilatandæ præseferunt ardorem*. [e Tomo I. ad an. MCCCXV. num. 17.]

LIBRI PRÆDICABILES.

123 CXCIII. *Ars prædicabilis*. Scripta Majoricæ MCCCXII. Incipit: *Cùm hæc sit major ars prædicationis*.

CXCIV. *Liber super quatuor sensus S. Scripturæ*.

CXCV.

CXCV. *Ars prædicandi major*. Incipit: *Cùm prædicatio*.

CXCVI. *Ars prædicandi minor*. Incipit: *Cùm ars major*.

CXCVII. *Liber quinquaginta duorum Sermonum contra omnes incredulos*.

CXCVIII. *Commentaria in primordiale Euangelium Joannis, seu in cap. 1. Euangelii Joannis*: In principio erat Verbum. Editus fuit Ambiani in ædibus Francisci de Halenvim ejusdem urbis Episcopi anno MDXI. Incipit: *Hęc propositio varias intelligentias habet*.

LIBRI QUODLIBETALES, SEU VARIARUM RERUM.

124. CXCIX. *Liber primæ & secundæ intentionis*. Qui agit de virtutibus & vitiis, ac variis hominum statibus, vernaculè. *Aquest llibre qui primerament*. Alius, ut videtur, à superiùs laudato, *ad filium*.

CC. *Liber De miraculis cœli & mundi*. vernaculè. Incipit: *En tristitia è en llanguiment*.

CCI. *Arbor scientiæ*. Prodiit Lugduni operâ Gilberti de Villiers MDXV. Incipit: *In desolatione & fletibus*.

CCII. *Liber quæstionum quodlibetalium super artem inventivam veritatis*. Incipit: *Quęstiones*.

125. CCIII. *Liber De fine*. Incipit: *Cùm mundus in malo*. Hunc laudat librum auctor ipse in *disputatione inter Raymundum & Homerium* (de qua postea) his verbis: *Ex his tribus ordinamentis fortasse mundus redire posset in bonum statum, ut largiùs loquuti sumus in libro* De fine, *& quem præsentavimus Regi Aragoniæ*, (Jacobo II.) *& ipse statim misit illum ad dominum Papam* (Clementem V. ut existimo) *qui nunc ipsum habet, quando in Monte-pessulano me præsente obtulit totum suum regnum, suam personam, suam militiam, & thesaurum ad pugnandum contra Sarracenos omni tempore quo placeret domino Papæ & dominis Cardinalibus. Sum ego de hoc certissimus, quia tunc temporis pręsens eram*. Convenerunt quidem in Monte-pessulano Clemens V. recèns electus ann. MCCCV. & Jacobus Aragonum Rex, ut Surita refert lib. 5. cap. 68.

126. Proposuisse ait se in hoc libro ad sustentandam adversus Sarracenorum impressionem & immensam potentiam, Christianam Ecclesiam, tria remedia; quæ quidem omni tempore non inutilia videri poterunt. Primum ut curaret summus Pontifex quatuor aut quinque fundari monasteria religiosorum, in quibus alerentur, ac in linguis infidelium, theologiaque instruerentur ii, qui ex instituto ad annunciandum toto orbe Euangelium tempore opportuno mittendi essent. Alterum, ut ex militaribus ordinibus Templi, Hospitalis, Alemanorum (scilicet Theutonicorum) Uclensium, (Hispanum nôsti ordinem S. Jacobi, cujus caput *Uclesii* domus) Calatravę, atque Sepulchri novus fieret ordo, novæ etiam appellationis, isque in confiniis ditionis Maurorum constitueretur, ut adversus eos bellum gereret, ducto initio à Granatensi, *in qua* (ait) *magnus thesaurus Sarracenorum est, & fundamentum lapideum, & quia prope est*. Eoque regno expugnato transitum in Africam facerent, qua ex parte, & non aliunde, ad Hierosolymitanam expeditionem pergi debere existimabat.

127. Tertium, *quòd dominus Papa, & domini Cardinales* (audis ejus verba) *decimam totius Ecclesiæ, quam dant Regibus Christianis, consignarent ad istam sanctam expeditionem & passagium* &c. *quia decima ideo à laborantibus data est, ut Ecclesia per ipsam honoretur, & augeatur fides catholica, non autem ut Reges ipsam deducant in alios usus forsitan non bonos*. Hæc ille. Planè decimæ Jacobo Aragoniæ Regi concessæ à Bonifacio VIII. per triennium circa annum MCCCIII. meminit Surita lib. 5. cap. 60. Ista omnia non inutilia existimavimus hic annotari, ut posteritas discat senis Raymundi hac arte quandoque sapere.

128. CCIV. *Consilium Raymundi*. Linguâ Balearicâ. Incipit: *Un consill vull comensar*.

CCV. *Liber De acquisitione terræ sanctæ*. Incipit: *Ad acquirendum*.

CCVI. *Liber De Anti-Christo*. Incipit: *Omnipotens Deus*.

CCVII. *Liber De mirabilibus orbis*. dictus *Felix*. Incipit: *In tristitia & languore*. Et valdè commendatur. Wadingus. Hic idem est quidem cum vernaculæ linguæ alio jam laudato *De mirabilibus cœli & mundi* num. 199. simile id enim principium ostendit utrobique notatum.

129. CCVIII. *Liber De civitate mundi*. Messanæ scriptus anno MCCCXIV. uno ante obitum. Incipit: *Civitas est locus*.

CCIX. *Liber variarum quæstionum*.

CCX. *Liber De gradu superlativo*.

CCXI. *Liber De virtute veniali & mortali*, ad Regem Sancium, scriptus Majoricæ MCCCXII. Incipit: *Quoniam plerique homines*.

LIBRI VARIARUM DISPUTATIONUM, SEU CONTROVERSIARUM.

130. CCXII. *Liber De gentili, & tribus sapientibus*. Scriptus in Monte-pessulano MCCCVII. Incipit: *Deus excellentissime, cujus imperium*.

CCXIII. *Tractatus De articulis fidei*. Scriptus Romæ lingua vulgari MCCXCVI. & translatus in Latinum Majoricæ MCCC. Incipit: *Cùm aliqui dicant*. Ms. exstat inter libros Urbini Ducis in Vaticana bibliotheca codice 956.

CCXIV. *De Deo ignoto, & de mundo ignoto*. Parisiis mense Martio MCCCX. Incipit: *Ad ostendendum per quem Deus*.

CCXV. *Liber De efficiente & effectu*. Parisiis mense Martio MCCCXII. Incipit: *Parisiis Raymundus & Averroïsta disputabant*.

131. CCXVI. *Disputatio Raymundi & Averroïstæ de quinque quæstionibus*. Incipit: *Parisiis fuit magna controversia inter*.

CCXVII. *Liber contradictionis inter Raymundum & Averroïstam, de centum syllogismis circa mysterium Trinitatis*. Parisiis scriptus mense Februarii MCCCX. Incipit: *Accidit quòd Raymundista*.

CCXVIII. *Liber alius de eodem argumento*. In Monte-pessulano mense Martio MCCCIV. Incipit: *Antequam Raymundus, sive Raymundista*.

CCXIX. *Liber De forma Dei*. Quem aliàs vocat *parvam artem pro cognoscendo Deum*. Scriptus mense Julii MCCCXI. Incipit: *Quoniam Deus est ens*.

132. CCXX. *Liber utrum fidelis possit solvere & destruere omnes objectiones, quas infideles possunt facere contra sanctam fidem catholicam*. Parisiis mense Augusti MCCCXI. Incipit: *Accidit quoque circa Parisios*.

CCXXI. *Liber disputationis intellectûs & fidei*. In Monte-pessulano mense Octobri an. MCCCIII. Incipit: *Theologorum studia*.

CCXXII. *Liber appellatus Apostrophe, in quo probantur articuli fidei*. Scriptus Romæ in vigilia S. Joannis Baptistæ MCCXCVI. Incipit: *Ad probationem articulorum fidei*. Prodiit in variis locis.

133. CCXXIII. *Liber De demonstratione per æquiparantiam*. In Monte-pessulano mense Martio MCCCIV. Incipit: *Quoniam quicquid demonstratum fuit ab antiquis*. Editus fuit curâ Alphonsi de Proaza Valentiæ apud Joan. Gofredum MDX. cum disputatione, de qua mox, Raymundi & Homerii, & aliis.

CCXXIV. *Liber De convenientia quam habent fides & intellectus in objecto*. Scriptus ibidem, sive an. MCCCIV. sive MCCCVIII. sive tandem MCCCX. variant enim exemplaria. Incipit: *Dividitur iste liber*.

134. CCXXV. *Liber de iis quæ homo de Deo debet credere*. Scriptus in Armenia in urbe *Alleas*, mense Januario MCCCI. Incipit: *Con malos Christians*. Vernaculæ igitur linguæ est.

CCXXVI. *Liber de substantia & accidente, in quo probatur Trinitas*. Scriptus in civitate Messanæ mense Octobri MCCCXIII. Incipit: *Quoniam per plures modos*. Prodiit Valentiæ Alphonsi Proazæ curâ per Joannem Gofredum MDXX.

CCXXVII. *Liber De Trinitate in unitate, sive de essentia Dei*. Scriptus ann. MCD. Incipit: *Quoniam infideles derident Christianos*.

135. CCXXVIII. *Disputatio Raymundi Lulli & Homerii Sarraceni, primò habita inter eos in urbe Bugiæ sermone Arabico, postea translata in Latinam ab eodem Lullo Pisis in monasterio S. Dominici anno* MCCCVIII. Incipit: *Quidam homo Christianus, cui nomen erat Raymundus*. Edidit hanc Valentiæ per Joannem Gofredum Alphonsius Proaza, Bartholomæo Gentili nobili Genuensi nuncupatam, anno MDX. unà cum aliis, scilicet *De demonstratione per æquiparantiam*, & proximè sequenti hanc disputationem alia *Quinque sapientum*. Continet disputatio hæc inter Raymundum Christianum & Homerium Sarracenum ex condicto Bugiæ habita rationes omnes, quibus Sarraceni errores suos, Christianiq; his disjectis legem suam tuentur, quam quidem Arabicè ab utroque conscriptam (in ea quippe lingua, *ut ipse ait*, doctissimus erat) Raymundus ab Africa exsilio missus cum omnibus bonis suis & libris, *qui sibi* (ait) *chariores erant*, juxta Pisanum portum naufragio amisit. Sed post aliquot dies memoriâ excussâ Latino sermone deperditum opus restauravit, Papæque & Cardinalium collegio dicavit, inde ut discerent quibus argumentis pestiferam Machometi legem sequaces ejus propugnarent.

136. CCXXIX. *Disputatio quinque hominum sapientum*. Absoluta in civitate Neapoli MCCXCIV. simulque cum superiore disputatione edita Valentiæ MDX. scilicet primi Latini, secundi Græci, tertii Nestoriani, quarti Jacobitæ, quinti Sarraceni. Ms. exstat in bibliotheca Veneta S. Antonii [f].

CCXXX. *Liber De existentia & agentia Dei, contra Averroëm*. Incipit: *Quoniam cognoscere & amare*. Parisiis scriptus MCCCXI.

CCXXXI. *Declaratio Raymundi Lulli per modum dialogi edita contra* CCXVIII. *opiniones erroneas aliquorum philosophorum, & damnatas ab Episcopo Parisiensi, quam ipse auctor præsentavit eidem Episcopo Parisiensi, & Cancellario ac Rectori universitatis*. Incipit: *In quadam sylva*.

137. CCXXXII. *De significatione fidei & intellectûs*.

CCXXXIII. *Ars theologiæ & philosophiæ mysticæ contra Averroëm*. Incipit: *Cùm ad sanctam fidem*.

CCXXXIV. *Liber De spiritu sancto contra Græcos*.

CCXXXV. *Quòd in Deo non sint plures quàm tres personæ*. Incipit: *Ad probandam*.

CCXXXVI. *De non multitudine esse divini*. Incipit: *Præsuppono*.

CCXXXVII. *Quid habeat homo credere*. Incipit: *Cùm sint plures Christiani*.

138. CCXXXVIII. *De ente simpliciter per se, contra errores Averroïs*. Incipit: *Quoniam Deus est*.

CCXXIX. *De perversione entis removenda*. Incipit: *Facta hypotesi*.

CCXL. *De minori loco ad majorem ad probandam Trinitatem & Incarnationem*. Incipit: *Quoniam aliqui Christiani*.

CCXLI. *De concordantia & contrarietate*. Incipit: *Ad idem probandum*.

CCXLII. *De probatione unitatis Dei, Trinitatis, Incarnationis, Creationis, & Resurrectionis*. Incipit: *Cùm aliqui dicant*.

CCXLIII. *De quæstione quadam valdè alta & profunda*. Incipit: *Accidit quòd circa Parisios*.

139. CCXLIV. *Disputatio trium sapientum*. Aliàs, *De gentili*. Fortè, ait Wadingus, erit alius liber à primo hujus classis seu ordinis (nempe sub num. CCXII.) quia ponitur aliud principium: *Cùm longo tempore*.

CCXLV. *Liber De reprobatione errorum Averroïs*. Incipit: *Cùm Christianos fideles*.

CCXLVI. *Liber De meliore lege*.

CCXLVII. *Liber contra Judæos*.

CCXLVIII.

[f] Teste Thomasino in *Biblioth. Veneta* pag. 11.

CCXLVIII. *Liber De reformatione Hebraïca.*

CCXLIX. *Liber De participatione Chriſtianorum & Sarracenorum*. Incipit: *Raymundus veniens.*

140. CCL. *De adventu Meſſiæ contra Judæos*. Incipit: *Duo viri.*

CCLI. *Liber De vera credentia, & falſa.* Incipit: *Perveniens ad tempus.*

CCLII. *Liber De probatione articulorum fidei*. Incipit: *Quoniam infideles.*

CCLIII. *Diſputatio Petri clerici, & Raymundi phantaſtici*. Incipit: *Accidit duos homines*. Idem forſan opus cum ſuprà laudatis num. CXXXIX. & CXL.

CCLIV. *Liber dictus* Dominus, *quæ pars fuit* (uti quidam aſſerunt) *Diſputatio Raymundi & Scoti*, qui æquales vixerunt Pariſiis.

CCLV. *Liber De probatione Fidei catholicæ.*

CCLVI. *Tractatus De modo convertendi infideles.*

CCLVII. *De duobus actibus finalibus*. Incipit: *Duodecim ſyllogiſmos.*

LIBRI THEOLOGICI.

141. CCLVIII. *Liber quæſtionum ſuper quatuor libros Sententiarum*. Scriptus Pariſiis MCCXCVIII. infra octavam Aſcenſionis. Prodiit Lugduni MCDXCI. & Panhormi per Joannem Tacuïnum MDVII. item cum Thomæ Atrebatenſis in eoſdem libros quæſtionibus Venetiis MDVII. in 4°. Incipit: *Raymundus Pariſiis ſtudens*. Ms. exſtare hunc commentarium in collegio Complutenſi Sancti Ildephonſi docet Petrus Alva in *Militia conceptionis*. Verbo *Raymundus Lullus*. Lucas quidem Wadingus, qui hoc vidit, de eo ſic olim cenſuit: *Opus theologicum in libros quatuor Sententiarum eò majorem ingerit admirationem, quò copioſiùs miris & inuſitatis modis loquendi omnia fidei comprehendit arcana; de ſingulis theologiæ controverſiis plures inſtituit quæſtiones*. Codex quidem Urbinatenſis 1085. inter libros Vaticanos forſan id opus continet ſub hac inſcriptione: *Ars generalis, ſive quæſtiones ſuper Sententias*. Planè *Diſputatio eremitæ & Raymundi ſuper aliquibus dubiis Sententiarum Petri Lombardi*. Compilatus ſcilicet, ut in fine legitur, tractatur Pariſiis MCCXCIX. prodiit unà cum *Proverbiorum* opere, de quo jam dictum fuit, Venetiis anno MDVII. in 4°. Quæ editio exſtat in Eccleſia Hiſpalenſi.

142. CCLIX. *Quæſtiones Magiſtri Thomæ Atrebatenſis ſolutæ ſecundum artem*. Scriptæ Pariſiis MCCXCIX. Incipit: *In Chriſto Domino*. Meminit in hoc opere libri *De geometria*, & alterius *De principiis theologiæ*, quibus ſe diſtineri per eos dies prodit.

CCLX. *Liber De Deo*, vernaculus. *Com lo principal ſi.*

CCLXI. *Liber de ente ſimpliciter abſoluto.* Scriptus Viennæ tempore Concilii Viennenſis anno MCCCXII. Incipit: *Ens ſimpliciter abſolutum.*

CCLXII. *Liber De eſſe Dei*. Majoricæ MCCC. Incipit: *Eſſe Dei vocamus.*

CCLXIII. *Liber De principiis theologiæ*, jam laudatus CCLIX. Incipit: *Theologia eſt ſcientia.*

CCLXIV. *Liber De conſequentiis theologiæ.*

CCLXV. *De inveſtigatione divinarum dignitatum*. Incipit: *Quidam homo.*

CCLXVI. *Liber De Trinitate.*

CCLXVII. *Liber De Trinitate triniſſima*. Incipit: *Quoniam ſecundum.*

CCLXVIII. *De inventione Trinitatis.*

CCLXIX: *De unitate & pluralitate Dei*, ad Regem Franciæ. Incipit: *Ad venandum.*

143. CCLXX. *De inveſtigatione veſtigiorum productionis divinarum perſonarum.* Incipit: *Inveſtigationem iſtam.*

CCLXXI. *De divinis dignitatibus*. Incipit: *Nullum majus bonum.*

CCLXXII. *De propriis & communibus rationibus divinis*. Incipit: *Ad probandum.*

CCLXXIII. *De poteſtate divinarum rationum*. Incipit: *Quoniam infideles.*

CCLXXIV. *De infinitate divinarum dignitatum.*

CCLXXV. *De actu majori, ſcilicet actu divinarum dignitatum*. Incipit: *Actum majorem vocamus.*

144. CCLXXVI. *De diffinitionibus Dei*. Incipit: *Diffinitiones Dei.*

CCLXXVII. *De nomine Dei*. Incipit *Quia Deus.*

CCLXXVIII. *De unitate Dei*. Incipit: *Quoniam quicquid eſt.*

CCLXXIX. *De perſeitate Dei*. Incipit: *Volo credere.*

CCLXXX. *De natura Dei*. Incipit: *Dicitur quòd divina natura.*

CCLXXXI. *De vita Dei*. Incipit: *Legitur in ſacra pagina.*

CCLXXXII. *De Eſt Dei*. Incipit: *Appellamus eſſe Dei.*

CCLXXXIII. *De eſſe Dei*. Incipit: *Utrùm æternitas Dei.*

145. CCLXXXIV. *De eſſentia, & eſſe Dei*, ſcriptus in civitate Meſſanę menſe Decembri MCCCXIII. Incipit: *Dicitur quòd in hac vita.*

CCLXXXV. *De forma Dei*. Incipit: *Quoniam Deus.*

CCLXXXVI. *De inventione Dei*. Incipit: *Omnia illa ſine quibus.*

CCLXXXVII. *De memoria Dei*. In civitate Meſſanę menſe Martii MCCCXIV. Incipit: *Quoniam de divina memoria.*

CCLXXXVIII. *De voluntate Dei abſoluta & ordinaria.*

CCLXXXIX. *De poteſtate Dei*. Incipit: *Ad cognoſcendum.*

CCXC. *De poteſtate pura*. Incipit: *Credere.*

CCXCI. *De poteſtate Dei infinita & ordinaria*. Incipit: *Quoniam multi ſunt.*

146. CCXCII. *De divina veritate*. Incipit: *Quoniam quicquid eſt.*

CCXCIII. *De bonitate pura.*

CCXCIV. *De productione divina.*

CCXCV. *De scientia perfecta*. Incipit: *Ad investigandum*.

CCXCVI. *De majori agentia Dei.* Incipit: *Cùm infideles*.

CCXCVII. *De infinito esse*. Incipit: *Duobus modis*.

CCXCVIII. *De perfecto esse*. Incipit: *Quoniam infinitum*.

CCXCIX. *De ente infinito*. Incipit: *Quoniam humana*.

CCC. *De ente absoluto*. Incipit: *Quoniam theologia*.

147. CCCI. *De objecto infinito*. Incipit: *Quoniam multi sunt*.

CCCII. *De inveniendo Deo*. Incipit: *Cùm Deus credisset*.

CCCIII. *Liber De Deo*. Incipit: *Appellamus autem ens*.

CCCIV. *De Deo majori & minori*. Incipit: *Cùm Deus creavisset*.

CCCV. *De Deo & mundo, & convenientia eorum in Jesu Christo*.

CCCVI. *Liber De Deo & Jesu Christo*. Incipit: *Cùm sit finis principalis*.

CCCVII. *De Incarnatione*. Incipit: *Quoniam Deus benedictus*.

CCCVIII. *Liber ad intelligendum Deum*. Incipit: *Ad intelligere*.

CCCIX. *Liber dictus: Propter bene intelligere, diligere, & possificare*. Incipit: *Multum est delectabile*.

148. CCCX. *Liber De prædestinatione & libero arbitrio*. Incipit: *Cùm prædestinatio*.

CCCXI. *Liber* alius *De prædestinatione*. Incipit: *Quoniam plures*.

CCCXII. *Liber De natura angelica*. Incipit: *Quoniam angeli*.

CCCXIII. *Liber De locutione angelorum*. Incipit: *Raymundus jacens*.

CCCXIV. *Liber De hierarchiis & ordinibus angelorum*.

CCCXV. *Liber De angelis bonis & malis.*

149. CCCXVI. *Liber De conceptu virginali*. Incipit: *Contigit quòd*.

CCCXVII. *Liber* alius *De conceptu virginali*.

CCCXVIII. *Liber De creatione.* Incipit: *Multi sunt qui credunt*.

CCCXIX. *Liber De justitia Dei*. Incipit: *Justitia est forma*.

150. CCCXX. *Liber De conceptione Virginis Mariæ*. Wadingus.

Unus ex tribus his ejusdem argumenti libris est liber *De conceptione Virginis Mariæ ab omni culpa originali immuni*, qui editus fuit Hispali impensis fratris Martini de Almodovar ordinis Calatravæ, apud Paullum de Colonia MCDXCI. in 4°. Quæ disputatio est inter monachum quendam Dominicanum & laïcos duos, quorum alter canonum peritus est. Hunc eundem editum fuisse Valentiæ anno MDXVIII. in 4°. curâ Raphaëlis Gerardi Tarraconensis, qui Comiti Olivæ Seraphino de Scintillis dicavit, refert Petrus de Alva in *Militia Conceptionis*. Hispanè tandem prodiit, simulque Latinè, Bruxellis MDCLXV. in 4°. D. Alphonso de Cepeda interprete.

151. Hunc tamen librum non esse Raymundi Lulli bene conjectatur idem Petrus Alva, cùm auctor meminerit decreti super Conceptionis mysterio ab Aragonum Rege emanati, inveteratamque vocat diversitatem, quę de hoc sanctissimo conceptu inter Christi fideles esset; quod quidem de Raymundi tempore, quo vixit Joannes Duns Scotus, hujus controversię antesignanus, quoque nondum Joannis I. Aragoniæ Regis princeps hac super controversia decretum prodierat, intelligi possunt. Perperam autem Alva confingit Raymundum alium de Centillis, vel Centelles, Aragonensem, & canonicum, ut ei hunc librum adscribat, motus disticho isto:

En ego Centillis scutum pro Virgine præsto:
Contra hostes præsto bella parare suos.

Quod quidem ad dictum Olivę Comitem Seraphinum de Centellas, & ejus gentem Scintillarum, cui librum dedicat, referendum omnino est.

152. Quare credendum magis ei puto, quum refert, in bibliotheca Escurialensi hunc librum asservari MS. sub nomine cujusdam Raymundi de Astruch de Cortyelles, Avinione mense ante ann. MCCCV. scriptum; qui quidem Raymundus, ut habetur in codice isto, *canonicus* tunc erat *Vit.* (Vicensem credimus) *& ibi in bono dies suos finivit extremos, cujus anima requiescat in pace*. Creditque Alva corrigendum pro anno prædicto annum MCCCXCV. Circa enim hunc annum Rex Aragoniæ decretum fecit pro immaculata Conceptione, ut ille ait. Fuit absque dubio hic liber eò transportatus cum aliis Antonii Augustini Tarraconensis præsulis: nam in ejus librorum catalogo notatus invenitur num. 155.

153. CCCXIX. *Liber de angelis*. Hucusque librorum Raymundo adscriptorum catalogus Proazæ & Wadingi. Sequitur tamen apud eos appendix aliorum qui sub ejus nomine circumferuntur, chimicorum majori ex parte.

LIBRI QUI SUB NOMINE LULLI CIRCUMFERUNTUR.

154. I. *Liber Mercuriorum*. Incipit: *Fili oportet*. Wadingus. Coloniæ editus fuit à Joanne Birckmanno MDLXVII. in 8°. cum sequentibus, & volum. 4. *Theatri chimici*.

II. *Liber dictus Apertorium*. Incipit: *Sapientes asserunt*. Hic cum *Magia*, & *De secretis naturæ*, de quibus statim, editus fuit Norimbergæ MDCLVI. in 4°. per Joannem Petrejum. *Apertorium de veri lapidis compositione* prodiit tomo 2. *Alchimiæ scriptorum* Grataroli, & tomo 3. *Theatri chimici* apud Zetznerum MDCXIII. in 8°.

III. *Liber dictus Repertorium*. Incipit: *Aqua nostra philosophica*. *Repertor. valdè utile ad intelligentiam Testamenti, Codicilli, & aliorum.* tomo 3. *Theatri chimici*.

IV. *Ars intellectiva*. Incipit: *Sunt plures nimis errantes*. In iisdem collectionibus.

155. V. *Practica*. Incipit: *Corruptio & depu-*

depu-

depuratio. *Practica lapidis* exstat volum. 3. *Theatri chimici*. *Praxis universalis magni operis* volum. 3. *Theatri* ejusdem *chimici*.

VI. *Magia naturalis*. Incipit: *Compendium artis magicæ*. Omnes simul excusi sunt Coloniæ MDLXVII. in 8°. apud Joannem Birckmannum.

156. VII. *De secretis naturæ, sive quinta essentia*, libri duo. Wadingus. Primùm editis unà cum *Consiliis* Matthæi de Gradi, Venetiis in folio apud Georgium Arrivebenium MDXIV. aliàs MDXVIII. in 4°. apud Sigismundum Grim. Item cum eisdem & Blasii Astarii Conciliis ibidem apud Lucam Antonium Juntam MDXXI. in 4°. Deinde Argentorati apud Balthassarem Beck MDXLI. in 8°. cum Alberti Magni libris quinque *De mineralibus & rebus metallicis*. Venetiis apud Petrum Scheffer MDXLII. in 8°. Norimbergæ MDXLVI. in 4°. Coloniæ apud Birckmannum MDLXVII. in 8°. Adjicitur epistola ad Regem Robertum *De accuratione lapidis philosophorum*, teste Lindano in *De scriptis medicis*. Incipit: *Jam verò ut rem*. Prologus autem Raymundi: *Liber secretorum naturæ*. Stylus Raymundino simillimus est.

157. VIII. *Liber De quæstionibus mortis* (sive meliùs *motis*) *super librum De quinta essentia*.

IX. *Liber Testamenti*.

X. *Clausula Testamenti*.

158. XI. *Codicillus*. Tria hęc ita jejunè in catalogo laudantur: at nos vidimus Raymundi Lulli *Testamentum*, duobus libris universam Chimicam complectens, antea nunquam editum, Coloniæ Agrippinæ apud Joannem Birckmannum MDLXVI. in 8°. & MDLXXIII. in 8°. ibidem. Exstat & Ludolphi Verdemanni epistola proœmialis, quâ ait, Testamentum nunquam aliàs impressum fuisse: quod quidem auctor Eduardo V. Anglorum Regi an. MCCCXXXII. dedicavit. Quæ quidem temporis ratio neque cum Raymundo, qui anno MCCCXV. in vivis esse desiit, neque cum Eduardo V. qui ab anno octavo usque ad vicesimum sextum hujus sæculi rerum potitus fuit, congruere potest.

159. Incipit prologus: *Deus qui gloriosè*. Continetque *Testamentum* hoc tres partes, I. Theoricam, II. Practicam; quas duas jam continebat id quod in editione MDLXXIII. *Testamentum vetus* audit; cui appenditur *Compendium animæ transmutationis artis metallorum*. Ruperto Anglorum Regi transmissum. Incipit: *Jam sæpè & sæpius*. Exstant volum. 4. *Theatri chimici*, in fine Practicæ, dum de modo conficiendi margaritas Regem monuisset, ejus scilicet coloris, cujus conchilia fuerint, vidisse se ait conchilia quædam de quibus loquitur, in Cypro, Portugallia, & *in quadam villa Angliæ, quæ dicitur* Conilla (corrigo *Andaluziæ, quæ dicitur Conilia*, nunc *Conil*) *& in alio loco, qui dicitur Portus Silvenæ, usque ad Sanctum Vincentium de finibus mundi*. (loquitur de Silvensi Portu, & promontorio S. Vincentio, quod appellat *mundi fines*, olim sacro.) *Vidimus enim* (prosequitur) *omnia ista, dum ad Angliam transimus propter intercessionem domini Regis Eduardi illustrissimi*. Quæ omnia bene, seu vix alii quàm Raymundo, conveniunt; nisi alius his omnibus fictitiis lineamentis ducere voluerit ejus personam.

160. Sequitur tertia pars *Testamenti*, qui hoc titulo insignis est: *Codicillus, seu Vademecum, aut Cantilena, Raymundi Lulli, in quo fontes alchimiæ artis, ac philosophiæ reconditioris uberrimè traduntur*. Hic primùm editus Coloniæ MDLXIII. in 8°. iterum prodiit ibidem apud hęredes Arnoldi Birckmanni MDLXXII. in 8°. Prodiit etiam Rhotomagi MDCLI. in 8°. Incipit prologus: *Deus in virtute*. Hæc est illa, quam *clausulam Testamenti* appellatam legimus in Wadingi catalogo, & item *Testamentum novissimum*, uti appellatur in ultima editione *Testamenti*, curâ D. M. Rault Rhotomagensis castigati, & Rhotomagi sumptibus Davidis Bertelin anno MDCLXIII. in 8°. editi. Monet quidem auctor cap. I. hujus *Codicilli*, se artem hanc, sive secretum philosophicum, commodâsse Eduardo Anglorum Regi in conversionem paganorum. Prosequitur catalogus.

161. XII. *Diadema Ruberti*.

XIII. *Lapidarium*. Ad hoc se refert auctor in fine *Compendii animæ transmutationis metallorum*.

XIV. *Liber* dictus *De numero philosophorum*.

XV. *Liber experimentorum*.

XVI. *De inventione secreti occulti*.

XVII. *Ars curatoria*.

XVIII. *Liber* dictus *Proprietarium*.

XIX. *Liber* dictus *Aphorismorum*.

XX. Alius *liber De magia*.

Libellos aliquot Lulli chimicos Basileę editos apud Petrum Pernam MDLXXII. operâ M. Toxitę alicubi legimus.

162. Chimica tamen hęc omnia, & artis metallorum transformatorię scientiam Raymundo nostro quidam abjudicant [g], eâ inter alias ratione permoti, non videri eum alio industrię, quàm isto aurum conficiendi genere, potuisse acriùs & efficaciùs uti ad Christianis Regibus faciendos animos ad bellum adversus Sarracenos mirè ab eo procuratum; quo tamen nusquam legimus eum fuisse usum; nisi eò referendum sit quod è *Codicillo* ejus de Eduardo Rege paullò antea adduximus. Robertus tamen Constantinus in *Nomenclatore* suo *insignium scriptorum* [h], *Lullus* (ait) *scripsit præter cætera multa de secretis naturæ, sive De quinta essentia. Hunc quidem inquirendo comperi apud Anglos re quidem vera præstitisse quod libris suis pollicetur, & in arce Londini jussu Regis probatissimum aurum confecisse: mihique genus nummi ostensum est, quod adhuc appellant nobile Raymundi, auri videlicet puri, & obrizi, summæque indicaturæ. Ipse in libro quod* Testamentum *vocat, fatetur hanc artem ex Arnaldo de Villa-nova coævo suo didicisse*. Hæc ille.

163. Alia congerit Conringius *De hermetica & Paracelsica medicina* cap. 27. [i] qui tamen non ex *Testamento* Lulli, quod Constantinus ait, sed ex *Arte* ejus *operativa* hoc esse testi-

g Wadingus *Annal. Francis can.*

h Parisiis edito MDLV.

i Pag. 180.

testimonium refert, quo per Arnaldum se profecisse Raymundus monuit. Lucas autem Wadingus optimo egit argumento [x], ut ostenderet supposita hęc omnia Lullo fuisse, scilicet ex ejus aliis germanis libris desumpto, in quibus nihil frequentius est, quàm improbari artem hanc chimicam. Item ex iisdem, qui Lullo malè tribuuntur, de hac eadem arte formatis quidem, ut ex eorum met verbis constat, post Lulli obitum. Has quoque partes Vincentius Mut Balearis in *Balearium insularum historia* sequitur [l]: quem tamen impugnat acriter Olaus Borrichius Hafniensis, medicę artis professor, in *De ortu & progressu chimiæ* dissertatione [m] omnino videndus.

x Tomo 3. ad an. MCCCXV. num. 13. & 14.

l Tomo 2. lib. 2. cap. 15.

m Pag. 129. & seqq.

164. Pręter tot autem catalogi propositi libros, adhuc à nobis dabuntur, spicilegii ad instar, quidam alii, scilicet,

I. *Ars brevis De auditu cabalistico, sive ad omnes scientias introductorio*. Incipit: *Quoniam quidem omnibus*. Prodiit Argentorati apud Zetznerum cum *Arte brevi*, & *Arte magna*, & aliis Raymundi MDCIX. in 8°. ac priùs Parisiis MDXLVIII. in 16°.

II. *Liber De venatione medii inter subjectum & prædicatum*. Incipit: *Medium existens*.

III. *De articulis fidei chimicæ*. Ad Papam Clementem V. MS. Patavii in bibliotheca quę fuit Nicolai Trevisani, teste Thomasino [n].

165. IV. *Liber De lumine*. in cujus fine: *Ad honorem Dei finivit Raymundus Lullus, De lumine, in Monte-pessulano mense Novembri MCCCIII.* Ms. in eadem bibliotheca Trevisani [o]. Sed vide suprà in catalogo num. 33.

n Biblioth. Patavina pag. 113.

o Ibidem.

V. *Practica de terminis militis*. MS. ibidem [p].

p Eadem pag.

VI. *Philosophia desiderata*. MS. ibidem.

VII. *Epistola ad Regem Rupertum de libris suis chimicis, & de accurtatione*. Ms. in bibliotheca Cæsarea, ex libris qui ex arce Ambrosiana juxta Oenipontem an. MDCLXV. hæreditario jure Viennam translati sunt, uti refert Petrus Lambecius lib. II. *De biblioth. Cæsarea*. cod. 184.

q Pag. 842.

166. VIII. *Liber De intentione* (aliàs *inventione*) *alchimistarum*. In cujus fine hæc leguntur: *Explicit liber de intentione alchimistarum Mag. Raymundi Lulli Romæ ann. MDXV. die* XXI. *mensis Decembris, sub Leone X. Pont. Max.* scilicet exscriptus, *Theatri chimici* vol. 4. MS. in iisdem libris cod. 185. & inter libros Renati Moræi, teste Labbeo in *Biblioth. MS.* [r]

r Pag. 217.

IX. *De conservatione vitæ humanæ*. In cujus fine sic legitur: *Explicit lib. Raym. Lulli De conserv. vitæ humanæ, Romæ MDXVI. die* XVII. *mensis Octobris*. Ms. ibidem in iisdem libris cod. 185. Fuit & in biblioth. Cardin. Carpensis. Prodiit Argentorati apud Zetznerum cum libro secretorum MDCXVI. in 8°.

167. X. *Magia chimica in* XXIII. *capita divisa*, &

XI. *Liber De investigatione secreti occulti*, qui inscribitur: *Compendium* simul MSS. in iisdem libris cod. 166.

XII. *Alphabetum chimicum secretum*, &

XIII. *Arbor artis chimicæ, cum expositione, & subjuncta triplici appendice*.

XIV. *De aqua prima*, &

XV. *De distillatione aquarum*, &

XVI. *De operatione, vel practica lapidum pretiosorum*. Simul omnia hæc MSS. in iisdem libris bibliothecæ Oenipontinæ, jam Viennensis, cod. 186.

168. XVII. *Liber lucis Mercuriorum*. Diversus ab alio jam laudato *libro Mercuriorum*.

XVIII. *Arbor philosophalis*. Et alia simul inter eosdem libros cod. 198.

XIX. *Practica arboris philosophalis*. Meminit Labbeus in *Biblioth.* MS. part 4. pag. 47.

XX. *De lapide physico*. Coloniæ editus liber MDLXXXV. in 8°.

XXI. *De lapide philosophorum*. Coloniæ apud Joann. Birckmannum ann. MDLXVII. in 8°.

169. XXII. *De alchimiæ arte, ac philosophia recondita*. Coloniæ apud hęredes Arnoldi Birckmanni MDLXXII. in 8°. Fortè idem cum sequenti.

XXIII. *De arte chimica, & transmutatione metallorum*. Ibidem per Joann. Birckmannum MDLXXIII. in 8°. Idem fortè *De chimia* Basileæ MDC. in 8°. & cum tit. *Fasciculi aurei* Francof. MDCXXX. in 8°.

XXIV. *Liber De peste*. Patavii MS. inter libros qui fuere Nicolai Trevisani teste Thomasino in *Bibliotheca Patavina* [s].

s Pag. 108.

XXV. *Liber qui dicitur synodalis Ecclesiæ*. Ms. in bibliotheca S. Antonii Venetiis, quæ fuit domini Cardin. Grimani teste Thomasino [t].

170. XXVI. *Disputatio facta inter Ingetum Contardum mercatorem Genuensem, & quosdam Judæos Majoricæ MCCLXXXVI.* Exstat MS. Venetiis in bibliotheca SS. Joannis & Paulli monasterii, teste Thomasino [u].

t Bibl. Venete pag. 12.

u In Bibl. Veneta pag. 23.

XXVII. *Arbor scientiarum*. Edita fuit Lugduni MDCXXXV. in 4°.

XXVIII. *Artificium, sive ars brevis ad absolvendam omnium artium encyclopædiam*. Editum apud Claudium Bornatium anno MDLXV. in 8°.

171. XXIX. *Monologium*. Meminit hujus operis *sententia diffinitiva pro Raymundi doctrina*, de qua suprà egimus.

XXX. *El contemplador*. Hunc Hispanâ vocans appellatione pro se adducit Joannes Martinus Figuerola in libro MS. quem penes me habeo, *lumbre de fee contra la secta Mahometana* inscriptum.

XXXI. *Secreta secretorum*. Colon. anno MDXCII. in 8°. apud Gosvinum Colinum cum opusculis D. Thomæ *De esse & essentia mineralium*. Et Cornelii Alvetani *De conficiendo divino elixire* libello.

XXXII. *De Mercurio solo* libellus editus fuit volum. 4. *Theatri chimici* Argentorati anno MDCXIII.

172. XXXIII. *Epistolæ medicæ*. Exstant cum *Cista medica* Joannis Hornungi Norimbergæ editæ à Simone Halbmajero anno MDCXXV. in 4°.

Libelli aliquot chimici Raymundi, tunc primum, uti dicitur, excepto *Vade-mecum*

cum

eum in lucem editi operâ doctoris Toxitæ Basileæ apud Petrum Pernam MDLXXII. & MDX.in 8°. Hæc, præter jam memorata, continent

XXXIV. *Testamentum novissimè integrum.*

XXXV. *Elucidationem verborum ejus.*

XXXVI. *Compendium De transmutatione, media ex parte auctum.*

XXXVII. *De compositione gemmarum & lapidum pretiosorum.*

XXXVIII. *Epistolam aceuratoriam ad Regem Neapolitanum.* Videtur ea, de qua egimus num.VII. eorum qui Raymundo adscribuntur, librorum.

XXXIX. *Medicinam magnam.*

XL. *Dialogum* Demogorgon,*qui Lullianis scriptis multam præclarè lucem adfert.* Hæc ibi.

173. In Gesneriana quoque epitome quędam alia repetio ex Caroli Bovilli *De Raymundi vita* decerpta, quæ superiùs illaudata forsan haud fuere, scilicet,

I. *De tartaro*, nisi sit liber *De viis paradisi & viis inferni* num.CLXIX.

II. *De refrigerio intellectûs.*

III. *Artem navigandi.*

IV. *De erroribus Boërii & Fulgerii.*

V. *Librum De duratione.*

VI. *Librum Chaos.*

VII. *De sexto sensu.*

VIII. *De septem Sacramentis.* Nisi error sit communis cum eo qui summam *De Sacramentis*,quæ S.Raymundi de Penna-fort est, huic Raymundo nostro alicubi adscriptam voluit.

IX. *Artem notandam.*

X. *Artem electionis.*

174. XI. *De divina & individua majestate.*

XII. *De experientia realitatis.*

XIII. *De qualitate actuum animæ in beatitudine.*

XIV. *De propriis & communibus artibus.*

XV. *De nominibus differentiarum personarum.*

XVI. *De sufficientia trium personarum.*

XVII. *Artem mysticam.*

XVIII. *De ignotis corollariis.*

XIX. *De quæstionibus sapientiæ.*

XX. *De Deo & universo.*

XXI. *De substantia & actione Dei.*

Librum *De febribus*, quem Symphorianus Camperius vocat *mirandum & celeberrimum.*

In codice Vaticano, qui fuit bibliothecæ Ducis Urbini, signato notâ numeri 1084. sub nomine eodem Raymundi exstat *Clavicula.*

175. Quorum quidem plura, aut forsan omnia, sub aliis nominibus in catalogis duobus propositis comprehensa existimamus; sed nobis curæ nulli supersedendum fuit, ut nihil prætermitteremus. Interim subnecti æquum est consilium doctissimi & optimi viri Lucæ Wadingi [x] de renovanda editione omnium Raymundi operum. *Illud itaque Balearibus insulis, & admirandi hujus viri sectatoribus, non adverso,sed propositio affectu illud suggesserim consilium, ut si jam tandem post tria integra sæcula finem imponere velint inveteratæ de Raymundi rebus controversiæ, genuina opera omnia Raymundi colligant, in sua volumina juxta argumentorum varietatem distribuant, nitido & aceurato tradant prælo, adhibitis ad singula duriora vel obscuriora loca commentariis seu brevibus scholiis, quibus vel explicentur, vel cautiùs legi admoneantur. In totius operis limine præfigant claram librorum distinctionem, spurios & apocryphos omnino rejiciant; quæ absque dubio Lulliana sunt suo ordine disponant; quæ dubium patiuntur in appendicem remittant. Hac ratione fiet, ut absque scrupulo admittantur, & absque offensione legantur, & procedi possit in caussa quæ, ut tanto urgetur conatu, sed plurimas passa regulas* (exceptiones fortasse voluit dicere, aut simile aliquid) *haud sortita est exitus felices.* Hæc Wadingus prudentissimè, in quo hactenus cessatum fuit. Regiis enim sumptibus, ac propemodum auctoritate, opus est ad colligenda hinc inde tam variis bibliothecarum angulis dispersa omnia hæc opera,neque successuro, ut videtur, eo impensarum fructu, qui editores allicere consuevit, è plutium voluminum sumptuosissima, eaque concursûs emptorum infrequenti, negotiatione.

[x] Diss.ann. MCCCXV. nu.17.

176. Quamplures verò secretæ Raymundi Artis amatores, quales non fuissent, si non in ejus studio pro mensura exhausti laboris in ea addiscenda, invidiæque in ea commendanda, profecissent, variis cogitationibus illustrare magistri hoc inventum conati sunt; quorum qui ad notitiam nostram pervenerunt, hic appendimus album.

177. Julius Paccius Vicentinus, jurisconsultus celeberrimus, scripsit *Artem Lullianam emendatam* libris 4. Lugd.MDCXVIII. in 8°. Neapolique MDCXXXI. in 4°. Gallicè autem Parisiis apud Franciscum Julliot anno MDCXIX. in 8°.

178. Jordanus Brunus Nolanus *De specierum scrutinio, De lampade combinatoria Lulliana, De progressu & lampade venatoria logicorum*, in editione Argentoratensi Artium Lulli MDCIX. apud Zetznerum. De hoc Bruno vide *Biblioth. Neapolit.* cum additionibus Antonii Magliabechi.

179. Bernardus Lavineta Gallus, ordinis Minorum, *Artem magnam* interpretatus est, Lugduni editam MDXVII. in 4°.

N. Morestellus, *encyclopędiam ad Artem magnã Lulli.* Rhotomagi MDCXLVIII.in 8°.

N. Brulæus super *Artem* scripsit,ut legitur in *Bibliotheca medica.*

Basilius Poliviacensis, tertii ordinis Minorum, *Commentaria in Artem*, atque item *in Metaphysicam, seu de ente universalissimo secundum Raymundum Lullum.* Obiisse hunc Parisiis anno MDCXLV. Wadingus docuit [y].

[y] De scriptoribus ord. Min.

180. Jacobus Januarius Catalanus edidit *Ingressum rerum intelligibilium Raymundi Lulli* anno MCDXC. in folio, sine loci nota. In hujus editionis initio dicitur editus liber à *Magistro Jacobo Januario Catalano monacho Cisterciensi, qui dicat eum ad Fr. Didacum de Mendoza abbatem cœnobii Crucum in monasterio ejusdem ordinis.*

181.Va-

181. Valerius de Valeriis patricius Venetus *Aureum opus in Arborem sciĕtiarum*, & *in Artem generalem*. Primùm, ut jactatur, editum in editione jam dicta Zetzneriana *Artium Lulli* anno MCDIX. Sed de editione antiquiore Augustana anni MDLXXXIX. in 4°. certiores facti sumus.

182. Henricus Cornelius Agrippa, *Commentaria in Artem brevem*.

Hugo Carbonellus, vulgò *Carbonet*, Gallus Tecto-sagus, ordinis Minorum, *Artis Lullianæ, seu memoriæ artificialis secretum explicitum, oratoribus & prædicatoribus utilissimum*. Parisiis apud Joann. Laguehay MDCXX. in 8°.

Joannes Henricus Alstedius, *Clavim Artis Lullianæ*. Argentorati an. MDCXXXIII. in 8°.

Alphonsus de Cepeda Hispanus miles *Arbol de la ciencia de Raymundo Lullo, nuevamente traducido y explicado*. Bruxellis ann. MDCLXIV. in folio.

183. Augustinus Nuñez Delgadillo Hispanus, Carmelita, *Breve declaracion del Arte de Raymundo Lullo*. Granatæ MDCXXIII. in 8°.

Franciscus Marzal, Minoricensis, ordinis Minorum, professor Lullianæ Artis apud Baleares, *Artem generalem ultimam à se correctam, districtiùs divisam, Notis marginalibus ornatam, & indicibus locupletatam*, unà & *Archiologium vitæ & doctrinæ ejusdem Lulli*. Palmæ Balearium apud hæredes Gabrielis Guasp MDCXLV. in 4°.

184. Jacobus, sive Jaimius, Januarius, Cisterciensis monachus Sanctarum-Crucum Tarraconensis diœcesis, *Artem metaphysicalem naturalem ordinis cujuslibet rei intelligibilis Arboris naturæ, ad intelligendos omnes libros artesque Raymundi, ac etiam cæterorum omnium*. Valentiæ apud Leonardum Butz MDVI. in 8°.

Petrus Ciruelo Hispanus, Darocensis, unam ex *paradoxis decem* suis *quæstionibus*, *De arte Raymundi Lulli in metaphysica* nuncupavit. Quæ editę sunt Salmanticę MDXXVIII. in 4°.

185. Petrus de Guevara Hispanus, Belsoradensis, *Arte general para todas las ciencias en dos instrumentos recopilada del Arte magna, y* Arbor scientiæ *de Raymundo*. Matriti an. MDLXXXIV. & MDLXXXVI. in 8°.

Petrus Hieronymus Sanchez de Lizarazo, Aragonius, *Methodum generalem ad omnes scientias faciliùs & citiùs addiscendas, in qua Raymundi Ars brevis explicatur, & multis exemplis, variisque quæstionibus ad praxin apertissimè reducitur*. Turiasone ann. MDCXIII. & MDCXIX. in 4°.

Hi omnes *Artem* seu *Artes* exornârunt, seu interpretati sunt. Chimicæ verò Raymundi institerunt. Plures alios Majoricenses Raymundi cives laudat Vincentius Mut, qui huic Spartæ ornandæ operam suam applicuere, *Historiæ Balearicæ* altero volumine lib. 8. cap. 6.

186. Andreas Libavius, scribens *expositionem sinceram Lulli & Arnaldi cum scholiis*. Franco-furti apud Kopffium in 8°. ut est apud Borellum in *Bibliotheca Chimica* [a]. [a] Pag. 131

Joannes Gerardus, *Arcanum Lullianum* Ulmæ MDCXL. in 8°. *Commentaria perbrevia in Apertorium Lulli de lapide philosophico, & interpretationem Testamenti ejus novissimi* Tubingæ MDCXLVIII. in 8°. teste eodem Borello [a]. [a] Pag. 241.

CAPUT IV.

De GUNDISALVO DE HINOJOSA, *ejusque* Compendio historiarum Regum omnium Christianorum. *De* ANTONIO ANDREA *ordinis Minorum, Joannis Duns Scoti auditore*: & HIERONYMO MICHAELE CARMELO *Mercenariorum sodali*: *atque item* AUFREDO CONTER *Catalano Minorita*. *Laudantur scriptores de paupertate Christi & Apostolorum diversa sentientes*. *De* DIONYSIO GALVAON *Lusitano, Bracarensis Ecclesiæ archidiacono*. *De* GIRALDO *quodam* Rei veterinariæ atque accipitrariæ *scriptore*. *De* MENDO VASQUEZ DE BRITEIROS *Lusitano, Cisterciensi monacho, ejusque historia*. *De* RAYMUNDO MONTANER *egregio milite, & historiarum ævi sui auctore*: & EXIMINO PETRI SALA-NOVA, *Justitiâ* (ut vocant) *Aragoniæ regni, atque ejus* Observantiarum *doctissimo opere*: GEORGIO *item* JAFER *Aragoniæ Vice cancellario, fororum glossatore*. *De* GOFREDO DE BIURE *Tarraconensi canonico*: *deque* RAYMUNDO ALBERTI *Mercenariorum præfecto generali*, SANCIO DE ULL *Carmelita, Episcopo Albarracinensi*, & DIDACO ÆGIDIO, *ejusdem instituti*. *De* GUILIELMO DE RUBIONE *Minorum ordinis*. JOANNEM DE ARAGONIA, *Jacobi II. filium, Toletanumque Archiepiscopum conciones scripsisse*. ALVARI PELAGII *Franciscani munera, & erga Ecclesiam merita*: *ejus* De planctu Ecclesiæ *opus celeberrimum laudatur, aliaque*. *De* ALPHONSI BURGENSIS *ex Hebræo Christiani libro* Bellorum Domini, *Hebraico & Hispano*. *D. Julius Bartholoccius Cisterciensis* Magnæ bibliothecæ Rabbinicæ *auctor, laudatur*. *De* JACOBO DE MONTE-JUDAICO, *sive* DE MONT-JUI, *Usaticorum, uti appellant, Barcinonensium glossatore*, & ANONYMO *Aragoniæ chronographo*. *Forsan is est* PETRUS MARSILIUS *monachus Pinnatensis*. JOANNEM VALLIS-OLETANUM *ex Hebræo conversum*, De concordia legum *scripsisse, cujus operis singularia quædam ex* Fortalitio fidei *annotantur*.

187. D. GUNDISALVUS DE HINOJOSA, cujus parentes Joannem Diazium de Hinojosa & Majorem Alvari laudat in *Genealogico suo opere* D. Petrus Comes Barcelensis Portugalliæ Infans, circa annum MCCCXIII. creatus Burgensis Episcopus, gavisus fuisse dicitur eo munere usque ad MCCCXIX. quo in sede sua diem obiit. Fertur is elucubrâsse *Compendium* seu *Abbreviationem* (ita forsan appellavit) *historiarum Regum omnium Christianorum*, ad suum quo vixit tempus: quam Hieronymus Surita no-

notum habuit, siquidem in prologo ad *emendationes & animadversiones* à se factas *ad historiam Regum Castellæ Petri Henrici, & Joannis* à Petro Lupi de Ayala conscriptam, hujus Breviarii meminit.

188. ANTONIUS ANDREAS, ex provinciæ Aragoniæ Franciscanorum, qui inter Joannis Duns Scoti auditores cum Joanne Bassolio, Francisco Maironio, Alvaro Pelagio nostro, Gualtero Burleo, Guilielmo Ochamo, Joanne de Janduno, scriptoribus his omnibus, aliisque, vulgò enumeratur, *Fidelissimum sui magistri sectatorem, doctoremque* (ut nuncupare amavit hæc ætas ejus) *dulcifluum*, Wadingus in Annalibus hujusce ordinis vocat [b], eidem sequentia in *De scriptoribus* adscribens opera :

b Tomo 3. ann. MCCCVIII. num. 61.

189. I. *Commentarios in artem veterem Aristotelis, scilicet in Isagogen Porphyrii, prædicamenta, & postprædicamenta Aristotelis*. Incipit: *Gyrum cœli circuivi sola*. Prodiit in folio, exstatque in Barberina bibliotheca.

190. II. *In libros sex principiorum Gilberti Porretani*. Incipit: *Sumens reliquias dedit eis*. Gilbertus Porretanus hic Pictaviensis Episcopus sub Eugenio III. Papa, & Friderico I. Imperatore. De quo multis agit Otto Frisingensis lib. 1. *De gestis Friderici* cap. 46. & sequentibus, alia inter theologica, librum hunc *sex principiorum*, sive *supplementum Categoriarum Aristotelis*, scripsit.

191. III. *In libros Peri-hermenias Aristotelis*. Incipit: *Tu ergo Balthassar interpretationes narra*.

192. IV. *In librum divisionum Boëthii*. Incipit: *Qui divisit mare rubrum in divisiones*. Omnes hi Venetiis simul uno volumine anno MCDLXXX. ex officina Octaviani Scoti, anno MDIX. ex Simonis de Lucre: anno tandem MDXVII. è Lucæ Antonii Juntæ, in folio semper, prodierunt.

193. V. *In octo libros physicorum*.

194. VI. *In* XII. *libros metaphysicæ*. Incipit & hic commentarius: *Cœli gyrum circuivi sola*, qui ab nonnullis existimatur non hujus, sed Joannis Scoti præceptoris esse. Laudat tamen. Lucas Wadingus anonymi Franciscani vetustioris MSS. commentarios ad istud opus, quod quidem auctor Antonio Andreæ adscribit. Editum quidem fuit primùm Venetiis ab Octaviano Scoto anno MDXIII. in folio, & anno sequenti bis ibidem à Georgio Arrivabenio, correctum quidem operâ Fratris Angeli Lucidi Firmani, & à Gregorio de Gregoriis; correctum quoque industriâ Fr. Francisci de Valentia provinciæ Genuensis, quam utramque editionem habere se ajebat Wadingus.

195. VII. *In quatuor libros Sententiarum*. Incipit: *Circa prologum primi Sententiarum*. Opus quidem valdè doctum (Wadingus ait) quod cùm diu latuisset, Fr. Constantius Cardinalis Sarnanus Minorita, è tenebris erutum atque expolitum, & locupletibus indicibus, atque ad marginem annotationibus illustratum, emisit Venetiis apud Damianum Zenarium anno MDLXXII. quod & prodiit iterum MDLXXVIII. Cardinalis jam dictus Sarnanus ita de Antonii nostri, & horum commentariorum doctrina, censet. *Denique ut hujus libri commoda uno verbo* (inquit) *absolvam, tanta claritatis & facilitatis laude (quod præcipuè mireris in subtili doctrina) omnia pertractavit, ut dubio procul clarissimam facem Scoti præ subtilitate obscurissimis scriptis adhibuerit, ut horum librorum adminiculo nemo jam possit dubitare, quin nullo negotio difficillimum doctorem facillimum habet*. Hæc Sarnanus.

196. Floruit circa annum MCCCXX. cùm Scotus magister MCCCVIII. è vita migraverit. Laudant Possevinus, Miræus, Bellarminus, Labbeus, Vincentius Blascus in *Historia Aragon.* [c] qui monet ignorari nunc, cujusnam urbis, cujúsve religiosæ domus alumnus fuerit.

c Tomo 1. lib. 5. cap. 18.

197. In ordine Deiparæ Virginis, *de Mercede* dicto, eorum, qui captivos ex instituto à Mauris redimunt, floruit sanctitate vitæ ac literarum merito HIERONYMUS MICHAEL CARMELLUS, quem ex solo cognomine, ut in more gentis est, FR. CARMELL, vulgò audiebat, in Aragonia natus. Scripsit is *in Canticum Canticorum commentaria*, quibus cùm incumberet, & in eo capitis quarti versiculo, quo totam pulchram & absque macula sponsam suam sacer sponsus celebrat, versaretur; sanctissimam Deiparam, cui tribuebat eas laudes, vivus & videns coràm adoràsse dicitur. Quod sibi indigno servo exhibitum tanti pretii beneficium posteris testatum volens; ad oram ipsius commentarii propria manu adnotavit: quod etiam num legitur, *verè pulchra est nimis, nam & ego met hisce vidi oculis*. Auctores rei habeo Philippum Guimeranum in *Historia* vernacula *domûs Podii Valentini regni*, Alphonsum Ramonem in *Hist. ordinis Mercenariorum*. Exstare verò his versibus exscriptum Barcinone Carmelli sepulchrum refert oculatus testis Petrus à S. Cæcilio in libro MS. *De scriptoribus* sui *ordinis Mercenariorum*.

Hic dormit Carmell Hieronymus Michaël ille,
Virgineisque precibus exspectat resurgere felix.

Claruisse refertur circa ann. MCCCXXII.

198. Hujus temporis scriptoribus annumerari debet FR. AUFREDUS GONTERUS, vulgò ut credimus, GONTER, Catalanus, ordinis Minorum, & Barcinone lector. Ita enim appellatur in opusculo seu scripto quodam, quod ejus notatur nomine, inter alia diversorum ejusdem familiæ tam literis quàm dignitate spectatissimorum hominum, qui in controversia sub Joanne XXII. Papa circa annum MCCCXXII. suscitata *De paupertate Christi & Apostolorum*, sententiam suam in literas retulerunt. Quæ quidem in codice Vaticanæ bibliothecæ num. 3740. signato, nescio cujus operâ collecta, leguntur. Cujus codicis specimen è summario quod præponitur dare hîc non inutile existimamus. *Hi sunt* (ait) *qui scripserunt in quæstione de bonis & usu Christi & Apostolorum secundum ordinationem libri. Prima Pars Dom. Vitalis Cardinalis Albanensis* 1. *quæstio proposita, & idem addit secundo: Ego frater Vitalis* &c. *Idem addit tertiò. Sed adhuc*. Hic est Vitalis, seu Joannes

annes Vitalis à Furno creatus Cardinalis à Clemente V. anno MCCCXII. qui obiit MCCCXXVI. de quo videnda historia ultimo edita Pontificum & Cardinalium [d], falsò contributus à non nemine [e] Hispanis scriptoribus, ut suo loco notabimus.

199. Sequitur in Vaticano codice: *Dom. Bertrandus de Turre Cardinalis. Quæritur, utrum sit hæreticum*, &c. Creatus hic à Joanne XXII. Cardinalis anno MCCCXX. qui post decem annos vitâ decessit, ut habetur in eadem *Historia Pontificia* [f], ubi & inter alia ejus opera tractatus hic *De paupertate Christi & Apostolorum* laudatur. *Dominus Arnaldus Rojardi Archiepiscopus Salernitanus: Utrum asserere* &c. Ferdinandus Ughellus vocat [g] Arnaldum Rajardum, sive Romajardum, creatum præsulem hujus Ecclesię ann. MCCCXXI. Sequitur noster Hispanus: *Frater Aufredus lector Barcinonensis: Salvator noster* &c. Deinde alii. *Fr. Monaldus Archiepiscopus Beneventanus: Ego frater Monaldus. Prędicti omnes ordinis Minorum ad eandem conclusionem intendunt; videlicet, quòd Christus & Apostoli nihil habuerunt in proprio vel communi. Secunda pars. Deinde sequitur in libro quædam brevis resumptio dominorum Vitalis & Bertrandi Cardinalium prædictorum, necnon Archiepiscopi Salernitani, Caphensis, Ulixbonensis, Paciensis, & Rigensis Episcoporum, ac Magistri Fratrum Minorum. Qui tamen dictam resumptionem ordinaverunt, non reperitur in rubrica. Tertia Pars. Illi qui contrariam conclusionem intendunt, sunt qui sequuntur*. Succeditque catalogus Cardinalium XIV. Prælatorum XXII. in quorum numero est *Fernandus Episcopus Portugalensis*, & Magistrorum variorum ordinum V. & tandem *Determinatio Parisiensis data per dominum Cardinalem Viennensem. Quæritur utrum Christus* &c. Hic necessario est Simon de Archiac Cardinalis, tit. S. Priscæ, creatus Viennensis Archiepiscopus anno MCCCXIX. ut constat ex *Galliæ Christianæ* auctoribus [h].

200. Quod attinet ad Aufredum nostrum sic legitur loco suo: *Dicta Fr. Aufredi Gonteri lectoris Barcinone ad informationem Minorum contra sequaces Magistri Guilielmi de Sancto-amore*. quæ quidem extenduntur per 23. chartæ folia. De hac re magnaque controversia, cui initium olim dederat prædictus Guilielmus contra mendicantes omnes, posterique Minorum aliqui, quos Fratricellorum nomine vocavit Romana censura, cum Michaële Cęsenate Generali eorum Ministro, eâdem ferè viâ contra religiones alias obstinatè propugnaverunt, sentientes Christum Dominum atque ejus Apostolos nullum dominium, neque quantum ad mobilia, neque quantum ad immobilia, neque in communi, neque in particulari, habuisse, Nicolai III. Papæ auctoritate [l] se tuentes, cum verus sensus Nicolai fuerit à Joanne declaratus [k], eundem Dominum nostrum & Apostolos quantum ad immobilia, tam in communi, quàm singulares, nullo, quantum autem ad mobilia proprio dominio fuisse usos; agit, inquam, multis continuator Baronii doctissimus, gesta hujus temporis in *Annalibus* memorans [l]. Qui adjungit, Minores illos suprà memoratos, qui contrà senserant, declarationi sedis Apostolicæ ex animo acquievisse [m]. Meminit certè hujus codicis Raynaldus, quem nos in Vaticana vidimus, indeque suprà posita desumpsimus.

201. DIONYSIUS GALVAON Lusitanus, Bracarensis Ecclesiæ archidiaconus, jussu Dionysii Portugalliæ Regis, qui XXV. anno hujus sęculi ad superos abiit, partem aliquam Gastonis Fuxii operum in vernaculam hujus regni vertisse linguam dicitur, Georgio Cardoso si credimus, in schedis ad *Bibliothecam Lusitanam*, quas nos vidimus, testimonium ferenti. Gastonis tamen Fuxii unicum laudatum opus novimus *De canibus & accipitribus*, Gallicum, ut par est credere.

202. Ejusdem Regis præcepto obsequutus GIRALDUS quidam, scripsit librum *De albeiteria y volateria*, hoc est, veterinariæ artis & accipitrariæ, quam vidit MS. in folio idem Georgius Cardosus, inque schedis laudatis annotatum reliquit.

203. Ad idem Dionysii Regis tempus Lusitani referunt MENDI VASQUEZ DE BRITEIROS Cisterciensis monachi memoriam; eique historica quædam Latinè exarata fragmenta adjudicant, si Georgius Cardosus in iisdem schedis non fallit.

204. RAYMUNDUS MONTANER [n], Peraladæ in Catalonia ex Joanne parente natus, strenuus fuit superioris fine sæculi atque hujus initio miles, ac belli dux, & in emerita senectute accuratus historiarum scriptor. Undecim annorum puer se se militiæ addixit, ab ea ætate Petri Magni, atque ejus filiorum Alphonsi III. & Jacobi II. Aragoniæ, Friderique, amborum fratris, Siciliæ, Regum castra sequutus; nunquam non in bellorum congressibus, quotquot auspiciis ductuve horum facta sunt, ducibus suis probata operâ. Interfuit (quod ipsimet referenti credimus) triginta duobus terrâ marique commissis prœliis. Sæpe captus, carceribus inclusus, multisque ærumnis maceratus fuit. In expeditione illa præcipuæ celebritatis Aragonensium & Catalanorum, qui sub Friderico Siciliæ Rege olim meruerant, quietisque impatientes & gloriæ cupidi, pacato jam Siculo bello, in orientem Græcorum Imperatori Andronico Palæologo ęgrè sese adversus Turcarum vim tuenti opem & auxilium pręstituri, classe vecti sunt, diuque ibi etiam cum ingratis amicis gesto bello victoriam ferè semper pauci ab innumeris reportârunt, Raymundus magna pars fuit [o]. Gallipolim Thraciæ urbem an. MCCCVIII. ab impressione Genuensium, dum in oriente adhuc versaretur [p]; Meningem Africæ insulam (*los Gerves*, aut *Gelves*, vulgò) à Maurorum exercitu Friderici Regis Siciliæ auspiciis anno MCCCXIII. præfectus servavit.

205. In Hispaniam reversus, Valentiæ, unde uxorem duxerat, civis mansit; sexagintaque jam annis natus rerum tempore suo ab Aragoniæ gestarum Regibus, & ab eorum subditis historiam anno sæculi XXV. aliàs XXXV.

scri-

d Tomo 2. in 1. creatione Clem. V. col. 385.

e Petro de Alva in *Militia Conceptionis*.

f Eodem tomo 2. col. 415. in 3. creatione Joannis XXII.

g *Italiæ sacræ* tomo 7. col. 614.

h Tomo 2. pag. 807.

i In cap. *Exiit* 3. *De V. S.* in 6.

k Extrav. Joannis XXII. *De V. S.* cap. 3. & sequentibus.

l Raynaldus tomo 15 ad an. MCCCXXII. num. 51. & seqq. & anno MCCCXXIII. num. 31 & sequentibus.

m Anno MCCCXXIII num. 61.

n Raphael Cervera in nota marginali ad *Hist. Bernar. de Desclot* lib. 3. fol. 189. & 158.

o Surita lib. 6. *Annal. Aragoniæ y* Moncada *Expedicion de Catalanes y Aragoneses* cap. 48.

p Surita d. lib. 6. cap. 13.

ſcribere aggreſſus fuit, quod & ſumma fide *αὐτόπτης*, hoc eſt, à ſe viſorum enarrator, fecit, vernaculâ gentis linguâ, qua ſic titulus concipitur: *Chronica, ò deſcriptiò dels fets & hazanyes del inclit Rey D. Jaume primer, Rey de Aragò, de Mallorques, e de Valencia, e de molts de ſos deſcendents*. quæ edita fuit Valentiæ typis viduæ Joannis Mey MDLVIII. in folio, indeq́ue Barcinone MDLXII. in folio. Hanc neſcio quis in ſermonem Hiſpanum converſam Barcinone etiam prodire fecit anno MDXCV. in folio. Ms. fuit in bibliotheca Comitis Ducis de Olivares. Neſcio autem deferenda ne ſit fides aſſerenti non nemini ac pro ſe laudanti monaſterii librum *de los linages de Cataluña*, cùm vix illius temporis, quo vixit Montanerius, hocce ſtudium videatur. Meminit ſæpe hujus viri cum laude Hieronymus Surita lib. 6. *Annal. Aragoniæ* cap. 6. 13. & 19. & lib. 7. cap. 1. Gaſpar Eſcolanus in *Hiſtoria Valentina* lib. 7. cap. 3. D. Franciſcus de Moncada Oſonæ Comes in libro *Expedicion de Catalanes y Aragoneſes contra Turcos y Griegos*, paſſim.

206. Iiſdem Aragoniæ Regibus Jacobo I. Alphonſo III. & Jacobo II. æqualis, & *lumen* (Hieronymi Blancæ verbis [q]) *& ornamentum Aragonenſis* fuit *reipublicæ*, EXIMINUS PETRI SALA-NOVA anno retroacti ſæculi quarto ſupra nonageſimum ob inſignem patrii Juris, totiuſq́ue antiquitatis peritiam, animi virtutem, doteſq́ue innocentiæ, integritatis, ſeriæq́ue benignitatis, quæ hominem gerendæ reipublicæ in primis idoneum conſtituunt, ad munus iſtius regni maximum, *Juſtitiæ Aragonum* quod audit, exaltatus. Quod quidem ſumma omnium ordinum laude in ſumma principis ſui Jacobi II. gratia & exiſtimatione diu geſſit. Nulla enim ſucceſſoris mentio ante ann. MCCCXXV. reperitur monumentis ſignata, quæ quidem ante oculos habuit Hieronymus jam laudatus Blancas, vir diligentiſſimus atque doctiſſimus, ab altero Hieronymo Surita nempe aliquantulum in aſſignando hujus Sala-novæ magiſtratus tempore diſcedens; videndus ipſe omnino [r], totus in ſummi atque omnium monumentorum genere ſacratæ memoriæ viri laudes effuſus.

207. *Ab eo autem* (ait de lucubrationibus Eximini loquens) *quod ille tum diuturna obſervatione notâſſet, tum notata ab aliis, quæ diffuſa & diſſipata erant, coëgiſſet, in genera*, Obſervantiæ Sala-novæ *dictæ ſunt, cujuſmodi* (ait) *ſatis multa exempla protulimus, dum locum illum de antiqua Ricorum-hominum dignitate tractavimus* [s], *itidemq́ue reſponſa, ex iis quæ extant, nonnulla, Jacobo Regi II. de publico jure ſciſcitanti data*. Iterum ipſe, neque minùs dignè, de eximio juſtitiæ apice alibi tractans, *magnus ille, clarus & præſtans Eximinus Petri Sala-nova, Joannis Zapatæ ſucceſſor, nomine ac memoriâ digniſſimus vir. Qui, ut Marcus ille Varro Romanæ antiquitatis, ſic ipſe noſtræ diligentiſſimus inveſtigator fuit; earumq́ue rerum ſcientiam, quæ apud nos ſolo uſu conſtabant, à majoribus acceptam, auctamq́ue per ſe ſe pluribus, quàm antea, ac illuſtrioribus literis explicavit. Eas autem, quòd ab ipſo collectæ fuerint,* Sala-novæ obſervantias *appellamus*. Hæc ille.

208. Manu quidem exaratas oportet eas per manus curioſorum currere, aut in archivis aſſervari, quarum editionis non ullam reperimus mentionem habitam. De genere autem ſcriptionis nec idem diſſimulat [t], accurata eſſe omnia, & quamvis exilia & ſine apparatu, ordinem tamen habere ac firmitatem. *Leges* idem noſter *regni* veteres, quæ vernaculo gentis ſermone dictatæ fuerant, Latino reddidit, è Regis regniq́ue conſenſione, uti idem Blancas refert [u]. Meminit quoque Sala-novæ Surita lib. 5. *Annal. Aragoniæ* cap. 8. & lib. 6. cap. 31.

209. Hujuſmet Regis Jacobi II. Aragoniæ Vice-cancellarius fuit GEORGIUS JAFER, quem in regno Valentiæ natum Gaſpar Eſcolanus monuit [x], quemq́ue hoc munere functum fuiſſe ex privilegio quodam ejuſdem Regis conſtat, uti docet Franciſcus Hieronymus Leonius deciſione quarta libri primi ſuarum *Aragoniæ regni deciſionum*. *Gloſſas* hic ſcripſiſſe dicitur *ad Foros ſive leges Valentini* ſui *regni*.

210. Circa hæc tempora vixit GOFREDUS (vulgò JOFRE) DE BIURE, doctor Juris opinatiſſimus, canonicus & archidiaconus S. Fructuoſi ſedis Tarraconenſis, qui *ad conſtitutiones* hujus Eccleſiæ *commentaria* edidit, Joanni Archiepiſcopo, idemq́ue Patriarchæ Alexandrino, idibus Junii anno MCCCXXXVIII. quod ex operis initio conſtat, nuncupata. Exſtitit olim in bibliotheca Antonii Auguſtini ejuſdem Eccleſiæ antiſtitis clariſſimi manu exaratum opus cum hac inſcriptione: *Scholia & gloſſæ in conſtitutiones aliquot provinciales ad Joannem Epiſcopum*. Refertur quoque ad eaſdem conſtitutiones PETRUS ejuſdem cognominis DE BIURE nonnihil lucubrationum dediſſe, niſi error ſit in nomine.

211. RAYMUNDUS ALBERTUS (vulgò ALBERT) Barcinonenſis, clarus natalibus, Alberti Romeu Catalani Artaldæq́ue à Puejo Aragonenſis filius, præfectus generalis ſacræ ac religioſæ familiæ S. Mariæ de Mercede, à S. Petro Nolaſco fundatore octavus; attamen primus eorum, qui regularem & ſæcularem hujus inſtituti familiam ſimul habuere, Jacobo eidem Regi II. eloquentiæ, pietatis, prudentiæ inſignium, nomine commendatiſſimus.

212. Cùm theologiæ is, atque Eccleſiaſticorum canonum ſolidè eſſet peritus, zeloq́ue perfectionis æſtuaret totus; ordinavit ſodalibus ſuis Breviarium, Miſſale, ac Cæremoniale libros; item conſtitutiones, quæ quidem in generalibus anni MCCCXXVII. comitiis Barcinonenſibus promulgatæ etiam nunc obſervantur. *Acclamationes* etiam *catholicas pro Eccleſiaſticis honoribus*, ſive admonitionem pro immunitate bonorum Eccleſiaſticorum. Laudantur & alii ejus tractatus, *De reſignatione propriæ voluntatis*; nec non *De obedientia*, aliuſq́ue ita nuncupatus: *Horæ recreationis*, tandemq́ue *Monitiones ad orationem*. Quæ ultima vernaculo ſermone ab eo conſcripta ſuſpicamur.

[q] In *Arag. rer. comm.* infrà iterum laudandis.

[r] In laudatis *Commentariis rer. Aragon.* ſub tit. *Juſtitiæ Aragonum* §. 29. quæ in *Hiſp. illuſtratæ* corpore eſt tomi 3. pag. 802.

[s] Pag. ſcilicet 729. ejuſdem corporis.

[t] Pag. 802.

[u] Idem Blancas pag. 751.

[x] Lib. 5. *Hiſt. regni Valent.* cap ultimo §. 10.

213. Paullò ante mortem creatus dicitur à Joanne XXII. Papa S.R.E. Cardinalis, mirisque virtutibus totâ vitâ floruisse. Decessit Valentiæ anno MCCCXXX. jacetque in Podii Valentina Mercenariorum domo, ejusque exuviæ magna cum veneratione, utpote hominis sanctitate conspicui, asservantur: de quo latè agunt hujusce ordinis historici, Franciscus Zumel, Bernardus de Vargas in *Historia ordinis Mercenariorum*, in qua & Alphonsus Ramon, & Marcus Salmeron, atque Philippus Guimera, in *Historia* laudatæ *domûs Podiensis Valentinæ*, Alphonsus Ciaconius *De vitis Pontificum* in 6. creatione Joannis XXII.

214. SANCIUS DE ULL, sive DE UL, ab Aragoniæ oppido hujus nominis desumpto forsan nomine; cujus incolæ cum aliis in novum castrum *el Real* dictum in confinio Navarræ regni versus Sanguesam auspiciis & jussu Jacobi II. Regis ędificatum an. MCCCL. commigravere, quod Hieronymus refert Surita lib. 5. *Annal. Aragon.* cap. 49. unde Sancium de Ul in oppido *el Real* natum fuisse pręposterè & inadvertenter Carmelitanis excidit scriptoribus, excepto, qui rem vidit, deque ea monuit *Speculi Carmelitici* novum scriptorem Belgam, qui parte 5. lib. 3. de hoc agit, amico nostro P. M. Fr. Ludovico Petri à Castro cœnobii *S. Mariæ* Trans-pontinæ studiorum pręfecto, doctrina, eruditione, ac pietate nulli non in urbe commendatissimo.

215. Carmelitarum hic professus religiosum ordinem in curia Avenionensi, quæ vulgò tum Romana audiebat, sub Joan. XXII. Pœnitentiarii munus exercuit: aliis eidem Papæ à confessionibus fuisse dicitur. Albarracinensis autem factus in Aragonia Episcopus Martio mense MCCCXIX. vigilanter ei pręfuit muneri, ejusque jura adversus Valentinum Archiepiscopum defendit, ob caussam, de qua latè agit Hieronymus Surita lib. 6. cap. 76. Segobricensi mox Ecclesiæ datus antistes fuit. Mortuus tandem an. MCCCLVI. Avenione. Tribuuntur huic

216. *Canones pro animarum regimine & pastorum spiritualium cura*, libris duobus, qui, ut fama est, in Albarracinensis Ecclesiæ archivo custodiuntur. Meminit Joannes Trithemius libro *De viris illustribus Carmelitis*, & Carmelitani historici, Romanus in *Elucidario hujus ordinis*, Lezana in *Annalibus* ejusdem. Jacet in sacello undecim millium virginum Ecclesiæ Cathedralis Segobricensis, quod ipse vivus ædificaverat, sed nostris diebus ab alio antistite ejusdem Ecclesiæ & ordinis Anastasio Vives in honorem decessoris sui insigniter ornato.

217. Ejusdem Carmelitarum ordinis Lusitanæ provinciæ pręfectus, MCCCXXXV. creatus fuit DIDACUS ÆGIDIUS (vulgò GIL) qui domus Ulyssipponensis jam Prior fuerat. Qui quidem scripsisse dicitur librum *De fundatione & monumentis* ejusdem ordinis, Lusitanè, ut credimus: cujus rei adducere testem possumus Rev. P. Fr. Emmanuelem à Resurrectione Lusitanum ex Reformatis S. Augustini, rerum Lusitanarum curiosissimum.

218. GUILIELMUS DE RUBIONE, civibus ejus de RUBIO, ex oppido *Villa-franca* regni Aragoniæ ac territorii sacri Cęsar-augustani, ordinis Minorum, circa hęc tempora celebrabatur scriptis *In quatuor libros Sententiarum commentariis*, quos duobus voluminibus edidit Parisiis Jodocus Ascensius anno MDXVII. & MDXVIII. in folio. Meminere Wadingus in *Scriptoribus ordinis Minorum*, Vincentius Blascus in *Historia Aragoniæ* tomo 1. lib. 5. cap. 40. Gonzaga *De origine & progressu* ejusdem *ordinis in provincia Aragoniæ*, Verderius in *Supplemento bibliothecæ Gesnerianæ*.

219. JOANNIS DE ARAGONIA, Jacobi Regis Aragoniæ II. tertiò geniti ex Blanca Regina, *liber concionum Euangelicarum* custoditur manu exaratus in Valentina Ecclesia, qui eò advectus fuisse ex bibliotheca Neapolitana Alphonsi V. Regis magni hujusce regni expugnatoris refertur. Abbas hic fuit Montis-Aragonis, electus inde in Toletanum antistitem circa annum MCCCXX. Huic sedi usque ad MCCCXXVII. præfuit. Hinc translatus ad Ecclesiam Tarraconensem, quam tenuit, Alexandrino Patriarchatu per idem tempus à Papa ornatus. Obiit in oppido *Povo* dicto diœcesis Cæsar-augustanæ XVIII. Augusti MCCCXXXIV. Vide sis Suritam in *Annalibus regni Aragoniæ* [y]. Quod autem de concionum libro diximus in *Historiæ Toletanæ Ecclesiæ* parte 3. cap. 35. §. 1. Didacus de Castejon & Fonseca Turiasonensis Episcopus refert.

[y] Lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 22. & 64. & lib. 7. cap. 26.

220. Splendidissima quidem fax dissipandæ horum temporum caligini, quâ excæcatus omnis ferè status hominum vitia palam virtutum loco amplectebatur, doctrina fuit ALVARI PELAGII. Lusitanus, aliis Gallæcus, hic, (unde domo, ignoratur) vernaculè *Alvarus Paëz* à civibus suis appellatus [z], (Wadingo tamen, ex quibusdam monumentis Pontificiis dispensantibus circa quendam defectum natalium, *Alvarus Pajo*, seu, *de Sampajo*, est) ad ordinem sodalium Minorum, & provinciam S. Francisci admissus fuit Assisii à Gundisalvo de Valle-bona, sive, *de Valboa*, Hispano, Ministro eiusdem Generali, anno MCCCIV. quo exquisita quadam laude donato id ipse, quod dicimus, refert [a].

[z] Marcus de Lisboa in *Chr. Francisc.* Hisp. linguâ scriptis lib. 15. cap. 33.

[a] *De planctu Eccles.* lib. 2. cap. 33.

221. Prius Bononiæ sub optimis præceptoribus, inque his Archidiacono (uti vulgò audit) Jus canonicum perfectè didicerat, cui, nescio ubi, theologica studia primum adjunxit, atque in eodem gymnasio pileum doctoralem susceperat, cujus rei ipse meminit, dum doctorum Bononiensium, & aliorum malas eò dignitatis perveniendi artes acriter insectatur [b], & in principio magni operis *De planctu Ecclesiæ* jam laudandi. Eo tempore quo Franciscanis jam addictus vivebat, Joan. Scotum Parisiis audire potuit, cujus discipulum vulgaris tum fama prædicat. Certè horum numero Lucas Wadingus, dum Scoti discipulos famâ clariores laudat [c], (renitente quamvis Matthęo Ferchio Scoti propugnatore) constanter, ac ne famæ derogare videatur, accenset. Neque enim nisi post quatuor annos Scotus diem suum Parisiis obiit.

[b] Ubi suprà cap. 33.

[c] Tomo 3. *Annal. Minor.* ann. MCCCVIII. num. 61.

222. Man-

222. Mansit is fortè in Gallia usque dum Michaëlis Cæsenatis, Ministri ordinis Generalis, adversus Joannem XXII. Papam superbiæ cristas erigentis, exauctoratio Parisiis anno MCCCXXIX. in comitiis generalibus suscepta fuit; cujus temporis est quædam ad Alvarum hujus Pontificis epistola [d], quâ eum, licèt aliàs è sinistra relatione sibi suspectum, de improbato Cæsenatis schismate laudat, & in posterum admonet in defendenda Ecclesiæ auctoritate constanter & laudabiliter perseverare. Nec dubito quin ea occasione ad curiam vocatus, jubente Pontifice, navandæ huic in scriptis operæ sese accinxerit. Fatetur enim *De planctu Ecclesiæ* opus cœptum à se Avenione sequenti anno MCCCXXX. qui fuit Joannis decimus quartus, ut postea dicemus.

223. Biennio exacto Coronensis in Achaia Episcopatus titulum obtinuit [e]. Intereaque in curia manens Pœnitentiarius Papæ fuit: quod munus, *officialis in pœnitentiali officio indigni* vocabulo, designat ipse toties nominatum librum absolvens. Cardinalem S.R.E. creatum fuisse percrebuit fama, cui credidere quidam ex Franciscanis [f], atque item Ludovicus Gomezius in procemio ad *regulas Cancellariæ Apostolicæ*, ubi antiquissimum Cardinalem eumpse appellat; sed falsa ea, nullique hujus temporis monumento innitens [g]. Plane Sylvensem, id quod in comperto est, Ecclesiam Portugalliæ seu Algarbiorum regni adeptus, in patriam remeavit. Nec tamen fato ibi functus est. Nam in templo S. Claræ monialium Franciscanarum Hispali, quò delatus nonnullius, ut credere par est, officii caussâ fuerit, sepulturam, quæ vel hodie exstat, sortitus fuit; egregiorum operum auctor, quæ jam ostendimus, & in primis laudatissimam illius

224. I. *De planctu Ecclesiæ* ad Petrum Gomezium S.R.E. Cardinalem titulo S. Praxedis: quem editiones in Gomezium Hispanum totius ordinis Ministrum Generalem absurdissimo errore transformaverunt, cùm ex contextu ipso, & operis principio, id quod dicimus constet. Qui quidem fuit D. Petrus Gomez Barroso Toletanus à Joanne XXII. Cardinalis ex Episcopo Carthaginensi anno hujus sæculi XXVII. creatus [h]. Libros duos opus continet. Primo de statu, secundo de planctu Ecclesiæ agitur, & quidem acerrimè atque doctissimè, ore veré Apostolico, in publicum veluti prodire jussis, ac severissimè correptis, omnium statuum vitiis; ita ut mirum videri debeat, auctori eò usque procedere licuisse in curia Pontificis, & coram collegio Cardinalium scribenti de Paparum & Cardinalium defectibus lib. 2. cap. 16. id quod vix hodierna verecundia pateretur permitteretve. Quapropter derogare Alvarum externæ Ecclesiæ amplitudini in hoc ejus *Planctu*, ut extolleret Minorum paupertatem, quodammodo voluisse, Odericus censet Raynaldus [i].

225. Editionem vetustam & obsoletam (Ulmensem intelligo anni MCDLXXIV. cujus ex Gesnero Possevinus meminit, aut forsan Lugdunensem anni MDXVII.) renovavit Nicolaus Tintus quidam, physicum sese appellans, apud Sansovinos typographos Venetiis anno MDLX. præfixâ nuncupatoriâ ad Aloïsium de Toleto Petri Neapolitani quondam Pro-regis filium. Cujus quidem Tinti optimo judicio, *vir summus* (Alvarus) *& ad expellendas errorum tenebras, restituendamque veritatis lucem natus, qui in hoc opere quæcumque homines piè ac sincerè de Christiana religione sentientes diligenter quærere consueverunt, omnia ita subtiliter, eruditè, disertèque persequutus est, ut quantum heroibus illis, quorum virtus exitiosa monstra, idest vitia, extinguebat, antiquitas debuit, tantum nos hujus ingenio, industriæ, pietati debere videamur*. Idem lectorem præmonens, *utilissimum* esse arbitratur *opus, non solùm ad constituendam Christianam Rempublicam, ab hæreticis labefactatam propè ac convulsam; verùm ad suppeditandam rationem veluti quandam doctoribus, quâ in viam rectam cæteros mortales possint deducere, concionatoribus verò ad rerum ac sententiarum sylvam comparandam, omnibus denique ad vitam piè sancteque degendam*. Statimque Sanctum Antoninum Archiep. Florentinum ait tanti hoc fecisse, ut *de manibus eum nunquam dimitteret, cujus etiam aliquando summa cum aucloris laude meminit* [k].

226. In eo tamen Tintus, ne cum eo alii decipiantur, evitandus est, quòd significare videtur scripsisse Alvarum post Concilium Constantiense, tot annis ab ejus morte celebratum. Cœpit quidem hocce opus noster Avenione, Joannis Pontificis, quem *de Cadurco* (hodie *Cahors*: inde enim erat in Gallia oriundus) vocat, anno XIV. quo tempore schisma Petri de Corbario, qui Nicolaum V. sese vocari Ludovici Bavari auspiciis faciebat, maximè viguit; quem Petrum describit ipse in dedicatione operis, quod absolvit anno MCCCXXXII. ut ipse ait in fine libri secundi, notâ istâ adjunctâ, *manu propria una vice correxi & apostillavi anno Domini MCCCXXXV. in Algarbia Portugalliæ, ubi fum præsul in villa Ramra. Secundò correxi & apostillavi in S. Jacobo de Compostella anno Domini MCCCXL.* Villæ nomen, fortè Arabicum, degeneravit jam, ut credimus, in quodvis aliud, de quo illius provinciæ vernacula consulenda erit geographia.

227. Magnum fecisset operæ pretium, si quis recoqueret utilissimi libri, rarò vænalis, editionem. Mss. codices servantur in Vaticana bibliotheca, & ducali Urbinatensi, quæ Vaticanæ jam adjuncta fuit. Vidimus nos Vaticanum codicem MS. 4280. in quo descriptus est Alvari commentarius hic, satis grandem, cum effigie Papæ sedentis in throno, & Cæsaris ab eo gladium è genibus accipientis inter quosdam religiosos sodales, Franciscanum, quo fortè significatur auctor, Carmelitanum, & Benedictinum, &c. Subjicitur scutum quoddam insignium quadripartitum, in cujus primo & quarto sinubus nigri duo leones super albis & rubris fasciis, in secundo autem ac tertio fasciarum rubrarum

d Apud Wadingum tom. 3. ann. MCCCXXIX. num. 8. & 9.

e Wading. an. MCCCXXXII. num. 7.

f Marianus Florentinus in *Fasciculo Chr. ordin. Minor.* lib. 4. cap. 3. 9. Gonzaga *De orig. ord. Minor.* eoque laudato Ant. Daza 4. par. *Hist. ejusd. ord.* lib. 1. cap. 22.

g Vide Victorell. in *Addit. ad Ciaconii Pontific. Vitas in Joanne XXII.*

h Ciaconius *De vitis Pontific. in Joanne XXII.*

i In *Annalibus Eccles.* tomo 15. ad ann. MCCCXXXII. num. 10.

k Parte 3 *Hist.* tit. 24. cap. 8. §. 2.

rum & aurearum, in medio scutulum minus, tria lilia continens, depicta visuntur. Præcedit opus hoc *Francisci de Toleto in theologia magistri archidiaconi de Artigia* (de *Ecija* est, ut credimus, in Ecclesia Hispalensi) *divisio, ordinatio, continuatio, quæ & summa quædam per rubricas in librum Alvari*: & postremò *repertorium per alphabetum ad reverendissimum Cardinalem Firmanum*. Hic est celebris ille Dominicus Capranica. Exstat quoque Alvari hoc opus MS. inter libros Ducis Urbini, qui in eadem Vaticana asservantur num. 953. & 954. Scripsit etiam

228. II. *Collyrium fidei contra hæreses*. quod non dum in lucem prodiit. Manu tamen exaratum conservant bibliothecæ Vaticana, scilicet codd 1129. & 2324. Patavinaque S. Joannis in Viridario, teste Thomasino [l]. Vidimus quoque nos aliud ejus operis exemplum, ex parte chartaceis, ex parte pergamenis foliis, antiquissimo charactere, ac fortè sub auctoris ipsius tempus descriptum. In fine operis ita habet: *Præsens opus compositum à Fratre Alvaro de ordine Minorum Episcop. Sylvensi, vocatur* Collyrium: *quòd sicut collyrium est quædam unctio facta ad fæces oculorum tergendas & visum illuminandum; sic præsens liber utilis & necessarius est ad fidem illuminandam. Et istud* Collyrium *dividitur in sex partes principales, quarum prima pars continet sexaginta quinque hæreses seu errores, qui noviter polluerunt. Secunda De erroribus qui continentur in decretis, & primo de illis qui proponuntur* XXIII. *quæst.* 3. *cap.* Quidam. III. *De erroribus & hæresibus quæ alibi in decretis continentur, & continet* XVII. *errores*. IV. *De erroribus qui continentur in decretalibus, & continet* XXX. *errores*.

229. *Quinta continet in se* XXVII. *errores, qui ante & nunc noviter polluerunt. In his præcipuè tractat & refutat errores Thomæ Scoti cujusdam, qui Olisippone docuit, & adprehensus, hæresisque postulatus, in carcerem detrusus est*. In quo adhuc eum, cùm hæc scriberet, detineri ait, seque non semel cum eo de dogmatibus ejus disputâsse. *Sexta pars de erroribus Græcorum, & sunt* XLI. *errores*. In fronte libri: *Rerum, sive hæresum in eo contentarum elenchus est alphabeticus, seu tabula compilata per Fr. Petrum Dominici, in sacra pagina professorem, ord. fratrum Eremitarum S. Augustini*. Liber incipit: *In nomine Domini Jesu Christi, in quo vivimus, movemur, & sumus*, &c. *Frater Alvarus professor Minorita, Sylvensis minister, natione Hispanus, decretorum doctor, in sacra theologia scholasticus, gratia vobis, pax, & misericordia à Dom. nostro Jesu Christo* &c.

230. III. *Apologiam pro Joanne XXII. Papa adversus Guillelmum Ockam*. Nominatissimus hic illorum temporum theologus doctor, Minorum ordinis, Scoti discipulus, Nominalium scholæ inventor, postea & princeps, inter alia *De potestate Papæ* ejusque auctoritate, atque Imperatoris, occasione schismatis propter Ludovicum Bavarum Imperatorem suscitati, ac *De utili dominio rerum Ecclesiasticarum* peculiare opus adversus Joannem Papam impudenti audacia foràs dedit, quod *Compendium errorum Papæ Joannis XXII.* appellavit, quasi is in tribus constitutionibus (nempe *Ad conditorem canonum. Cùm inter nonnullos.* & *Quia quorundam*, quæ sunt capita 3. 4. & 5. *De verborum significatione* inter *Extravagantes* (ut vocant) *Joannis XXII.* circa fratrum Minorum paupertatem, dominiumque, & usum rerum Ecclesiasticarum ab eo promulgatis contra veritates catholicas multipliciter errâsset. Quod quidem *compendium* exstat volum. 2. *Monarchiæ Rom. Imperii*, Goldasti.

231. Pontificium autem scriptum, seu Pontificis Apologia, ad hunc diem, ut credimus, in schedis latet. Sed laudat eam Trithemius, Marcus Ulyssipponensis, Wadingus, Ludovicus Jacobus à *S. Carolo* [m]. Sed Wadingus adjunxit, non tantùm contra Gullielmum Ockamum, sed & contra Marsilium Patavinum, apologeticum hoc scriptum opus, qui Marsilius cognomento Menandrinus, Patavii natus, schisma Ludovici & P. Corbariensis sequutus *Defensorem pacis* erroribus frequentibus, & exsecrandis plenum, sive assertorium imperialis auctoritatis super Ecclesiasticis rebus & personis commentarium iisdem temporibus publicavit.

232. IV. *Speculum Regum*. Incipit: *In nomine Domini Jesu Christi*. Trithemius, Marcus Ulyssipponensis, & Wadingus.

V. *In quatuor libros Sententiarum*. Iidem.

VI. *Summam theologiæ*. Quam editam Ulmæ eodem anno MCDLXXIV. quo *De planctu Ecclesiæ* libros, ait Wadingus.

233. In bibliotheca S. Joannis Regum Toletanæ urbis Franciscanorum cœnobii exstat

VII. *Sermo* (diffusus, ut Wadingus loquitur) *Fr. Alvari Hispani decretorum doctoris Episcopi Coronensis, & pœnitentiarii domini Papæ factus in die jovis cœnæ Domini in præsentia domini Papæ Joannis XXII.* In quo, ait, totum adhærere eum Joannis opinioni circa visionem animarum, hoc est, denegatam iis ante diem judicii, quam tamen sententiam, veluti à privato doctore defensam, Joannes ipse in fine retractavit.

234. Anno hujus sæculi tricesimo sexto in vivis erat, adhuc natu grandævus, utpote qui exeunte superiori jam vigebat, cùm literis, tum inter suos dignitate, ALPHONSUS BURGENSIS, aliàs DE VALLADOLID, ab alterutro horum natali loco sic appellatus, Hebræus olim sectâ, indeque Christianus, & Christianorum religionis propugnator. Etenim abjurato hic Judaïsmo, sese verè fidei asseclam, non solùm vitâ, sed scriptis adversus Judæorum errorem perfidiamque lucubrationibus docuit, sacrista factus Vallisoletanæ Ecclesiæ. Caussam suæ conversionis ipse narrat cap. 27. operis postea laudandi, mirabilem illam scilicet apparitionem crucum in Judæorum palliis, ubiubi essent, per totum Castellæ regnum; dum in synagogas suas falsa spe suæ redemptionis à Prophetis suis falsissimis injectâ permoti simul omnes coïssent: quod anno contigit sæculi superioris nonagesimo quinto, quo Sancio Ca-

l In Biblioth. Patav. MS. pag. 51.

m In Bibl. Pontific. lib. 2. verbo Pelagius Alvarus.

Castellæ Regi Ferdinandus filius successit.

235. Ait idem se à suis consecraneis uti medicum fuisse consultum super eorum curatione, quos credebant ex infirmitate aliqua vel cerebri debilitate visa ista passos; diuque ambiguum se ipsum in re fuisse; sed illuminante Deo tandem credidisse, non sine grandi miraculo hæc facta, quæ oculis ipsis vidit, & in quorum testimonii fidem cœlum terramque invocat. Verba ejus in Alphonsi Spinæ *Fortalitio fidei* lib. 3. [n] legi possunt. Idem auctor sæpiùs Alphonsum pro se adducit [o], præsertim ubi ex eo admonet [p] Christianos, ut à Judæis medicis curari se nequaquam permittant, quia lex eorum præcipit occidere Christianos. Habitæ quoque ab eo cum Judæorum potioribus atque doctioribus Vallis-oleti, ubi curia tunc erat, disputationis meminit, quâ convicit eos negantes oratione quadam sese in publicis precibus Christianis omnibus omnipotentis Dei maledictionem imprecari solere, edictum afferens ejusdem Regis Alphonsi, quo iis ulteriorem hujus orationis usum severè interdixit, datum in eodem municipio XXV. Februarii erâ MCCCLXXIV. qui annus est hujus sæculi sextus supra tricesimum. Verba ipsa Alphonsini edicti apud eundem Spinam [q] reperies.

n Fol. 222. cap. *De signaculis crucis*.
o Dict. lib. 3. fol. 219. col. 2. fol. 232. col. 2. fol. 267. col. 2. fol. 293. col. 2.
p Dict. lib. 3. fol. 292. col. 2.
q Lib. 3. fol. 293. col. 2. edit. Lugdun. anni MDXXV.

236. Ad quem annum saltem extendimus Alphonsi Vallis-oletani vitam, cum eò res ejus gestas pertigisse tam grave comprobet antiquitatis monumentum. Alphonsus autem undecimus, Ferdinandi filius, Sancii nepos, Castellæ Rex, ab anno ejusdem sæculi duodecimo usque ad quinquagesimum imperio præfuit. Unde corrigenda est nota numeri, quem hujus emortuali anno Paulus assignavit Burgensis Episcopus, quum in *Scrutinio* suo *scripturarum* ait sexaginta ante se natum annis Alphonsum obiisse. Cùm enim è sepulchro ejusdem Paulli ad S. Paulli Dominicanorum Burgensium constet demortuum eum anno MCDXXXV. ætatis suæ LXXXIII. quod quidem significat anno MCCCLII. fuisse eum in lucem editum; si ab hoc numero anni sexaginta deducerentur, anterioris sæculi nonagesimo secundo Alphonsus Vallis-oletanus obiisse dicendus esset, hoc est sub Sancio, ne dum sub Ferdinando & Alphonso Castellæ Regibus. Quæ omnia constabunt, si pro sexaginta in *Scrutinio* laudato *scripturarum* Paulli Burgensis, sex annorum notam substituamus. Quod utique significabit Alphonsum sex annis ante ortum Paulli, hoc est MCCCXLVI. è vita migrâsse. Hinc colligere datur, potuisse quidem eum Alphonsi Regis X. qui anno MCCLXXXIV. diem suum obiit, ævum ætate contingere, sub quo hunc floruisse, quamquam minus aptè, Didacus Rodriguez de Almela in *Valerio* suo *historiarum* vernaculi sermonis scripsit. Hujus Alphonsi opus, ex quo toties ab Spina in *Fortalitii* sui propugnatorem vocatur,

237. *Bellorum Domini* titulo inscriptum fuit: Hebraïcè quidem hoc scriptum ab auctore, postea tamen in Hispanum sermonem ab eodem conversum. Quæ quidem interpretatio reperitur in membranis antiquissimæ scripturæ apud Benedictinos Pincianos, uti refert Ambrosius Morales [r], cum hac inscriptione: *Este es libro de las batallas de Dios, que compuso Maëstro Alphonso Converso, que solia haver nombre Rabbi Abner, quando era Judio. Y trasladólo de Hebraico en lengua Castellana por mandado de la Infanta Doña Blanca, señora del monasterio de las Huelgas de Burgos*. Hoc est: *Hic est liber bellorum Dei, quem composuit magister Alphonsus Conversus, nomine olim, cùm Judæus esset, Rabbi Abner. Transtulitque hunc ex Hebraïco in Hispanum jussu Infantis dominæ Blancæ, abbatissæ monasterii de las Huelgas urbis Burgensis*. Abbatissam pro domina interpretati sumus. Verè enim temporale dominium exercet non mediocris territorii magni illius monasterii abbatissa.

r En el santo viage.

238. Respondit in hoc opere argumentis R. Josephi Kimchi, quibus usus fuerat in libro suo ejusdem inscriptionis *Milchamot hascem*, *Bellorum Domini*. Extat MS. Hebraïcè Alphonsi opus in bibliotheca Vaticana, & in collegio Neophytorum Romano, teste mihi reverendissimo Patre D. Julio Bartholoccio Cisterciensi abbate, quem ego ob eruditi ac humanissimi ingenii dotes charum in paucis habeo, in opere suo, quod edere pergit, *De scriptis Hebræorum*, sive *Bibliotheca magna Rabbinica* [s]. Qui & admonet meminisse hujus nostri Alphonsi, hujusque ejus operis, Rabbi Scem Tou Sciprutt, in libro suo אבן בוחן, *Eben-Bochan* tract. 15.

s Pag. 366 tomo I.

239. Sub Aragoniæ Rege Jacobo II. aut forsan ultrà, fama est vixisse JACOBUM DE MONTE-JUDAICO, quem vernaculè cognominatum DE MONT-JUI dicunt Catalani, qui mons seu collis est prope urbem Barcinonensem castello munitus ad ejusdem urbis defensionem. A qua hominis appellatione arguit Hieronymus Pujades, hujusce provinciæ & gentis chronographus [t], ab antiquo *Montis-Judæorum*, non autem *Montis-Jovis*, nomine, derivâsse *Mont-jui* hodiernum.

t *Chronica de Catalunya* lib. 2. cap. 19. in fine.

240. Commentarium hic, sive *Glossam*, scripsit *ad Usaticos*, hoc est, consuetudines Barcinonensis urbis; quæ unà cum aliis glossis Jacobi & Guillielmi à Valle-sicca, & Jacobi Calicii, prodierunt Barcinone è typographia Claudii Amorosi MDXLIV. in folio. In bibliotheca viri incomparabilis Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, ut ex indice edito ejus constat, servantur ejusdem Jacobi à Monte-Judaïco, *Apparatus in Usaticos Barcinonenses*, pars forsan laudatæ jam *Glossæ*. Item *De practica Usatici*, simili modo. Necnon & *De jurisdictione regia*: *De nominibus Baronum Cataloniæ*. Tandemque *De processu pacis & treguæ*. Fuisse autem Jacobum nostrum Dini Mughellani auditorem alicubi legimus, qui Dinus circa annum MCCC. Bononiæ præcipuè floruit.

241. Circa hæc tempora vixisse videtur ANONYMUS quidam *Regum Aragoniæ Chronici* auctor: ab initio nempe rerum in Hispania usque ad Alphonsi Regis IV. cognomento

Pii

Pii anno hujus sæculi XXXVI. defuncti regnum, qui fuit MS. in regio Barcinonensi archivo, nuperque penes D. Franciscum Eximinum de Urrea Aragoniæ regni archichronographum, uti refert ejus in munere successor Joannes Franciscus Andreas Ustarrazius in *Notis ad coronationes Regum Aragoniæ*, admonens adscriptas se vidisse oræ libri Notas Petri Michaëlis Carbonelli, ejusque, & Antonii de Viladamor historicorum Cataloniæ subscripta signa, scriptumque videri circa sequentis sæculi initium.

242. Sed hic (nisi fallimur) PETRUS MARSILIUS est, monasterii S. Joannis Pinnatensis monachus, quem toties laudat Joannes Brizius Martini ejusdem abbas, in hujusmet monasterii historia, taxatque post alios, quasi sex Regum Superarbiæ, sive Aragoniæ, qui nunquam fuere, auctorem Petrus Marca lib. 11. *Historiæ Benearnensis* Gallicæ cap. 10. Neque alium credimus significare Hieronymum Suritam voluisse quum in *Indice rerum Aragonensium* ad an. Chr. DCCLVIII ait: *Vetus rerum Aragonensium auctor, qui ante ducentos annos Regum facta composuit in artificio & opera, quam tenui & exili, cum aliàs nullam adhibuisse diligentiam videatur in recensendis regni originibus, longè se & cæteros omnes superat. Sed falsò quæsita propriæ gentis laus leviorem auctorem facit*. Videndus & Arnaldus Oihenartus *Notitiæ utriusque Vasconiæ* lib. 2. cap. 9. pag. 183. & 184.

243. JOANNES ex Hebræo Christianus, atque ideo dictus CONVERSUS, sive à patria VALLIS-OLETANUS, sub Petro aut Henrico Regibus scripsit librum *De concordia legum*, quem, laudato ejus auctore, sæpe ad rem suam Hebræos arguendi Alphonsus Spina in celeberrimo suo *Fortalitio fidei* advocat. Nempe lib. 3. qui est *De bello Judæorum*, consider. 4. argum. 5. [u] ubi Alphonsus verba Joannis prædicti ex libro jam laudato adducit; ex quibus constat Vallis-oleti tum scribendo vacare, quam *terram Vallis-oletanam* Regis Castellæ in longitudine 66. graduum esse ait. Et considerat. 5. argum. 10. [x] & considerat. 6. impossibili 8. [y] & 9. [z] & 10. [a] & 11. [b] ubi affert hanc ejus relationem de puero Jesu apparente in hostia sancta: *Sæpe divina gratia apparuit ad oculum multorum hominum & mulierum, quoniam respiciendo in illam hostiam consecratam aliquæ personæ viderunt unum puerulum pulcherrimum ultra modum. Et avus meus, qui erat valdè literatus in lege, dixit mihi, quod in domo fratrum Minorum in Valle-oleti cùm respiceret à casu illam hostiam consecratam, vidit, ut prædicitur, illum puerum pulcherrimum ultra modum. Et hoc fuit illis temporibus publicatum nimis & famosum. Et idem accidit uxori meæ, & interrogabat alias mulieres, si hoc videbant. Responderunt, non, & prona cecidit in terram viribus destituta, prout legitur de Manuë Judic. 13. capite*: Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Transcribo libens fragmenta hæc, quoniam liber non exstat, & *Fortalitium* jam infrequens est.

244. Item impossibili 24. [c] narrat ejusdem Joannis verbis miraculosam aliam ei factam S. Doctoris Ambrosii apparitionem, ut doceret eum de veritate sacrosancti Eucharistiæ mysterii. Necnon & considerat. 10. mirabili 10. affert Joannem nostrum inter alios testes magni illius miraculi, quod contigit in regno Castellæ anno MCCXCV. apparentium Crucis sanctissimæ signorum in syndonibus, seu vestibus albis, quibus induerant se Judæi ad celebrandum festum quoddam magnum redemptionis suæ per Messiam venturum, quam iis duo Rabbini, alter Abulensis, alter Ailonensis, multæ apud eos famę, asseverantissimè in illum diem promiserant. *De eodem signo* (ait) *facit memoriam Mag. Joannes Conversus in libro suo* De concordia legum *tit. 4. cap. 4. Dicit enim ibi, quòd prædictum miraculum accidit in supradicto regno per quadraginta annos ante tempus suum, & quærebat à Judæis, qui remanserant, quomodo cum tanto signo poterant remanere in Judaismo? Et dicit quòd responderunt sibi, quòd Rabbini Judæorum illius temporis publicè prædicabant illud illusione diaboli esse factum ad Judæorum deceptionem, & quòd omnes, ut priùs, in lege Mosaïca fortes permanerent. Et dicit ulteriùs* (ait *Fortalitii* auctor) *quòd quidam nuncius Papæ suo tempore venit ad partes istas, qui cùm hoc cognovisset, per eum fecit per notarium publicum scribi rei veritatem facta diligenti inquisitione. Recepit enim multos testes Judæos de visu licitè ut decuit, adjuratos, qui pro certissimo hoc asserebant, & dicit quòd omnes alii Judæi illis temporibus confitebantur rei hujus veritatem*. Sequitur: *Et de hoc facio omnibus fidem certam, & juro per nomen Dei omnia prædicti miraculi esse vera*. Hactenus Joannis Conversi verba ab Spina relata.

245. Cęterùm magni hujus prodigii non solùm alii ex Judaïsmo conversi, nempe Alphonsus Vallis-oletanus, de quo in superioribus actum fuit, & Paullus Burgensis suo tempore laudandus, & ipsi à *Fortalitii* auctore hic adducti; sed & historiæ nostræ recordantur [d]. Ex eo autem quòd miraculum hoc quadraginta annis ante tempus suum, & anno MCCXCV. contigisse Joannes asseveraverit, rectè inducimus eum vel natum, vel judicii compotem factum circa annum hujus sæculi tricesimum quintum; lucubrationibus autem his dedisse operam, postquam coram domino Gomezio Manrique Toletano Archiepiscopo jussu Regis in civitate Burgensi cum Judæorum potioribus disputâsset, ex relatione hujus rei ab eo in lib. 1. *De concordia legum* facta liquet; cujus relationis meminit idem Spina lib. 3. considerat. 7. crudelitate 15. [e] Gomezius autem sedem Toletanam ab ann. MCCCLV. ad MCCCLXXV. hoc est per viceunium, tenuit. Nec tamen hujus libri *De concordia legum* dumtaxat mentionem in *Fortalitio* habemus; sed & alterius, quem *Declarationem* vocat ipse auctor Joannes *super Glossam Rabbi Abrahami Aben-Agra super decem præcepta legis*. Meminit hujus illius lucubrationis lib. 2. considerat. 4. argum. 5. [f]

u In editione Lugdun. Joannis de Moylin. anno MDXXV. fol. 117. col. 3. & fol. 118 col. 1

x Fol. 115. col. 1.

y Fol. 169. col. 1

z Fol. 170. col. 1.

a Fol. 171. col. 4.

b Fol. 171. col. 1.

c Fol. 183. col. 2.

d Garibay lib. 13. cap. 26.

e Fol. 172. col. 4.

f Fol. 118. col. 4. & iterum fol. 119. col. 2.

CA-

CAPUT V.

De AUSIA MARCH *Valentino poëta*, *&* ALPHONSO BONO-HOMINE *Dominicano*: GUIDONE *item* DE TERRENA, *sive* DE PERPINIANO, *Carmelitarum præfecto generali*, *&* *Majoricensi postea*, *ac Elnensi antistite*, *atque ejus operibus editis ac ineditis*, *atque inter alia* correctione decretorum *Romæ* MS. *De* JOANNE A CLARAVÒ, *seu* CLARA-VALLE, *item Carmelita*: JACOBO & GUILIELMO A VALLE-SICCA *Usaticorum Barcinonensium glossatoribus*. PETRI *Portugalliæ Infantis* opus genealogicum *laudatur*. *De* ALPHONSO DE PORTUGALLIA.

246. A Musis principium hujus capitis. Quibus certè litabimus, mentione summi poëtæ facta. Is est AUSIAS (aliis OSIAS) MARCH, qui oriundus ex Catalonia, natus tamen Valentiæ creditur parentibus Petro March & Eleonora Ripoll, atque educatus in familia........ quem *Gandiæ Ducem regalem* illa ętas vocavit. Uxorem duxit Joannam Scorna nobilem fœminam. Sed honesto, ut Francisci Petrarchæ, nostro tamen inferioris, exemplo contenditur, amore Theresiæ cujusdam de Boïl Valentinę captus, vernaculi, hoc est, Provincialis, seu Lemosini pangendi carminis omnem facultatem, quâ maximâ fuit à natura ornatus, in ejus extollendis animi & corporis dotibus, suique erga eam amoris ignibus acutissimè atque elegantissimè significandis insumere, Lauramque priorem, quam alia sequeretur maximi vatum Italorum Laura recentior, orbi eruditorum repręsentare voluit. In eo tamen solùm Petrarchæ celebritatem desiderare is videtur, quòd magnus ille vir adeptus fuerit committendis animi sui sensibus linguam, quæ vel nunc in maximo est & usu & pretio; nostro autem Ausiæ ut conferamus prçconium justæ laudis, nonnisi cives illius, aut forsan paucos alios consulere, iisdemque prçstare fidem necesse habeamus.

247. Lilius quidem Gregorius Giraldus, poëtarum antiquæ ac recentioris ętatis celebrator eruditissimus, *ea religione* (ait *De poëtis* dialogo 2.) *ab Hispanis legi Ausiam, ut à nostratibus Francisci Petrarchæ rhithmos*. Garsias item Lassus à Vega, nostrorum poëtarum ętate princeps, quam pluribus ex hoc thesauro Hispana carmina ditâsse dicitur. Et Honoratus Joannes Valentinus ipse, vir lectissimus, dignitateque ac sapientiâ summus, Caroli principis Philippi II. nati pręceptor, & Episcopus tandem Oxomensis, adeò in deliciis Ausiam habuit, ut quoties otiaretur, è manibus ferè non dimitteret, Hispanorum poëtarum acutissimum ab eo existimatum, aliisque Valentinâ hac Marchi linguâ nescientibus Hispanâ interpretari ejusdem argutias in more atque in amore haberet. Ac, ne interprete aliis esset opus, accuratissimum vocabulorum omnium ejus linguæ, quibus poëta usus fuerat, Castellanis subjunctis elenchum formavit.

248. Prodierunt quidem Ausiæ omnia metrica opera cum hoc indice Vallis-oleti MDLV. in 8°. iterumque Barcinone ann. MDLX. Fertur quoque editus cum Hispana D. Balthassaris de Romani interpretatione Valentiæ MDXXXIX. apud Joannem Navarrum; sed absque metri aut rhithmi legibus; ita tamen ut versus versum reddat, Ferdinando Calabriæ Duci nuncupatus, quatuor scilicet cantica ejus tantùm, *Amoris*, *morale*, *mortis*, & *spirituale*, ut nesciamus quam ob aliam caussam, nisi quia hanc minùs approbaret antiquiorem interpretationem, Georgius à Monte-majori Lusitanus, Castellę verò linguâ facundus in paucis vates, novam adornare aggressus fuerit. Quæ quidem typis exstat Cęsar-augustanis anno MDLXII. in 8°. apud Petrum de Naxara, & Matritensibus anno MDLXXIX. edita; at ea tamen, judicio Gasparis Escolani, dum lib. 1. cap. 14. *Historiæ Valentinæ*, brevitatem & suavitatem linguæ Lemosinæ, seu mavis Lemovicinæ, dotemque paucissimis verbis acutissimos animi sensus explicandi multis laudat, à prototypo suo longè distans. Quæ omnia apud eum prędicto cap. 14. lib. 1. ac 29. libri 10. videri malumus.

249. ALPHONSUS BONUS-HOMO, vulgari formatione BUEN HOMBRE, sodalis Dominicanus, Arabicè doctus, quem alii Conchensem natu a ex eo quòd in ea urbe adhuc sint qui eodem appellantur cognomine, alii Toletanum b suspicantur, circa annum hujus sęculi XXXVIII. interpretatus est ex Arabico in Latinum epistolam quandam bene longam Rabbi Samuëlis, missam ad Rabbi Isaac. Samuël hic oriundus fuit à Feza urbe Marocchitani Africæ regni; Toleti autem conversus è Judaïsmo ad veram pietatem circa annum MLXXXVII. recèns à recuperata per Alphonsum VI. urbe ista. Isaac autem, cui nuncupatur epistola, magister audit synagogæ, quæ est in Subjulmeta prędicti regni Marocchitani.

a Higuera *Hist. Tolet. MS.* lib. 16. cap. 5.
b Thomas Tamajus in *Elogiis Toletan. script.*

250. Edita fuit cum Petri Alphonsi dialogo ejusdem propositi adversus Judęos, adventum veri Messiæ, mortem ac resurrectionem, adventumque futurum ejus secundum propugnandi; atque item ad calcem *Historiæ S. Antonini*. Hispanam quoque eam exstare audio, baccalaureo Alvaro de Villa-escusa interprete, qui dum Salmanticæ operam studiis navaret, in gratiam nobilis cujusdam Salmantini civis Joannis de Villa-fuerte an. MCDXVIII. Boni-hominis Latina vernaculo sermone reddidit: uti annotatum legitur in *Historiæ Toletanæ* Hieronymi de la Higuera, quam ineditam ab eo relictam passim dicimus, libro 16. cap. 5.

251. Mille autem annis post eversionem Hierosolymorum ac Judaïcæ gentis ab Adriano factam, scriptam fuisse epistolam monet Alphonsus; exinde suspicatus occultatam duobus & ampliùs sęculis ab Hebræis ipsis, eò quòd adversus eos tam apertis ageret testimoniis, usque ad id tempus fuisse, quo ad manus suas devenit. Uti autem se versione Latina, non S. Hieronymi, sed eâ quæ re-

ſpondet Hebraïco textui, quo ipſe Samuël uſus fuit, Alphonſus teſtatur; ne ſubterfugiſſe verba ipſa & ſenſus auctoris ſui in translatione videretur. At Hieronymus Romanus de Higuera nuper laudatus in literas retulit Samuëlem hunc aliquando in Marocchum venientem cum Alfachino (ut vocant) Albutaleb de re ſalutis prolixè diſputâſſe, indéque hiſtoriam quandam ſcripſit Arabicè, quam in bibliotheca regia Eſcurialenſi adſervari refert.

252. Circa eadem tempora maximè floruit Carmelitanæ decus familiæ maximum, quæ hoc ſeculo viros edidit in paucis inclytos, GUIDO DE TERRENA, eo quòd Perpiniani fuiſſet ortus, DE PERPINIANO dictus, necnon & Pariſienſis; quòd in hoc celeberrimo totius orbis gymnaſio lauream theologiæ doctoralem ſuſceperit. Unde fama illa vana videri debet, quę ad aures Ludovici Pons Icart Tarraconenſis urbis hiſtorici aures pervenit [i], Guidonem huic civem accenſens. In teſtimonium quippe veræ originis pręter agnomen ipſum, patricia, ſic vel nunc appellata, *de Terrena* Perpinianenſis familia producitur.

[i] Ut ipſe ſcribit *Grandezas de Tarragona* cap. 42.

253. In patria is Carmelitarum dicto ſacramento, quod ipſe alicubi reliquit ſcriptum [k], Pariſiiſque, uti jam diximus, ſacris inſtructus literis, doctorque renunciatus, ad ſacrum Apoſtolicum, quod Avenione tunc temporis erat, palatium docendis ſacris literis vocatus, munere iſto laudabiliter functus fuit; necnon & provinciæ, quam generali vocabulo *Provinciam* vocant, pręfecturâ. Sed majoribus adhuc honoribus dignus, anno ſeculi decimo octavo in comitiis fuit Burdigalæ creatus, Latinorum, aliis duodecimus, aliis decimus tertius Generalis pręfectus, & ante abſolutum triennium, anno ſcilicet viceſimo, Majoricenſium inſularum, ſextus eorum qui huic inſulæ à Mauris receptæ pręfuerunt, dignitate auctus fuit. Hinc poſt duodecim annos ad Elnenſem Ecclesiam patriæ ſuę translatus, hanc uſque ad obitûs diem, qui contigit ei XXI. Auguſti anni MCCCXLII. cum pietatis doctrinęque eximia laude, meritiſque de Apoſtolica ſede non vulgaribus, rexit. Quęſitor enim Fidei rerum Generalis vocari ſolet, & quampluribus dicitur legationibus, negotiiſque aliis, Pontificalibus auſpiciis inſumptus atque exercitatus.

[k] In expoſitione Decreti.

254. Multus eſt in Guidonis rebus juſtâ pręconii librâ penſandis *Annalium Eccleſiaſticorum* continuator celebris Raynaldus [l], poſt antiquiores Trithemium, Eiſengreinium, Xyſtum Senenſem, Bellarminum, Poſſevinum, Haubertum Miręum, Bellarminique illuſtratorem Labbeum, atque ordinis Carmelitici Lezanam [m]. Quibus conſentit decimi quinti ſeculi ſcriptor Wernerus à Rolewink Cartuſianus in *Faſciculo Temporum* [n]; caſtigandus tamen in eo quòd Guidonem de Perpiniatio eum appellans, Cluniacenſem deinde pro Elnenſi vocat Pontificem; Heliæ autem alterius elogio donatum dimittit. Miręus quoque in errore eſt, dum Guidonis à Monte-Perpiniano, & Xyſtus, & Poſſevinus, dum Elvenſis Pontificis, facili unius in aliam literæ mutatione, nomen & munus de eo pręedicant. In re theologica ac philoſophica reliquit poſteris non contemnenda ingenii ſui documenta, ſcribens

[l] Tomo 15. ad annum MCCCXXXIX. num. 28.

[m] Tomo 4. *Annal. Carmelit.* anno MCCCXLII. num. 12.

[n] Ad ann. MCCCLIV

255. I. *Super octo libros phyſicorum Ariſtotelis*. Manuſcriptum vidimus commentarium hunc Romæ in cœnobio Carmelitarum S. Mariæ Tranſ-pontinæ D. Rogerio de Armanaco nuncupatum, qui ſic incipit: *Ex ſtirpe nobili atque regalibus emanans finibus, tandem præclarorum Comitum frondeſcit dignitate*, &c.

II. *In libros De anima*. *Quæſtiones de anima* Trithemius appellat.

III. *In XII. libros metaphyſicæ*.

IV. *Quodlibetorum librum unum*. *Quodlibeta ſex* vocat Trithemius, & incipere ait: *In prima noſtra diſputatione*.

V. *Quæſtionum librum unum*.

VI. *Super IV. libros Sententiarum*.

256. VII. *De perfectione vitæ* librum, tribus partibus, qui MS. inter Vaticanos, codice 1011. in membranis exſtat, Joanni Papæ XXII. nuncupatus, cum hoc titulo: *Incipit tractatus* De perfectione vitæ, *editus à D. Fr. Guidone Epiſcopo Majoricenſi, ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo*. Et in fine annotatur, *factum fuiſſe & completum eum in vigilia Natalis Domini anno MCCCXXIII.*

257. VIII. *Concordiam Evangeliorum, ſive Quatuor unum.* Exemplo veterum patrum, qui eandem pangendi ex quatuor unum Evangelium legem ſibi dixere. Prodiit Coloniæ ex officina Petri Brachel ann. MDCXXXI. in folio. Ms. aſſervatur in bibliotheca Thuanęa, ut Labbeus refert [o].

[o] In Biblioth. manuſcripta pag. 22.

IX. *Expoſitionem in tria cantica*, Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis. Joanni XXII. Pontifici: quæ edita fuit ſimul cum *Concordiæ* opere nuper laudato.

258. X. *Summam De hæreſibus, & earum confutationibus*. Et hæc etiam Coloniæ cum duobus proximè dictis prodiit operibus iiſdem Brachelii typis, operâ & ſtudio Fr. Joannis Seineri Volkmartiani, Carmelitæ, profeſſorique theologiæ Colonienſis, poſt antiquiorem editionem Badii Pariſienſem anni MDXXVIII. in folio. Hujus operis meminit Joannes Nider Dominicanus, ſequentis ſeculi ſcriptor, libro 3. *Formicarii*, & collaudato Bernardus Lutzemburgenſis in catalogo *De hæreſibus* lib. 1. cap. 14. Alphonſo autem Caſtrenſi noſtro, qui eandem notandarum & refutandarum hęreſium adornavit Spartam, non valdè hic placuit *Commentarius* [p]: quem tamen eo nomine multis arguit Joannes Baptiſta Rubeus Carmelitarum, qui fuit Generalis Magiſter, in ſcholiis ad Thomæ Waldenſis *Doctrinale*, averſatuſque acre ejus audaxque de Joachimo abbate judicium, hæreticum pleno ore vocantis, quem Eccleſia non improbat, Blaſius Viegas in commentariis ad Apocalypſin [q].

[p] Vide lib. 2. De hæreſ.

[q] Pag 184.

259. XI. *Correctionem Decretorum.* Quam tribuunt ei Trithemius, & Alphonſus Venerus noſter, & auctor *Indicis ſcriptorum juris*.

Manu

Manu exaratus liber hic exstat in Vaticana bibliotheca pulcherrimo charactere ac figuris descriptus depictusque, idem ipse, ut credere par est, qui Cardinali Gaucelino, uti jam diximus, fuit oblatus. Titulus nuncupatoriæ epistolæ, quæ prodit operis argumentum: *Reverendissimo patri in Christo, & domino suo domino Gaucelino divinâ providentiâ Episcopo Albanensi, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Frater Guido ejus humilis & devotus, Dei permissione Episcopus Elnensis, se ipsum &c.* Et paullò pòst: *Multorum denique amicorum importunè instantium precibus devictus, ut auctoritates novi ac veteris Testamenti, & sanctorum, quas Magister Gratianus in toto suo Decretorum libro allegat, suis locis inscriberem, & unde accepta sunt, fideliter denotarem; hoc certè opus absque præsumptione, innixus auxilio divinæ gratiæ, flagitantium charitate deflexus incipiam.* Hæc ille. Gaucelinus iste nepos fuit ex fratre Joannis Papæ XXII. ab ipso Cardinalis & Albanensis Episcopus creatus. Hoc opus fortè significat Trithemius, quum scripsisse ait Guidonem librum quendam ad Cardinalem Albanensem, quin aliam inscriptionis notam adjungat. Aliud ejusdem operis exemplum servari Parisina in bibliotheca regia, nuper eò illatum, docet Stephanus Baluzius in editionis Antonii Augustini *De emendatione Gratiani* admonitione quadam ad lectorem in fine voluminis [r]. Idem Stephanus Baluzius ad manum habuit, Conciliorum magnæ editioni Labbeanæ accensendas,

260. XII. *Constitutiones* [*] *synodales Guidonis Episcopi Helenensis*, editas an. MCCCXXXV. MCCCXXXVII. MCCCXXXVIII. MCCCXXXIX. & MCCCXL. in quibus ait, *exstat decretum De immaculata conceptione B. Mariæ.* Hæc Baluzius, aut ex eo Labbeus, in *Synopsis Conciliorum historiæ* appendicis parte 3. §. 3. [s].

XIII. *Epistolam ad Joannem XXII. Papam. Utrùm invocantes dæmonem sint hæretici.* Hæc fuit sub Guidonis Carmelitæ Helenensis Episcopi nomine inter libros MSS. Latinos Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, ut constat ex eorum typis edito indice. Scripsit item, Possevino teste, non Trithemio,

XIV. *Reprobationes operis Catalonici.* quod aliqui (ait Possevinus) Arnaldo de Villa-nova attribuunt.

261. XV. *De vita & moribus Christi* librum singularem eidem ab aliquo attributum, non facilè admittimus, ineptiam tituli abhorrentes. In majorem Bibliorum partem scripsisse eum quoque, sed quæ ad manum vix habeantur, ait Trithemius [t].

262. Minimè separandus est à Guidone Perpinianensi alius ejusdem familiæ & gentis, vir literis etiam dignitateque spectatus, JOANNES DE CLARAVÒ, sive de CLARA-VALLE, ex quo Cataloniæ oppido, sibi patrio, mutuatus nomen creditur. Attamen est qui ex Catalanis CLARA vocet [u]. Carmelitarum ordinem assumpsit in provincia Provinciæ, antequam in hanc & Narbonensem divideretur; Monspeliique creatus doctor theologus, in hujus urbis studio generali primus (primarium intelligo) lector fuit. Anno autem MCCCXXI. comitiis generalibus ibidem habitis præfuit electus in iis primus Narbonensis provinciæ præfectus. Quo quidem administrato per triennium munere, non diu pòst, scilicet anno MCCCXXVII. à Joanne Papa XXII. assumptus fuisse in Ecclesiæ Bosensis, quę in Sardinia est, Pontificium dicitur, atque in hac sede diem anno MCCCXL. suum obiisse. Bosnensem minùs rectè vocant Episcopum Gesnerus & Possevinus. Scripsit, ut fama est,

263. I. *Commentariorum in libros Sententiarum* libros IV.

II. *Lecturas* alias libris duobus.

III. *Sermones* libris tribus, coram summis Pontificibus sui temporis Avenione habitos, Joanne videlicet XXII. & Benedicto XI. qui obiit anno sæculi XLII.

264. Non sejungimus à Catalanis theologis jurisconsultos. Horum namque sub Rege Petro IV. aliàs III. qui patri Alphonso III. anno hujus sæculi tricesimo sexto successerat, duo vixerunt ejusdem cognomenti, JACOBUS & GUILIELMUS DE VALLE-SICCA: illustrator uterque sive glossator *Usaticorum* (ita leges appellant) Barcinonensis urbis. Prior Jacobus, post Jacobum alium de Monte-judaico antiquiorem, cujus jam meminimus, curæ huic incubuit, brevioribus commentariis contentus, ut colligitur ex iis quæ scripsit ad Usaticum: *Omnes homines* 1. ubi & Jacobus Marquilles notat. Posterior Guilielmus, altero diligentior & laboriosior, magnusque in legibus patriis doctor, ab Antonio Olibano audit, *cujus sententia lubenter ab omnibus* (ait) *recepta est, qui & historiam Comitum Barcinonæ, totamque origenem regalis prosapiæ enarravit in Usatico*: Cùm dominus Raymundus &c. Scripsisse hunc sub eodem Petro in Usatico: *Princeps namque*, testatur ipse, atque ejus cancellarius fuisse dicitur: uterque autem civis Barcinonensis fuit.

265. Dionysii Portugalliæ Regis, qui anno MCCCXXV. obierat, filius nothus hoc tempore, quòde agimus, maximè floruit PETRUS DE PORTUGALLIA, Comes Barcellensium (de Barcelos vulgò) qui cùm esset literis extra sortis suæ morem instructus, præcipuo arsit historiarum amore, maximè Lusitanarum, sive Hispanarum, & cupidissimè illius partis, quæ veterum familiarum origines & successiones, quibus flos nobilitatis constat, accuratè, nec sine magno fructu ac delectatione, persequitur describitque, hujus studii, in quo non lectione tantùm antiquorum codicum & instrumentorum à se consultorum; sed & plurium curiosorum hominum, quam corrogâsset, operâ eum adjutum, simillimum vero est, reliquit nobis monumentum ære perennius, opus genealogicum præcipuarum Castellæ & Portugalliæ familiarum nobilium: quod quidem opus esse maximæ inter nos auctoritatis, ejusque absolutionis & certitudinis, quâ major vix dari possit, Ambrosius noster Morales, flos historicorum, eum omnibus aliis censet [x].

r Pag. 642.

* Edidimus nos primi in Collect. Max. Concil. Hisp. tom. 3. pag. 592. & seqq. CARDINAL. DE AGUIRRE.

s Edit. Paris. MDCLXI. pag. 389.

t De script. Eccles.

u Bosch. Titols de honor de Catalunya lib. 3. cap. 15.

x En el linage de Sant. Domingo in fine tomi 3. Hist. Hispaniæ.

266. Huc ab omnibus noſtris proſapiarum indagatoribus, quantumvis in ſchedis tantùm manu exaratis tribus ferè ſæculis legeretur opus, recurri mos & æquum fuit. Librum tamen ex archetypo archivi Ulyſſipponenſis deſcriptum Joannes Baptiſta Labanha Luſitanus, Chriſti militiæ eques, & Catholicæ Majeſtatis archicoſmographus, Luſitaniæque ſuæ chronographus, propriis Notis & indicibus ornatum, editionique paratum, apud hęredes moriens reliquit, quem excellentiſſimus D. Emmanuel de Moura & Corte-real, Marchio Caſtelli-roderici, Romę, dum Philippi Regis noſtri IV. legatum ageret, typis edi curavit Luſitanâ linguâ, quâ ſcriptus fuit, cum hac inſcriptione:

Nobiliario de D. Pedro Conde de Barcelos, filho do Rey D. Dionis de Portugal, ordenado e illuſtrado con Notas e Indices. Apud Stephanum Paullinum MDCXL. in folio. Eundem Caſtellanum à ſe factum prælo iterum Alphonſi de Paredes Matriti ſubjecit anno MDCXLVI. cum Notis ſuis & aliorum, doctus vir & eloquens Emmanuel Faria de Souſa, & ipſe Luſitanus. Aſſervantur exempla ejus in diverſis bibliothecis MSS. binumque exſtat in ea quæ fuit Comitis Villumbroſani.

267. Meminit hujuſce operis adhuc tempore ſuo deliteſcentis Andreas Reſendius in epiſtola quadam ad Bartholomęum Quęvedū Toletanū canonicum [y]. *Librum* (ait) τῶν γενέων, *aut proſapiarum, ſi mihi permittant Ciceroniani priſco uti vocabulo, nobilium Hiſpaniæ familiarum, quem Gaſpar Barrerius in ſua* Chronographia *promittit* [z], *antiquum eſſe ſcito, auctoremque ejus Petrum Comitem Barcellenſem, Regis noſtri Dionyſii nothum. Liber eſt etſi ſtylo rudi, ut illud erat ſæculum, lectione tamen non indignus. Comptiorem eum facere poterat Barrerius, cui non deeſt ingenium, & ſermonis uſus; novum facere non poterit, niſi plagio ſe involvat* &c.

[y] Quæ eſt inter Reſendii opera tomo 2. pag. 213. & *Hiſp. illuſt.* tomo 1

[z] Fortè in ejus Conimbricenſis edit. anni MDLXI. fol. 161.

268. Antonius Brandanus Ciſtercienſis, Luſitaniæ poſt Brittum chronographus, lib. 10. *Monarchiæ Luſitanæ* cap. 4. [a] cujuſdam codicis meminit, olim in turri *do Tombo*, ſive Ulyſſipponenſis regii archivi, exſtantis, anno MCCCXLIII. ſcripti, quem ex temporis nota ejuſdem Petri eſſe ab nonnullis colligetur; in quem conjeciſſe is videbatur quicquid in præmiſſo jam opere genealogiarum ſeu Nobiliarii minus accuratè recéve prius ſcripſiſſet. Neque tamen exemplum Ulyſſipponenſis turris *do Tombo*, unde facta eſt hujus operis editio, auctoris autographum vulgò exiſtimant. Nec deſunt [b] quibus minus placet, quampluraque de novo adjuncta & ab exſcriptoribus perperam poſita conqueruntur, cum veris aliis monumentis parùm convenientia. Controvertitur tamen, ne id omittam, de libri auctore ab iis qui præter hunc, alium, cui nomen quoque Petro fuerit, ejuſdem Dionyſii Regis filium reperire ſe in veteribus produnt memoriis: cujus rei auctorem habeo Bernardum de Britto *Monarchiæ Luſitanæ* primum formatorem, in elogio Regis Dionyſii [c].

[a] Laudatus à Labanha in Notis ad tit. 21 & 40. fol. 119. & 225.

[b] Prudentius Sandovalius *Chronica del Emperador D. Alonſo* fol. 181. Marchio Montis belli *Memorial de ſu caſa* pag. 116.

[c] *Elogios dos Reys de Portugal.* Ulyſſippone MDCIII. in 4.

269. Ipſe tamen *Nobiliarii*, quiſquis ille ſit, compilator, inter Dionyſii Regis filios nonniſi unius Petri Comitis recordatur, minimè alterum ſilientio damnaturus, ſi unquam fuiſſet. Et huic forſan eidem Petro tribuere poſſumus *Carmen* linguâ patriâ ſcriptum mille verſus complectens, gloſſis etiam quibuſdam additis, *De contemptu rerum orbis delectantium.* quod impreſſum typis in Hiſpania cum hac inſcriptione, Alphonſus Ciaconius in ſchedis ad univerſalem bibliothecam, quas penes nos habemus, laudat. Porrò matrem Comitis noſtri Barcellenſis Gratiam appellant, majoriſque vexilliferi Regis geniroris munus ei conſignant; bis uxorem duxiſſe, & anno MCCCXLVII. vitâ jam defunctum fuiſſe abſque prole ajunt: quo ſcilicet anno altera ejus conjux Maria Eximina Cornelia in ſepulchro Xixenenſis regni Aragoniæ monaſterii ſeſe Petri Comitis viduam diſertè vocavit. Jacet ipſe in Taroucano Ciſtercienſium monaſterio, quod à Lamecenſi urbe duabus diſtat leucis.

270. Luſitanus & ille videtur, quem Auguſtiniani ſodales ſuæ familiæ aſſerunt, ALFHONSUS DE PORTUGALLIA, ſcripſiſſeque *Interpretationem* ſeu *expoſitionem*, ut mos ferebat hujus temporis, *magiſtri Sententiarum*. Subdubitat tamen ingenuus vir Thomas de Herrera in *Alphabeto Auguſtiniano*, an ad hunc ordinem ſuum pertinuerit.

CAPUT VI.

De ALPHONSO *Caſtellæ Rege XI. ſive ultimo hujus nominis. De debellatis prælio quodam ab eo Mauris, in Hieronymi Suritæ hiſtoria error editionum annotatur. Hujus Regis Chronicon Hiſpaniæ proſaïcum aut metricum. Liber de venatione*, De la monteria, *& alius* del becerro, *ejuſdem juſſu & auſpiciis formati. Quinam hujus poſterioris auctores. De* JOANNE EMMANUELE *Caſtellæ Infante, & ejus opere hiſtorico, aliiſque moralibus, ac variis.* NICOLAUS ROSSEL *Majoricenſis, S.R.E. Cardinalis. De* ANONYMO *ſcriptore* Hiſtoriæ Hiſpanæ *ab initio rerum. Deque* ANONYMO *altero, ſeu potiùs* ANONYMIS, *libri* del becerro *vulgò appellati, auctoribus. De* GUILIELMO PRÆPOSITI, *ſive* DES-PAVORDE, *Catalano juriſconſulto.* BERNARDO *item Oxomenſi Epiſcopo.* ÆGIDIO CARRILLO ALBORNOZIO *Cardinali, Archiepiſcopo Toletano, præter ſummam ex rebus geſtis laudem, ſcriptoris laus è Conſtitutionibus Ægidianis, aliiſque ab eo formatis, conſignatur. Fundatio collegii S. Clementis Hiſpanorum in Bononienſi urbe. De* ANONYMO *auctore hiſtoriæ Latinæ S. Joannis Pinnatenſis in Aragonia. De* ALPHONSO DE VARGAS *Toletano, Hiſpalenſi antiſtite. De* JOANNE DE CARDALHACO *Archiepiſcopo Bracarenſi.* JACOBUS DOMINICI *Dominicanus.* JOANNES BALLISTARIUS, FRANCISCUS DE BACHONE, *&* BERNARDUS OLLERIUS, *Carmelitæ. De* ABEN-AGATIN *Mauro, ejuſque operibus.*

271. DUOBUS etiam aliis regiis ſcriptoribus caput hoc inchoabimus, qui

qui per hęc tempora summam rerum nostrarum, secundum suam quisque eorum conditionem, tractavere. Alter est ALPHONSUS Castellæ & Legionis Rex, hujus nominis vulgò XI. aliis XII. certè ultimus, appellatione *Justus*, atque etiam *Conquestor*; quem etiam in more est vocari [d] ab insigni de Mauris victoria in Bætica ad freti ab eo reportata juxta Salsum fluviolum. Natus hic è Ferdinando IV. & Constantia Dionysii Portugalliæ Regis filia anno hujus sæculi undecimo, proximè sequenti anniculus genitori successit. Cumque justæ esset ætatis factus, rebus strenuè domi & contra hostes gestis, Alphonsini nominis celebritatem propagavit, neminique eorum, quibus fatalis hæc virtutis & gloriæ appellatio contigit, inferior fuit.

272. In ea, quam diximus, pugna, junctis exercitui suo Portugalliæ, quas ipse Rex Alphonsus IV. ducebat, copiis, immensam Albohaceni Marrochii & Aben Josephi Granatæ Regum aciem, Tarisam obsidione cingentem, quam ad septingentorum, & ampliùs, millium ascendisse, vulgaris fama est, quatuordecim tantùm equitum, ac viginti quinque millibus peditum III. Kal. Novembris anni MCCCXL. perfregit fugavitque, ducentis, ut ajunt, millibus cæsis, & innumeris captis; de quo consuli æquum est historias [e]: quibus adjungo libens summi viri, & ad posteritatem omnem commendati, D. Ægidii Carrilli Albornozii, qui prœlio interfuit, antistitis jam eo tempore Toletani, postea S.R.E. Cardinalis, & Pontificii patrimonii recuperatoris inclyti, quandam epistolam, Ambaldo Tusculanensi Episcopo (potiùs Annibaldo, cognomine *de Ceccano* [f]) S.R.E. Cardinali directam, quæ à Philippo Labbeo in *Chronico Rothomagensi* volum. I. *Bibliothecæ novæ* MSS. librorum [g], non ita dudum edita fuit.

273. Neque miraculo vacat tantam hostium stragem viginti quinque dumtaxat Christianorum militum cæde constitisse. A quo quidem numero (ne id prætermittamus valdè notâ dignum) quamvis Hieronymus Surita dissentire videatur, observante Raynaldo, & Ciacconio [h], viginti quinque millia Christianorum desiderata referens; operarum tribuendum hoc errori est, ut pro *viginti quinque*, *viginti quinque millia* nunc legamus. Qui error ex iis quæ statim adjungit manifestè coarguitur, prœlium hoc alteri *de Ubeda* cognominato, quod Alphonsus VIII. anno MCCX. profligavit [i], in quo non major quàm viginti quinque Christianorum numerus desideratus fuit, aliis quindecim supra centum affirmantibus, omnino exæquans. Idque ipsum censuisse eum, ex *Indicibus rerum Aragonensium*, in quibus incruentam vocat hanc victoriam, planè confirmatur. Tantum valet ad deterendam, quantumvis maximam, gloriam, vel levissimus typorum lapsus. Sed jam recepti canere opus, gloriosissimi triumphi recordatione extra rem vagantibus.

274. Obiit diem suum Alphonsus pestilenti morbo, dum Calpen freti urbem (*Gibaltar* hodie) obsideret, XXVI. die Martii ann. MCCCL. ætatis suæ tricesimo octavo. Cui quidem attribui communi solet fama *Historia* quædam *generalis Hispaniæ*, alia prorsus ab ea quæ Alphonsi X. Sapientis, proavi hujus nostri, nomen præsefert, quantumvis utramque pro una habuerit Sandovalius Episcopus Pampilonensis [k]. Certè hanc diversam à *Generali* vulgari *historia* Sapientis agnovit, & per eam profecit, Florianus Docampus, qui unam & alteram in prologo *Hispaniæ* sui *Chronici* omnium aliarum copiosissimas diffusissimasque rerum nostrarum historias esse ait; qui & aliis in locis [l] ejus testimonio utitur. De hac senserit fortasse meliùs quàm de alia D. Joannis Emmanuelis historia, cujus statim mentio fiet, Ambrosius Morales lib. 13. *Chronici Hispaniæ* cap. 4. habere se in membranis exaratum antiquissimum Hispaniæ Chronicon anno MCCCXLIV. quod ibidem legitur, scriptum, referens. Agnovit etiam hoc Alphonsi opus nonnusquam esse Garibajus lib. 14. cap. 1.

275. Neque negamus verosimilius esse hujus Regis jussu & auspiciis potiùs, quàm ab illo hunc exantlatum compilandæ historiæ laborem fuisse: quod itidem de Alphonso seniore, dictaque ejus historia, loco suo monuimus. Sed cùm nonnisi eorum duorum nomine utramque consignatam habeamus; regio titulo inscribere fas & æquum fuit. Diversum autem quid à laudato opere, si Deo placet, Gundisalvus Argote de Molina significare videtur, dum in *Bæticę nobilitatis* [m] commentario libris manuscriptis, quorum ope hunc confecisset laudatis, accenset *Chronica en coplas redondillas, por el Rey Don Alonso el ultimo.* hoc est, Chronicon versibus Hispanæ linguæ vernaculis ab Alphonso Rege ultimo compositum. In quo tam disertè notando opere, ut metricum, non verò prosaicum fuerit, virum diligentissimum ac veritatis amatorem vix falli potuisse credimus. Atque hunc quidem historico-musicum opus quin Alphonso ipsi Regi haud ineptè tribuamus, nullam invenimus rationem. Planè neque hanc, nec alteram pede liberam historiam hucusque formis impressam vidimus.

276. Ejusdem quoque Regis Alphonsi munitus appellatione fuit, sive ab eo, sive ab alio confectus, liber *de la monteria*, sive *de venatione*; quem illustratum à se idem Gundisalvus Argote Hispali MDLXXXII. in folio, Andreæ Pescioni typis subjecit; Gallique jam, Labbeo teste in *Bibliotheca nova manuscripta* [n], sermone suo verterunt.

277. Hoc etiam jubente Alphonso liber alius confectus est, & publicâ notâ insignitus, qui *del becerro*, hoc est, *vitulinus*, vulgò audit. Cujus auctores fuere GUNDISALVUS MARTINI A PEÑA-FIEL, & LAURENTIUS MARTINEZ, ejusdem oppidi, anno, ut dicitur, MCCCXL. ab iis cœpti, & MCCCLII. regnante jam Petro, absoluti. Quo scilicet describi placuit veluti in albo publica nobilium totius Castellæ hominum nomina, atque item oppidorum, in quibus vel natales vel patrimonia sortiti essent. Liber hic ex sanctione Elisabethę Reginæ,

d D. Alonso el de la batalla del Salado.

e Garibay lib. 14. Compendii histor. Hisp. cap. 11. Mariana lib. 16. cap. 7. Surita lib. 7. Annal. Arag. cap. 53. Raynaldus Annal. Eccles. tom. 16. anno MCCCXL. num. 26.

f Ut constat ex Hist. Pontif. & Cardinal. in Joannis XXII. creat. 4.

g Pag. 188. ad annum MCCCXL.

h De Vitis Pontif. in Clem. VI. & Ægidio Albornozio Card.

i Mariana lib. 11. cap. 24.

k En las Notas à los Obispos pag. 222.

l Lib. 3. cap. 42. & lib. 4. cap. 5.

m Nobleza de Andaluzia, in principio.

n Pag. 301.

ginæ, quæ hodie lex est 5. tit. 55. libri 2. *Recopilationis* apud cancellarium, uti vocat, Pinciani oppidi esse debuit. Hodie tamen in Septimancensi servatur archivo regio.

278. Alphonsi hujus cognatus fuit JOANNES EMMANUEL, Emmanuelis Infantis filius, B.Ferdinandi Castellæ atque Legionis Regis nepos, Villenatum princeps, ac Dux de Peñafiel, cujus ex Beatrice Sabauda filiam Joannam Henricus II. Castellæ ac Legionis Rex uxorem duxit; vir suo tempore in paucis clarus, regiæ stirpis, divitiarum ac dignitatis, multarumque animi & corporis dotum prærogativâ, unâ dumtaxat majestate Regum Ferdinandi IV. atque ejus filii Alphonsi, quos adulta ætate adeptus fuit, minor. Ferdinando certè archiœconomus (*Majoremdomus* olim Gallia, & nunc nos appellamus) atque à consiliis erat, cùm invicem fato functi Regis Alphonsus ejus filius ante annum in lucem editus succedens, plurium regii sanguinis principum, atque in his Joannis hujus ambitiosos gerendi regias vices conatus, atque itidem sui compos factus, jam amicum eum & fidelem, jam aversum & hostem, juxta momenta rerum varia, expertus fuit.

279. Sibi tandem constans Emmanuel noster à Regis latere nunquam discedere, virtutis bellicæ laudem in prœliis omnibus ante alios reportare, Mauris hostibus terrori esse. Quamquidem toto vitæ tempore amplissimè atque honestissimè partam belli sudore gloriam honestis æquè pacis artibus cumulavit: poëta, si quis alius eorum temporum, genio & ingenio præstans, philosophiæ morum, & civilis regiminis doctrinâ excellenter instructus. Multa composuit soluto, ligatoque numeris sermone, quorum omnium uno fruimur edito libro, cui titulus:

280. I. *El Conde Lucanor*, instar dialogi: opere consiliorum moralium, & frugi rerum pleno; quem retenta, uti decuit, antiqua auctoris phrasi, Gundisalvus Argote de Molina, inter precipuos antiquitatum nostrarum vindices, Hispali anno MDLXXV. in lucem edidit, adjunctis & Vitâ Joannis nostri, & nobilissimæ inter nos ab eodem derivatæ familiæ *de los Manueles* successione, atque item *discursu* quodam *De Castellana ejus temporis poësi*. Hunc iterum edidit Matriti Joannes Diaz de la Carrera anno MDCXLII. in 4°. Cætera adhuc latent à viro clarissimo relicta monumenta, nempe

281. II. *Summario de la Chronica de España*, tribus libris: quorum primus DV. secundus CCCXXV. tertius tandem CCCXLI. capitibus constant. Absolvitur ultimum beati Ferdinandi Regis, auctoris avi, morte. Verè autem summarium, quia, ut ipse ait [o], compendium Alphonsinæ *Generalis est historiæ* amplioris. Matriti hanc in bibliotheca D.Christophori de Zambrana, Calatravæ militiæ equitis, manu exaratam olim vidimus, & nuper apud Marchionem Mondexarensem, licèt acephalam; laudatque Gundisalvus idem Argote, è libris unum, quibus MSS. ad utilissima & accuratissima componenda, quæ vel in lucem edidit, vel aliquando meditabatur edere, monumenta, uti se, monere nos voluit.

[o] In prologo.

282. Diximus in superiore Alphonsi Regis elogio, non Joannis hanc, sed istius Alphonsi auspiciis formatam historiam videri Ambrosium Moralem ad manum habuisse; quam is, tanquam si Joannis esset, lib. 13. cap. 4. & 28. historiæ suæ laudat. Cui quidem compendio Gundisalvus Argote sæpè jam dictus adjungit sequentia opera, quæ relicta ab auctore fuisse ait in cœnobio S.Paulli ordinis Prædicatorum, quod in oppido *Peña-fiel* Castellæ veteris, in quo tumularetur, vivus sumptibus suis ædificari fecerat, nimirum

283. III. *Libro de los sabios*. Liber *sapientum*.

IV. *Libro del cavallero*. Quod interpretor, librum *De milite qui equo meret*.

V. *Libro del escudero*. Hoc est, *De pedite*.

VI. *Libro del infante*. Idest, *De Regis filio*.

VII. *Libro de cavalleros*. Fortè *De re equestri*.

VIII. *Libro de la caza*. Hoc est, *De venatione*.

284. IX. *Libro de los engaños*. Scilicet, *De fraudibus dolisve*. An verò *strategematibus?*

X. *Libro de los cantares*. Carmina videlicet, quæ quidem editurum se post publicatum *Comitis Lucanoris* laudatum antea opus, idem Gundisalvus in se recepit [p].

[p] In discursu sobre la *poësia Castellana*.

XI. *Libro de los exemplos*. *De exemplis*.

XII. *Libro de los consejos*. *De consiliis*.

285. Jacet in prædicto cœnobio S.Paulli *de Peña-fiel*, sub hoc epitaphio:

AQVI IACE EL ILVSTRE SEÑOR D. IVAN MANVEL
FIJO DEL MVI ILVSTRE SEÑOR INFANTE D. MANVEL
Y DE LA MVI ESCLARECIDA SEÑORA DOÑA BEATRIZ
DE SABOIA, DVQVE DE PEÑAFIEL, MARQVES DE
VILLENA, ABVELO DEL MVI PODEROSO REY, Y SEÑOR DE CASTILLA, Y DE LEON, D. JVAN PRIMERO
DESTE NOMBRE. FINO EN LA CIVDAD DE CORDOVA
EN EL AÑO DEL NACIMIENTO DE NVESTRO SALVADOR DE MCCCLXII.

Sed

Sed nonnisi circa ann. MCCCXLVII. quamvis inscriptus hic reclamet lapis diu post mortem positus Joannis nostri, decessisse eum ex historiis constare, idem ait Gundisalvus Argote, ex quo quicquid hactenus de viro inclyti nominis dictum fuit, accepimus.

286. Post virum principem laïcum, principem virum Ecclesiæ laudabimus, NICOLAUM ROSSEL videlicet, S.R.E. Cardinalem ab Innocentio VI. Papa anno huis sæculi LVI. Avenione, ubi tunc Pontificum aula erat, creatum. Balearium majorem insulam hic patriam habuit; in quo conveniunt Vincentius Mut in *Historiæ regni Balearici* tom.2. lib.8.cap.6. & lib.11.cap.4. Hieronymus Surita lib.9. *Annalium* cap.6. Balthassar Porreñus in *elogiis Pontificum & Cardinalium Hispanorum* MSS.Ciaconius autem, atque eum sequuti Dominicani, Lopez Monopolit. Episc. *Histor. Ord. Præd.* par.4. Fontana in *Monumentis Dominicanis* ad annos MCCCL. MCCCLI. MCCCLVI. quorum institutum professus fuit, nonnisi Tarraconensem appellantes, de patria in Aragoniæ Regum ditione, quod nomen à Tarracone dictum urbe quidam pro comperto habent, intelligendi sunt.

287. Præfectus fuit Aragoniæ provinciæ, simulque Inquisitor Generalis ingentis famæ ac meriti gratiæque apud Petrum Regem IV. à quo postulatum ei purpureum fuit Cardinalitium schema; quod primus è subditis Aragoniæ Regum obtinuisse dicitur. Romæ dum esset anno MCCCLXII. ægrotavit, tabulasque testamenti condidit, navigioque inde in patriam Majoricam vectus, si fortè nativo aëre à morbo liberaretur, decessit ibi XXIII. die Martii ejusdem anni, ante quadraginta & octo natus. Res ejus gestas copiosiùs aliis enarrat Porreñus. Nullus autem in scriptis laudandis. quorum Ciaconius aliique certiores nos fecerunt.

288. *Romanorum Pontificum gesta pergrandi volumine complexus est* (Ciaconius ait in Innocentio VI.) *cujus exemplar tineis fulcatum Romæ se vidisse affirmat in bibliotheca collegii Capranicensis, & in Vaticano, auctor nomenclatoris Cardinalium*. Exemplar aliud asservari in bibliotheca Aniciana, ut vocat, Benedictinorum, Constantinus Cajetanus affirmat in *commentario ad Gelasii II. Papæ Vitam Pandulphi Pisani* pag.19.Scripsit etiam (Ciaconius infit)

289. *De quadruplici jurisdictione Romanæ Ecclesiæ in regnum Siciliæ, hoc est Neapolitanum*. Quem servari librum in bibliotheca Vaticana Ciaconius ait. Aliud ab his diversum opus, cùm de superioribus taceat, Joannes Eisengreinius in *catalogo testium veritatis* nostro attribuit, nempe

290. *De unitate Ecclesiæ, & schismate vitando*. Sed Vincentius Mut *Balearis historiæ* auctor, loco jam laudato aliorum operum meminit, nempe

Historiæ ordinis sui *Prædicatorum*, quam ait Romæ eum anno MCCCLVII. absolvisse.

Indicis item *copiosi virorum insignium ejusdem ordinis, qui Parisiis doctores creati fuissent*.

Commentariorum quoque *in ejusdem ordinis institutum*. Necnon &

Commentariorum in Matthæi Evangelium.

291. Usque ad principium Petri Regis perduxit ANONYMUS ab initio rerum historiam, cui ob hanc caussam locum hic dedimus. Hujus epigraphe: *Historia de España*, quæ exstat in bibliotheca, quæ fuit Comitis de Villa-umbrosa, quò magna pars librorum MSS.apud plures latentium confluxit. Hæc ab orbis fundatione ducto principio, res Hispanas usque ad hujus Regis initium persequitur. Scriptusque dicitur anno MCDIV. Chronicon hoc: *la historia Gallega*. Tralatitiè appellari hujusmet bibliothecæ liber elenchus annotat fol.105. Hujus sæpè meminit Prudentius Sandovalius in sua *Regum Castellæ historia*.

292. Horum temporum sunt ANONYMI, sive plures, sive unus, confectores libri, qui apud nos audit *del Becerro*, fortè à vitulina pelle, quâ coopertum primum & publicum exemplum fuit: quod asservari nunc in regio totius Castellæ archivo, seu tabulario Septimancensis oppidi, comperta res est. Continet relationem quandam locorum ejusdem Castellæ regni, cujusnam ditionis seu dominii quisque sit, & in eo quinam nobiles domum aut prædia possideant, & quæ jura seu vectigalia Regibus debeat solvatque. Extracta ex eo quædam nos habemus in schedis nostris ex codice excellentissimi domini D.Gasparis à Mendoza Ibañez de Segovia, Marchionis nunc Mondexarensis. Aliud exemplum habuit D. Josephus Pellizerius literis admodum antiquis exaratum, ex quo transcripsit suum, quod Matriti nunc habet D.Joannes Lucas Cortesius, rerum criminalium dicasterii & curiæ judex.

293. GUILIELMUS PRÆPOSITI, sive DESPABORDE, Catalanus, Arenii Comitatûs Ripa-curtii jurisconsultus, Petri IV.Aragonum Regis tempore circa annum MCCCLVI. in vivis fuisse dicitur. A quo scripta inter libros manu exaratos amplissimi viri Antonii Augustini Tarraconensis præsulis fuere

I. *De privilegio militari tractatus*.

II. *De pace & treuga, ad conciliarios & probos homines Barcinonis*. In charta scilicet annorum plusquam centum, ut in *indice* ejus *bibliothecæ* legimus. Item

III. *Alphabetum juris patrii*.

294. BERNARDUS Oxomensis Episcopus, Alphonso adhuc in vivis agente Castellanorum Rege undecimo, pro instructione Petri principis filii ejus primogeniti, qui in regno eidem successit, ex Latino in vernaculum sermonem convertit Ægidii de Columna, sive Romani, ordinis Eremitarum Sancti Augustini decantatissimum opus *De regimine principum*, quem quidem hac Hispana inscriptione editum scimus: *Regimiento de los principes, de Egidio Romano para enseñamiento del Infante don Pedro, hijo de don Alonso Rey de Castilla, de Leon*, &c. Hispali per

per Meinardum Ungut anno MCDXCIV. in folio.

295. Maximè verò illustratum sese fateri hoc sæculum debet, eo quòd excellentissimum belli & pacis tempore, nullique superiorum secundum, heroëm produxerit; insigne Hispaniæ nostræ ornamentum, Pontificiæque dignitatis decus & splendorem in paucis futurum. ÆGIDIUS hic est CARRILLO DE ALBORNOZ, Toletanus Archiepiscopus, & purpuratorum patrum apex; quem paucis laudare vix decet, neque multis opus est, post non unum aut alterum de vita & rebus ejus gestis commentarium in vulgus editum, atque hisce plenam omnium hujus temporis historiarum memoriam. Joannis præsertim Genesii Sepulvedæ Cordubensis elegantem adire licebit hujus argumenti librum, si quis virum maximum vivis coloribus descriptum videre cupiat.

296. Brevi ut compendio morem exsequar, natus fuit in Concha urbe Castellæ novæ, ex parentibus nobilissimis Garsia Alvari Albornozio ac Theresia de Luna, Tolosæ literas doctus, & ab Alphonso XI. Rege ad Toletanæ amplissimæ dignitatis vocatus infulas, cum ejusdem Alphonsi obitu, in Petri ejus filii & successoris, cognomento *Crudelis*, tempora incidisset; sibi cavens, ne fortè sævitiæ Regis, clarissimo cuique regnorum suorum viro usque ad excidium infensi, subjacere posset; quæsitâ occasione ad Clementem VI. Pontificem Maximum Avenione degentem se contulit, à quo galero Cardinalitio fuit ornatus.

297. Hujus autem successor Innocentius VI. Ægidium Sabinensem promotum Episcopum, *fortem opere & sermone* virum (ut verbis ejusdem Pontificis laudem) tanquam Pacis angelum in Italiam summa potestate instructum delegavit, cujus munus & cura esset integrum ferè Romanæ sedis patrimonium ab tyrannis dissipatum, atque armis oppressum, libertati ac statui pristino vindicare. Quod mirâ animi & corporis industriâ atque vi intra non multum temporis spatium perfecit, Urbano V. qui Innocentium excepit, amplâ viâ munitâ, ut, quod magno omnium plausu, & Pontificiæ dignitatis honore & compendio, hujus sæculi anno quinto supra sexagesimum exsequutus fuit, ab Avenione & Provincia Galliæ, in Italiæ & Romanæ urbis propriam sedem sese & Pontificiam aulam & curiam opportunè ac tutò transferre posset.

298. Quatuordecim Ægidius annis summæ rerum in Italia præfuit, tam armis adversus tyrannos, quàm consilio erga cives administrato optime imperio. Inter cujus plenæ frugis & prudentiæ alia opera, formatæ ab eo constitutiones, quas *Ægidianas* inde vocant, pro Piceni, & aliorum tractuum Pontificiæ ditionis rectâ administratione, optimo jure laudantur. Libri titulum in MS. codice Altempsianæ bibliothecæ hunc legimus: *Constitutiones editæ per reverendissimum in Christo patrem & dominum D. Ægidium miseratione divina Sabinensem Episcopum, Cardinalem, Apostolicæ sedis legatum, ac in terris in Italia consistentibus citra regnum Siciliæ vicarium in temporalibus generalem, in generali parlamento dictarum terrarum celebrato in civitate Fani, & per ipsum parlamentum receptæ, currentibus annis nativitatis Domini millesimo CCCLXII. indictione* x. *die ultimo Aprilis, secunda & tertia Maji, Pontificatûs domini Innocentii Papæ VI. anno quinto.* Incipiunt: *Volentes, sicut nobis commisit, &c.* Ægidianæ hæ constitutiones cum additionibus Carpensibus & glossis Gasparis Cavallini Venetiis editæ sunt MDLXVIII. & MDLXXI.

299. Præterea scripsit institutiones quasdam, quarum pervetustum exemplar in membranis inter antiqua civium suorum monumenta se legisse fatetur Julius Roscius Hortinus in *elogiis militaribus*, de quo Ciaconius admonet q.

300. Alias quoque edidisse cum constitutiones, cùm vicarius esset regni *Siciliæ* citra Pharum, Neapolitani scilicet, Joannæ Reginæ tempore, quæ in Cardinalis Sirleti bibliotheca olim viserentur, *Nomenclator Cardinalium* nos docet.

301. In *nova* autem *bibliotheca manuscripta* Philippus Labbeus edidit epistolam quandam Ambaldo Episcopo Tusculanensi directam, quam scribit ei Archiepiscopus Toletanus (qui noster Ægidius est) de victoria Regum Castellæ & Portugalliæ adversus Sarracenos juxta fretum reportata, quam nos à fluvio Salato vocamus, cui præsul hic interfuit. Reperitur ea Chronico cuidam Rothomagensi inserta, *Bibliothecæ* istius I. volumine pag. 388.

302. Æquè tamen meritus fuit ab Hispana sua gente, nec minus à Bononiensi, quam effictim amavit & ornavit, urbe, collegio quodam alendis uni super triginta Hispanis scholaribus in hac ædificari jusso, ad quod duobus ferè sæculis, non minùs quàm ad Parisiensem scholam, nostra juventus, rudi hactenus bonorum studiorum Martiales inter fremitus Hispania, confluere sueta, alumnos sortita est hujus collegii doctrinâ dignitateque eminentissimos; quamvis hodie jam ab antiquo illo splendore defecerit, fundatis intra Hispaniam tot amplissimis studiorum gymnasiis, tamque majoribus, ut vocant, quàm minoribus studiosorum domibus, quò omnes, qui literis edoceri cupiunt, ex omnibus ejus angulis innumeri, neque unus aut alter externorum, tanquam ad mercatum bonarum omnium disciplinarum, convenire solent.

303. Viterbii vir magnus obiit die XXIV. Augusti MCCCLXVII. Quem, verbis licèt non ita elegantibus, æqualis tamen ei scriptoris, laudatum dimittemus. Is est anonymus, qui *Vitam Urbani V. Papæ* descripsit, & à doctissimo Francisco Boscheto Monspeliensi Episcopo lucem vidit, in *Pontificum è Gallia oriundorum historia*. Hic de Ægidio dum meminit, *Fuit insuper bonus* (ait) *admodum virtuosus, literarum scientiâ præditus, in agibilibus multùm circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus, ac in factis armorum non omissa*

Ponti-

q In vita Clem. VI. & Ægidii nostr. elogio.

Pontificali decentia valdè edoctus & expertus, ficut in omnibus fic & taliter fe gereret, quòd in tota Italia vivens amabatur, aut faltem timebatur. Hæc ille, & nos ad alia; ne noctuas, ut proverbium eſt, Athenas.

304. Hujus temporis, anni fcilicet MCCCLXX. notam præfefert Latinus auctor *Hiſtoriæ Pinnatenfis in Aragonia*, quæ MS. cuſtoditur in monaſterio Benedictinorum Clauſtralium S. Joannis *de la Peña* vulgò dicto, in mediis Pyreneis montibus, unde poſt Maurorum inundationem Chriſtiana religio & regnum Gotthorum ferè extinctum, ad hanc plagam ex parte revixit & enatavit. *Hiſtoria* exſtat vulgaris è Latina iſta veniens, Joannis Briz Martinez, ejuſdem monaſterii abbatis. Sed ANONYMI Latinam veterem illius, quod diximus, temporis, non prorſus exactâ diligentiâ ſcriptam fuiſſe, ſed ordinem rerum turbâſſe, conqueritur Petrus Abarca in *Regibus ſuis Aragoniæ* fol. 33. prioris partis. Qui tamen alibi (fol. 71.) Joſepho Moreto, *Inveſtigationum regni Navarræ* auctori doctiſſimo, gratias habet pro ejus publicatione lib. 2. earundem *Inveſtigationum* cap. 5. Quam & ipſe iterum typis commiſit, & hîc laudamus, quantumvis breviſſimam, ob inſignem ejus excellentiam, ac totius Aragonenſis hiſtoriæ regniq́ue veluti Palladium ſemper habitam. Videndus Joſephus item Moretus in *Congreſſionibus apologeticis pro veritate inveſtigationum*, congreſſione 5. qui & Surita lib. 1. *Annal.* cap. 11. turbatum in eo rerum ordinem accuſat. Eundem Moretum vide congreſſione 8. num. 14.

305. Ante annum à magni Albornozii Toletani præſulis obitu Alphonſus Hiſpalenſis antiſtes, ejus olim amiciſſimus, & in Italico ſacro adverſus tyrannos Eccleſiæ Romanæ urbium ac ditionis geſto bello, ſtrenuus valdè copiarum ductor, diem ſuum obierat. In hoc viro neſcias qua arte eximiam literarum theologicarum peritiam & profeſſionem, religioſumq́ue vitæ inſtitutum apud Auguſtinianos ſuſceptum, cum militari vita, & cunctis quæ in acie & oppugnationibus ad præfectum belli ſpectant, diu atque acriter exercitis, componas. Nam ex confeſſione tam domeſticorum, quàm illorum qui res pontificias literis tradidere, idem eſt ALPHONSUS DE VARGAS Toletanus, Joannis Alphonſi filius, qui Pariſiis in academia ſacræ ſcientiæ operam dedit, renunciatus ibidem ejuſdem doctor & profeſſor, cùm Toleti in patria jam olim Auguſtinianorum eremitarum ſacramentum dixiſſet: idem, inquam, eſt cum Alphonſo Toletano Pacenſi Epiſcopo, qui Ægidium memoratum Albornozium in expeditione illa Italica inter alios fuit ſequutus, auctus (ut verbis utar Geneſii in libro *De rebus Albornozii* primo) hac dignitate à Pontifice (Innocentio VI.) Ægidii precibus exorato, quòd eſſet ei veteri fidaq́ue familiaritate conjunctus. At nec ſolus is dicitur ſacer homo ſeſe comitem Cardinali dediſſe, cùm & Lupus Cæſar-auguſtanus Epiſcopus idem apud eundem hiſtoricum feciſſe referatur.

306. Geſtum eſt hoc bellum ſcilicet ab anno MCCCLIII. Innocentii Papæ primo, uſque ad MDCLIX. quo anno Forum-Livii Romanulæ, ſeu Æmiliæ provinciæ urbs una, cum Franciſco Ordelaffo tyranno in ditionem Romani Pontificis reverſa eſt, ut ex Matthæo Villano conſtat: quibus ultimis belli partibus, Geneſio eodem teſte, Alphonſus interfuit præfuitq́ue Toletanus. Quo tempore non dubitamus, quin, conferente ſe Avenionem, & in curiam Ægidio, ſit etiam facultas eidem Alphonſo conceſſa in propria redeundi. Sed ab anno iſto uſque ad fatalem ejus annum MCCCLXV. ſeptem dumtaxat interceſſere: quo quidem intervallo temporis minimè potuit à Pacenſi ad Oxomenſem Eccleſiam, indeq́ue ad Hiſpalenſem, transferri, ſeptemq́ue annis Oxomenſem, quinque autem Hiſpalenſem Eccleſias regere. Oportet igitur jam Oxomenſem factum ad nos rediiſſe, & anno MCCCLXI. Archiepiſcopali urbis Hiſpalis dignitate auctum (quod ex monumentis hujus Eccleſiæ compertum eſt) uſque ad ſexageſimum ſextum vixiſſe: quod ex ſepulchrali ad cappellam S. Jacobi Majoris Apoſtoli ejuſdem almæ ædis lapide notum habemus; cujus inſcriptio hęc eſt ſimplex & minimè ambitioſa:

Aqui jace D. Fr. Alonſo por la gracia de Dios Arzobiſpo deſta ſanta Igleſia de la muy noble ciudad de Sevilla, y maeſtro en ſanta Theologia. Eſpirò à XXVII. *de Diciembre era de MCDIV. años.*

307. Scripſit Alphonſus in Ariſtotelis libros *De anima*. ſive *Quæſtiones de anima*, Venetiis editas MDLXV. aliàs MDLXVIII. apud Jordanum Ziletum, in folio, itemq́ue *in librum primum Magiſtri Sententiarum*, ibidem anno MCDXC. in folio apud Paganinum de Paganinis. In reliquos libros *Commentaria*, ſi vera eſt fama, Romæ apud Auguſtinianos S. Mariæ de Populo exſtant.

308. De noſtro agunt, præter laudatum Joannem Geneſium Sepulvedam, & Porreſium in *Rebus geſtis Ægidii Albornozii*, Tarraſamq́ue in *Alphonſo Rege XI.* Thomas Herrera in *Hiſtoria domûs eremitarum Salmantinæ*, & in *Alphabeto*. Elſius in *Encomiaſtico*, aliis laudatis, Ægidius Gundiſalvi de Avila in *Theatro Hiſpalenſis Eccleſiæ*, D. Didacus Ortiz de Zuñiga in *Annalibus Hiſpalenſibus*, Andreas Scotus in *Bibliotheca*, qui in anno mortis & in ſepulchri loco binum admiſit errorem.

309. Ante annum ſcripſerat, hoc eſt, ſæculi hujus ſeptimo ſupra ſexageſimum, JOANNES DE CARDALHACO Archiepiſcopus Bracarenſis, *Librum regalem*, quo jura Henrici, poſtea Caſtellæ Regis, poſt deceſſorem Petrum fratrem ab eo poſt biennium occiſum, ad hoc ipſum Caſtellæ regnum tueri conatus fuit; juſtum opus, quod MS. ſervat inter alia eodem codice compacta D. Joannes Lucas Corteſius, amicus noſter & civis dilectiſſimus, capitalium rerum curiæ Matritenſis nunc primus judex. Libri titulus hic: *Incipit liber Regalis, divina favente gratia editus per me Joannem de Cardalhaco legum exiguum profeſſorem, & ſanctæ Bracarenſis ſedis vocatum Archiepiſcopum & Hiſpaniarum primatem, anno*

Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, in civitate Zamorensi Castellæ. Incipit liber: *Cùm jura abhorreant rerum dominia sub incerto domino divagari*, &c. Præcedit dedicatio: *Sanctissimo in Christo patri & domino clementissimo domino Urbano*, &c. *Universalis Ecclesiæ summo Pontifici*, &c. & Præfatio, quâ divinum auxilium invocat; in cujus fine innuit titulum libri *Regalem* esse, quo tuentur, quæ suprà diximus, Henrici Regis jura. Urbanus Pontifex V. est hujus nominis, qui anno MCCCLXII. rerum sacrarum apicem adeptus est, Gallus, qui fortè Gallum hunc Joannem de Archiepiscopatu Bracarensi providit.

310. Idem cum Nicolao Rossellio, de quo suprà egimus, atque eodem tempore, atque in eadem provincia, institutum Dominicanorum sequutus fuit JACOBUS (JAIME vulgò) DOMINICUS, in cœnobio Cauco-liberitano (*Colibre* nunc audit) Cataloniæ provinciæ, Ruscinonensisque Comitatûs. Provinciæ tamen Gallicæ hic fuit præfectus, deindeque & suæ Aragonensis, Urbani V. Papæ jussa & auctoritate creatus anno sæculi sexagesimo. Hoc equidem maximæ gloriæ fuit illius huic præfecturæ, quòd eo tempore Dominicanorum dixit sacramentum in Valentiæ urbis domo Vincentius Ferrerius, sanctitate vitæ & miraculis, sequenti maximè sæculo, clarissimus. Volumen is grande scripsisse dicitur *De rebus ordinis suis rectè administrandis*. Hæc Joannes Lopez Monopolitanus Episcopus parte 5. *Historiæ* ejusdem *ordinis* lib. 2. cap. 22.

311. Carmelitas tres ut stylo nunc ducamus, petit ætatis ratio. Primus fuit JOANNES BALLISTARIUS (vulgati appellatione *Ballester*) Catalanus origine, Balearis autem domo, ex oppido *Campos* dicto Majoricensis insulæ. Carmelitarum, quorum castra sequutus fuit, XVI. aut XVII. Prior Generalis. Munus hoc sexdecim annis administravit felicissimo ac florentissimo hujusce ordinis ævo, gratus Deo ac viris principibus, ad hæc in theologicis studiis, quorum magister fuit, versatissimus. Hujus laudantur hæc opera:

312. I. *Super libros Sententiarum* libri IV.
II. *Constitutionum sui ordinis* libri duo.
III. *Sermones varii*, duobus libris.
IV. *De bello forti militantis Ecclesiæ*, & *Anti-christo*, sive *De novissimis temporibus*.

313. Obiit, atque sepultus fuit in cœnobio Majoricensis urbis sub hoc epitaphio: *Hic jacet reverendissimus magister in sacra theologia Generalis ordinis Virginis Mariæ de Carmelo Fr. Joannes Ballistarius. Obiit ultima die mensis Septembris anno MCCCLXXIV.* In quo conveniunt Trithemius & Andreas Scotus *Bibliothecæ Hispanæ* brevioris auctor.

314. Alter est FRANCISCUS DE BACHONE, sive, ut credimus, DE BACHÒ, eundem ordinem Carmelitarum in cœnobio Peraladæ provinciæ Cataloniæ professus, Parisiensibus studiis, & professione laudabiliter exercita, anno hujus sæculi sexagesimo sexto in comitiis Montis-Albani procurator generalis creatus, tandemque provinciæ Cataloniæ præfectus, triennio exacto vitam simul & præfecturam an. MCCCLXXII. Augusti 8. die, in cœnobio Campi-rotundi (*Camp-rodò* vernaculè) reliquit moriens. Inter scripta hujus laudantur, præter alia, quæ Trithemium latuere,

315. I. *Repertorium Prædicatorum*. *Magnum & insigne opus* ab eodem vocatum, in quo omnia antiquorum Patrum dicta in unũ ad concionatorum usum collegit. Necnon pro more illius temporis, & scholę Parisiensis,

316. II. *Super libros Sententiarum*. Qui asservatur Romæ in bibliotheca domûs Trans-pontinæ MS. commentarius pulchræ notæ, quamvis antiquæ, in cujus initio Joannes auctor *sublimis doctoris* appellatione insignitus apparet.

317. III. *Sermones plures*, ad populum habitos, laudat Trithemius: cujus quidem pręconio *vir fuit* Joannes *literaturâ nobilissimus, philosophus, orator, atque poëta celebris, theologus quoque, sacrarum legum exercitatissimus, tantumque animi magnitudine, consilio, & doctrina valens, ut doctor sublimis cognominaretur.* Errant attamen hic & Eisengreinius, dum prior ad annum MCD. posterior ad MCDX. floruisse nostrum affirmant.

318. Tertium ponimus BERNARDUM OLLERIUM, (*Oleri* vocant domestici [q]) Catalanum & ipsum ex *Manresa* oppido Vicensis diœcesis, sive ex proxima gentilium ejus domo *Mas-oller* vocata. Hunc instituto suo addictum in patrio cœnobio sacer hic Carmelitarum ordo Priorem Generalem habuit ex Latinorum serie decimũ septimum, aliàs decimũ octavum, & Joannis, quem nuper laudavimus, Ballistarii successorem, anno MCCCLXXV. Podii Velannorum (*le Puy*, sive Anicii) creatum, Parisiensis theologiæ professionis, ubi & doctoralem reportavit pileum, Avenionensis item eorundem studiorum recturæ studio jam olim decurso, quibus provinciæ suæ pręfecturam, diffinitorisque generalis munus adjunxit. Scripta ejus hæc laudantur duo:

[q] *Rosch dels titols de honor de Catalunya* lib. 3. cap. 11.

319 I. *De ordinis sui origine.* Liber singularis ad Urbanum VI. Pontificem Maximum, quam alii appellant *Informationem* historico-juridicam, ad Petrum Cardinalem Corsinum Florentinorum antistitem directam, quo quidem scripto suscitatæ hujus ordinis sodalibus de nomenclatura B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo controversiæ pro virili satisfecisse visus fuit. Siquidem paullò pòst idem Urbanus septimo Kal. Majas anni septuagesimi noni bullato quodam indulgentiarum eidem ordini concessarum instrumento non alio hunc nomine vocâsse legitur. Hanc *Informationem*, seu librum, intexuere *Ordinis Carmelitarum Speculo* ii, qui anno MDVII. Venetis typis publici juris id fecerunt.

320. *De immaculata Virginis conceptione* liber singularis. Vitam diu produxisse dicitur usque ad annum sæculi nonagesimum.

321. ABEN AGATIN Maurus, Granatæ civis sub Josepho Rege hujus urbis primo, qui ad fluvium Salsum memorabile ac mirabile prœlium Alphonso XI. Castellæ cessit Regi, si Francisco Pedrazæ credimus, Historiæ

ftoriæ Granatensis auctori, quamplura scripsit moralis doctrinæ opera, & epistolas. Prædixit is Petro Regi Alphonsi laudati filio necem, quam ab Henrico fratre passus fuit, prophetiâ ad eum quadam directâ, quasi Merlini Angli esset.

CAPUT VII.

FERDINANDUS SANCII DE TOVAR, & JOANNES NONIUS DE VILLASAN *chronographi regii*. *De* ALPHONSO PECHA *Guadalaxarensi, Episcopo Giennensi*. DIONYSIUS DE MURCIA *Augustinianus, Archiepiscopus Messanensis*. MARTINUS ALPHONSUS DE MELO *Lusitanus historiographus*. GOMBALDUS DE ULIGIA *Dominicanus*. FRANCISCUS MARTINI, & PHILIPPUS RIBOT *Carmelitæ*. PETRUS IV. *Aragoniæ Rex*, Historiæ, & Ordinationum *auctor*. JACOBUS DE ARAGONIA *Cardinalis, Valerii Maximi interpres*. D. JOANNES DE CASTRO-MOCHO *Petri Crudelis cognomento historiæ auctor*. F. JOANNES GARSIAS DE CASTRO-XERIS. FRANCISCUS EXIMENEZ. *Ejus patria, honores, & opera*. GARSIAS EUGUI. D. PETRUS TENORIO *Toletanus, &* MARTINUS *Ulyssipponensis Episcopus, de re schismatis scriptores*. GUNDISALVUS GUNDISALVI DE BUSTAMANTE *Episcopus Segobiensis*. *Ejus opus* Peregrina. JOANNES DE MONTESONO *Dominicanus*. NICOLAUS EIMERICUS. *Super ejus fide Dominicanos inter & Franciscanos controversia*. *Ejusdem opera*. FERDINANDUS ALPHONSI, *ejusque historia*. JOANNES EMMANUEL, *Eduardi Regis Portugalliæ filius*, *Carmelita*. ANTONIUS DE TANALES.

322. SUB Alphonso XI. Petro ejus filio, & fortasse etiam Henrico II. Castellæ Regibus, dignitate & auctoritate, propriisque ingenii & eloquentiæ dotibus, commendabatur FERDINANDUS SANCII DE TOVAR, idem dictus DE VALLADOLID, eo quòd in hoc oppido Castellæ veteris omni memoria inclyto domicilium à majoribus suis, & inter hos à Sancio Ferdinandi de Tovar parente, susceptum haberet. Alphonsi Regis tempore [r] notarius major fuit Castellæ, & consequenter unus ex magnatibus, quos *Ricos-homes* olim vocabamus. Cancellarius quoque major Castellæ quo anno adversus Maurorum Hispaniæ atque Africæ innumeram multitudinem felicissimè ad urbem Tarifam pugnatum fuit. Hujus quidem non infrequens habetur mentio in Chronicis antiquioribus ejusdem Alphonsi [s], atque itidem Petri [t] Regum, genusque ejus & successionem variè memorant Prudentius Sandovalius [u], & D. Josephus Pellizerius [x], regius uterque historicus. Ferdinandum autem vulgaris fama auctorem prædicat antiquorum Chronicorum *De rebus gestis Alphonsi X. Sapientis, Sancii IV. & Ferdinandi IV. Castellæ & Legionis Regum*.

r De hoc munere *Notarii majoris* vide leg. 32. tit. 21. & toto tit. 22. lib. 2. *Recopil. Hisp. legum*.

s Cap. 35. & cap. 391.

t Anno IV. cap. 15. & ann. V. cap. 15. & 32. anno X. cap. 12.

u *Descendencia de la casa de Tovar*, una cum *Historia Alphonsi VII.*

x *Informe de la casa de Sarmiento de Villamayor* fol. 87

323. Opportunum verò, quum in horum mentionem incidimus, admoneri lectorem existimamus, à Ferdinando III. quem sanctum ab beatum auctoritate Pontificia jam lætantes dicimus, continuâ ferè historiarum serie usque ad Henricum IV. habere nos ferè, absque auctorum nomine, singularia uniuscujusque eorum Chronica per annos digesta, & auspiciis regiis, principum ferè viri orum operâ, in literas absolutissimè & accuratissimè relata. Et quidem B. Ferdinandi rerum auctor ignoratur, quam excipiunt

324. *Chronica del Rey D. Alonso el Sabio*. Hæc seorsum ab aliis Pinciæ an. MDCIV. edita refertur. Exstareque eam absque auctoris nomine, aliquantum ab edita diversam, inter libros qui Marchionis de Tarifa olim fuere, nunc autem Hispali asservantur in domo hujus familiæ, quam excellentissimus Dux de Medina-Cœli possidet, fama est.

Chronica del Rey D. Sancho el Bravo.

Chronica del Rey D. Fernando el quarto, llamado el Emplazado.

De his tribus & Ferdinandi alia priùs laudata, Joannes Vasæus cap. 4. proœmiali ad suum Hispaniæ Chronicon. *Alphonsus XI.* (ait) *pater Regis Petri Crudelis, secundò jussit colligi atque ordinatiùs digeri Hispanorum historias. Ejus exemplar esse puto, quod mihi commodatò dedit Eboræ vir ornatus ac probus Ferdinandus Nonius Leo juris Cæsarei licentiatus. In quo libro est historia Regum Castellæ à Ferdinando magno* (Ferdinandum III. intelligit) *usque ad finem Ferdinandi IV. ejus, qui in civitate Giennensi mortuus est, die sibi dicto ab iis quos injustè jusserat de rupe præcipitari*.

325. Quatuor has historias consequitur alia Alphonsi XI. quæ Joanni Nunnesio à Villasan communiter tribui solet: attamen hunc in formanda ista pre oculis habuisse antiquiorem aliam à Ferdinando nostro de rebus ejusdem Alphonsi priùs formatam, auctorem habemus D. Josephum Pellizerium antea memoratum [y]. Et convenit cum eo Ambrosius de Morales. Qui Pellizerius codice usus perantiquo fuit, in quo hæ quatuor historiæ continebantur, à quo exemplo non pauca dempta atque addita sunt ab his qui eas in lucem typorum proximo sæculo ediderunt. Codicem amicus noster D. Gaspar Ivañez de Segobia, Marchio Acropolitanus, nunc Mondexarensis, & ex Hispaniæ Magnatibus, Matriti possidet, à Pellizerio sibi pro aliis libris cessum, quod refert ipse in *bibliotheca suorum librorum* vulgari lingua scripta [z]. Continet codex hic historiam seu Chronica Alphonsi Imperatoris, Sancii, Ferdinandique, & Alphonsi, Hispaniæ Regum, descriptus anno MCDLXXXIX. in quo notatum ad oram libri legimus deesse ibi septemdecim integra capita, quæ in aliis libris exstare auctor rei affirmat. Quod autem adeptum fuisse eum Henrici II. Regis tempora post Petri cædem rerum potiti, superiùs diximus, ex instrumento hujus Regis constare ait Sandovalius in *Tudensis urbis historia* [a], unde novimus erâ MCDIX. qui annus Christianus fuit MCCCLXXI. Ferdinandum nostrum donarum fuisse ab eo Rege *Astudillo* oppido, & aliis juxta Castrum-Cæsaris, quem locum hodiernus sermo *Castro-xeriz* appellat. Interea non frustrà annotamus,

y In *Memorials de la casa de Cabeza de Vaca*.

z Pag. 146. editionis Valent. MDCLXXI. in 4.

a Fol. 178.

tamus, inter libros qui fuere olim excellentissimi Comitis de Villa-umbrosa codicem exstare Ms. quo continentur harum trium duę saltem historiæ, scilicet Alphonsi Sapientis, & Sancii ejus filii.

326. Interim pro certo haberi debet, hujus ultimò dicti Regis Alphonsi rerum in commentaria digerendarum operi prçter Ferdinandum Sancii proximè laudatum incubuisse alium haud inferiorem existimationis & auctoritatis virum. Hic est JOANNES NONNIUS DE VILLASAN, aliàs VILLAIZAN, Henrici II. Regis summus justitiæ inter curiales præfectus (*Justitia, y Alguazil mayor de la casa del Rey*, vocatus vulgari appellatione) qui ejusdem Regis dicto obediens scripsit eam, quam dicimus, patris ejus historiam, quæ quidem prodiit vulgaris hoc titulo inscripta:

327. *Coronica del esclarecido Rey D. Alonso el onceno de este nombre*. Medinæ Campi an. MDXIV. in folio, & iterum MDLXIII. tertioque Toleti apud Petrum Rodriguez MDXCV. in folio. In quo tamen Chronico deesse ultima Alphonsi, notâ dignum est; sexennium scilicet, ab anno MCCCXLIV. usque ad quinquagesimum. Sed locupletiorem eam perfectamque in Mss. esse, & aliquando luci dandam, spem fecit alicubi regius historicus Pellizerius [c].

328. Necnon conscriptum ab eo Joannis etiam primi Henrici filii, Alphonsi nepotis, Chronicon, quam provinciam fortitus quoque Petrus Lopezius Ayala fuit, apud auctorem *Historiæ urbis Molinæ* legimus. Etenim prorogâsse eum vitam usque ad Joannis imperium liquidò constat veteris instrumenti fide, quo decima die Augusti erę MCDXVII. (sive anni MCCCLXXIX.) dum Burgis comitia haberentur, confirmavit prædictus Joannes Rex Joanni Nuñez de Villaizan, juridico majori regiæ domus, donationem oppidi & arcis *de Capilla*, cum ejus territorio, eidem olim ab Henrico parente XXV. die Aprilis erę MCDVIII. (an. MCCCLXX.) Medinæ Campi factam. Cujus rei auctor est Martinus de Ximena Jurado in *Annalibus Giennensis Ecclesiæ* [d].

329. Hujus Joannis filius fuit Nonnius Martini de Villaizan, cujus mentio est in Chronico Ms. Henrici III. Joannis Regis primi filii, cap. 59. qui cùm Zamorensis arcis custodiæ prçesset, solicitatus per regios tutores, ut eam illis in manus traderet; id se facturum negavit, priusquam, in manus Regis ut consignare posset, justa ejus ętas sibi copiam faceret; adjuncto in testimonium fidelitatis suæ, patrem Joannem Martini à Villaizan (idem est cum nostro Joanne Nonnio, *Nonnius* etenim, & *Martinus*, & *Munius*, sive *Munio*, tria ejusdem nominis vocabula sunt [e]) Henrici Regis atque ejus filii Joannis magnum juridicum fuisse. Quo magis confirmamus Joannis I. tempora, & fortasse Henrici III. Villaizanum hunc adeptum.

330. ALPHONSUS PECHA Guadalaxarensis, Francisci Roderici Pechæ filius, quem Alphonsus Rex jam laudatus camerarium habuit, Giennensi Episcopatu per novennium jam gesto in Pontificis Gregorii XI. manibus renunciato, pauper, & eremiticæ vitæ addictus, Romam venit; in qua urbe S. Birgittæ sanctissimæ heroinę à confessionis sacramento fuit minister, unàque ambo ad visitanda sacra Palæstinæ loca in Asiam transierunt. Reversi autem, mirabilis vitæ finem Birgitta fecit, Alphonsusque, renunciatis quæ sibi superant bonis, in Hieronymianos eremitas, nuper à Petro Ferdinandi germano fratre institutos, S. Bartholomæi Lupianensis, diem vidit extremum in eadem alma urbe anno MCCCLXXXIX. cujus *pro revelationum sanctæ Birgittæ factarum fide epistola* quędam est *ad Reges* inscripta, *solitarii* nomine, quæ legitur in editione Coloniensi earundem *Revelationum* anno MDCXXVIII.

331. DIONYSIUS DE MURCIA, ab urbe hac sui regni principe, satisque nota, fortasse oriundus, eremitarum ordinis, ac S. Theologiæ doctor Parisiensis fuit, ibique ferè decem annis ex cathedra docuit. Magister quoque & cappellanus Regum Siciliæ audit. Anno hujus sęculi LVIII. vicarius generalis erat Neapolitanæ ordinis sui provinciæ, & LXXIII. creatus ab Urbano V. Papa Messanensis antistes. De quo præter Augustinianos, Thomam Gratianum in *Anastasi*, Thomam de Herrera in *Alphabeto*, & Philippum Elsium in *Encomiastico*, *Augustinianis*, non perfunctoriè agit Roccus Pyrrhus in *Notitia Siciliensium Ecclesiarum* [f]. Laudantur ejus doctissima *in libros Sententiarum commentaria*; atque item *sermones*: omnia inedita. Exstat Dionysii memoria usque ad annum MCCCLXXX. quo eum vitâ functum Pyrrhus credidit.

332. MARTINUS ALPHONSUS DE MELO Lusitanus, sub Ferdinando Portugalliæ Rege, qui anno MCCCLXXXIII. ad superos abiit, *Historiam sui temporis*, ut in schedis ad Bibliothecam Lusitanam Georgius Cardosius refert, scripsisse dicitur.

333. GOMBALDUS item DE ULIGIA, Catalanus, ex *Cervera* oppido, Prędicatorum sodalis, provinciæque suæ aliquando præfectus, doctus vir & prudens, scripsisse etiam dicitur, pro more illius ævi, *in quatuor libros Sententiarum commentaria*. Necnon & *De vitis Sanctorum* volumen, obiisseque diem suum anno MCCCLXXXIV. De quo Franciscus Diagus videndus in *Historia* hujus *Dominicanorum provinciæ Aragonensis* lib. 1. cap. 31. & Antonius Fernandez in concertatione Prędicatoriæ familiæ, post Antonium Lusitanum & Balthassarem Sorionem.

334. FRANCISCUS MARTINI, Barcinonensis, sub sacro Carmelitarum fratrum vexillo militans, pro conceptione Deiparæ Virginis ab omni labe originali immaculata decertâsse scripto dicitur libro singulari, *De conceptione Mariæ semper Virginis* inscripto; atque item scripsisse *Compendium* in honorem ordinis sui libris octo. In quo tamen Joannes Trithemius & Joannes Eisengreinius diversa dicunt; immo Trithemius ipse malè sibi convenit, qui quidem in libello *De viris illustri-*

c Memorial pr. el M. de Fabas fol. 46.

d Pag. 336.

e Mariana lib. 16. cap. 6. Colmenares Hist. de Segovia pag. 182.

f Tomo 1. in Messanensi pag. 149.

illustribus ordinis Carmelitarum, duorum istorum Martini operum disertis verbis, uti nos, meminit. Idem verò in libro alio *De scriptoribus Ecclesiasticis*, opus *De conceptione Virginis* vocat *Compendium libris septem scriptum*, quemadmodum & Eisengreinius *De conceptione opus septem libris*, *quibus* (ait) *Compendii titulus tribuitur*. Nec aliter Philippus Bergomensis, Possevinus, Marracius, Alva. Cujus quidem in *Militia Conceptionis* testimonio didicimus asservari hoc opus in bibliotheca interiori collegii Romani (hoc est Jesuitarum) & Parisiis in cœnobio Carmelitarum; adjungitque, sub prælo jam eo tempore, quo hęc scribebat, apud se sudare.

335. Prodiit quidem cum aliis *De conceptione* auctoribus, ejusdem Alvę curâ editum *Compendium veritatis immaculatæ conceptionis Virginis Mariæ Dei genitricis, universis fratribus & singulis juvenibus ordinis Carmelitarum dicatum*. quo magistrum in sacra theologia provinciæ Catalonię sese vocat; non quidem libris, sed tractatibus septem distinctum, in quorum primo fatetur se in academia Parisiensi, quam matrem vocat, studiis incubuisse. De eo Erardus Carthusianus in Chronico ad annum MCCCLXXXIV. hęc de nostro habet: *Franciscus Martini, theologorum vivamentum, singularis sui temporis lucerna, in honorem præglorioſæ sui Carmelitici ordinis patronæ librum* De sanctâ conceptione immaculatæ Dei genitricis *conscripsit, cunctis Virginis zelatoribus gratissimum*. Claruisse eum circa an. MCCCXC. ex Trithemio Possevinus monet.

336. Ejusdem Carmelitarum instituti alium celebrabat hęc ętas PHILIPPUM RIBOT, natione itidem Catalanum, sed patriâ Gerundensem, in qua eadem urbe hujus religiosæ familię sacramentum dixit. Provinciam suam gubernavit pręfectus, & maxima laude doctrinæ pietatisque, necnon & erga sodales suos & sacram familiam charitatis zelique commendatur, quam amplissimo testimonio Joannes ei Trithemius exhibuit. Quod verò etiam extinctus famâ viveret, effecit scribens

337. I. *De institutione & gestis Carmelitarum peculiaribus*, libros decem, qui Venetiis editi sunt anno MDVII. *Speculum ordinis* appellatum ait Joannes Baptista Lezana in *Apparatu* paullò pòst laudando. Opus hoc ex Latino in varias linguas conversum fuisse adnotant domestici. In Anglicam linguam vertisse id scio Thomam Scrope, aliàs Brandley, ejusdem ordinis, Dromoriensem in Hibernia Episcopum, Eugenii IV. Papæ tempore, ut Vossius monet [g].

338. II. *De viris illustribus Carmelitarum* librum singularem. At ea quæ in his refert, è quatuor potissimùm antiqui ęvi scriptoribus se hausisse ait, nempe Joanne Episcopo Hierosolymitano, Cyrillo Constantinopolitano presbytero, Guilielmo Samucensi Anglo, & Siberto Bekano Gelrensi doctore theologo. Joannis Hierosolymitani (si Deo placet) librum innuit *De institutione primorum monachorum in veteri lege exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium monachum*. Quem cum aliis eidem Joanni tributis operibus Bruxellis edi curavit cum *Vindiciis* suis Petrus Wastelius, qui lib. I. sect. I. articulo I. §. I. earundem *Vindiciarum* annotat integrum hunc ad Caprasium directum à Joanne commentarium prioribus septem libris ex his decem, quos Philippus Ribot *De peculiaribus gestis Carmelitarum* scripsit, verbatim expressum reperiri. Guilielmum Samucensem, non Anglum, sed Gallum, dicere voluit, ut credimus, qui ex Achonensi Palęstinæ urbe à Sarracenis fugatus, in Cypro scripsit *De amissione monasteriorum terræ sanctæ*, & *De multiplicatione sui ordinis per Europam*, circa annum MCCLXXX. ut Vossius docet [h]. Sisbertus autem Bekanus, sive de Beka, ejusdem ordinis, eodem Vossio teste [i], *Historiarum flores*, sive *Fasciculum*, edidit.

339. III. *Sermonum* quoque, elegantium quidem & doctissimorum, ut verbis laudem Eisengreinii. Atque item

IV. *Epistolarum libros duos*. quos ajunt non minus typis editos.

340. Obiit in conventu Peraladæ, ubi habet sepulchrum ita inscriptum:

Hic jacet R. F. Philippus Ribot magister in sacra pagina, & Prior provincialis provinciæ Catalonię, ordinis Fr. B. Mariæ de Monte-Carmeli, qui obiit XXIII. *mensis Septembris anni Domini MCCCXCI.*

Videndus, post alios Carmelitarum celebratores Trithemium, Luciumque, & similes, Joannes Baptista Lezana in *Annalibus ordinis* cap. 9. & 10. *Apparatûs*, quo loco maximas Riboto habet gratias ob insertum *Speculo* suo integrum Joannis Hierosolymitani *De institutione primorum monachorum* librum, & quandam B. Cyrilli epistolam. Unde factum ait Lezana non ultrà aliquem dubitare de vero & germano hujusce libri auctore sic antiquo posse. Sunt tamen qui à Philippo Riboto hunc formatû, & Joanni Hierosolymitano suppositum, etiam post Wastelii vindicias enixè contendant.

341. Anno hujus sæculi octogesimo septimo, quinta die Januarii, Barcinone decessit Aragonum Rex PETRUS, hujus nominis IV. vulgari attributione *Ceremoniosus* dictus, quinquegesimo primo regni sui [a], alacer, atque iræ promptus, facileque irritabilis, & magni animi & peritiæ armorum, totiusque bellicę rei, viribus licèt inbecillis, omnis generis literarum amans, pręsertim mathematicarum, & in aliis Chimiæ, cujus gnarum valdè hominem, *Menabam* medicum, doctorem Hebræum, apud se habuit, eoque præceptore usus dicitur.

342. Huic Petro adscribi solet *Historia suorum temporum*, vernaculo illo sermone scripta, quo pars major ditionis ejus loquebatur; quam quidem Petrus Michaël Carbonellus ex archivo regio Barcinonensi habitam *Chronico* suo *Hispaniæ* eâdem linguâ scripto integram atque illibatam inseruit. Magno autem Suritæ [l] non sic, ut aliis [m], res comperta est, quod dicimus de Rege ejus auctore.

343. Pręterea ejus jussu & auspiciis formatus fuit liber *Ordinationum* pro servitio domus regiæ,

g *De Hist. Latinis* lib. 3. cap. 9. pag. 612.

h Lib. 2. *De H. L.* cap. 60. pag. 490.

i Lib. 2. cap. 64. pag. 520.

a Vide Suritam lib. 10. *Annal. Aragon.* cap. 19. Blancas *De Aragon. rerum comment.* in Petro IV.

l Lib. 6. cap. 56. & 65.

m Garibajo lib. 2. cap. 1.

regiæ, qui continet cæremonias omnes in unaquaque publica actione ſeu miniſterio adhibendas. Cui rei perficiendæ certior fieri voluit de iis, quæ inſignes quique ſui temporis Reges in curiis ſuis uſurpare ſolebant; unde quicquid optimum ſibi viſum fuit & magnificentiſſimum, elegit. Libri titulus: *Ordinations fetes per lo ſenyor en Pere Ters Re de Arago, ſobre lo regiment de tots les oficials de ſua cort*. Quem ſic inſcriptum ſe vidiſſe apud D. Fredericum de Palafox S. Jacobi equitem in membranis pulcherrimè aureis ac rubris deſcriptum literis, & picturis ornatum, Joannes Franciſcus Andreas Uſtarrozius in *Defenſione Oſcenſis S. Laurentii protomartyris patriæ* retulit [n]. Aliud exemplum Matriti in ampliſſima bibliotheca ſua excellentiſſimus Marchio Mondexarenſis habet ſatis antiquum. Petrum autem tertium per errorem vocatum in iſto exemplari, non tam mirum eſt, quam in *Codice legum* ab eo promulgatarum Petrum ſecundum vocari: quod notat in *Commentariis rerum Aragonenſium* Hieronymus Blancas [o]. Laudatur quoque ejuſdem Regis Petri ſtemmatographicus liber. *Nobiliarium* nos dicimus.

n Defenſa de la patria de S. Lorenzo cap. 6. pag. 120.

o In Petri IV. mentione.

345. Petri Regis patruelis fuit JACOBUS DE ARAGONIA, Petri Comitis de Prades in Catalonia filius, Jacobi II. Regis nepos [p], qui à Clemente VII. in faſtis Romanis Antipapa nuncupato, ab Aragoniæ tamen Rege Petro, uti ab aliis, legitimo Pontifice exiſtimato, hujus ſæculi an. octogeſimo octavo in S. R. E. Cardinalem ſolus promotus fuit, deindeque in Sabinenſem Epiſcopum. Quo mortuo Clemente, Benedicti XIII. partes ſequutus, vixit uſque ad annum MCCCXCVI. affirmantibus Alphonſo Ciaconio [q], Contelorio [r], Ughello [s], Valentinæ eum in Hiſpania Eccleſiæ fuiſſe Epiſcopum ab eodem Clemente renunciatum, ex monumentis illius regni liquidum eſt, quæ vidit Balthaſſar Porreñus, retulitque in *Elogia* ſua adhuc inedita *Cardinalium Hiſpanorum*; cujus exemplar laudatorum Cardinalium inſignibus propriis coloribus depictis ornatum adſervat in bibliotheca ſua Franciſcus Cardinalis Barberinus Romæ, aliudque inde nos iiſdem ornamentis conſpicuum deſcribi fecimus.

p Surita lib. 9. cap. 18.

q De Vitis Pontificum in Clemente, tomo 2. ult. edit. col. 686.

r In Elencho Cardinal. pag. 187.

s In Italia ſacra Epiſcop. Sabin. tomo 2. col. 205.

346. Hujus Jacobi nomine inſcriptum Chronicon ſecum inter alios libros portabat olim Benedictus XIII. quod ex elencho eorum apud eundem Cardinalem Barberinum conſtat, ubi ſic notatur: *Item Chronica, aliàs liber aureus, Cardinalis Aragoniæ, in pergameno, cum poſtibus & corio viridi*. Quæ quidem judicio noſtro poſſeſſorem magis quàm auctorem ſignificare poſita verba ſunt.

347. Saltem pro comperto habemus vertiſſe eum in Hiſpanam linguam Valerii Maximi *Dictorum factorumq; memorabilium* libros; quàm interpretationem MS. aſſervari apud cœnobitas Hieronymianos Melioratenſes [t] prope Ulmetum Caſtellæ veteris oppidum, Ambroſius Morales alicubi annotatum reliquit [u]. Vereor tamen, ne aliud quicquam denotetur in codice MS. antiquæ admodum notæ, qui aſſervatur cum aliis libris manu exaratis Comitis de Villa umbroſa apud excellentiſſimam & lectiſſimam Comitiſſam ejus relictam, cum hoc titulo: *Valerio Maximo traducido en Caſtellano de orden del Cardenal de ſanta Sabina, hijo del Infante D. Pedro de Aragon, y embiado por el dicho Infante à ſu ciudad de Barcelona*. Æquè ambiguum eſt an huc pertineat Thomaſini quædam nota, aſſerentis, in bibliotheca Veneta S. Antonii *Boëthium cum Guilielmo de Aragonia* ſervari MS.

t Convento de la Mejorada

u Relacion de ſu viage &c.

348. Ejuſdem Petri Regis Aragoniæ æqualis fuit alius Petrus Caſtellæ & Legionis Rex, *Crudelis* cognominatus, non tamen opinione, quam habuit, & quâ imbuere alios voluit, D. JOANNES DE CASTRO, aliis DE CASTRO-MOCHO, qui locus eſt Beneventani Comitis in Palentina diœceſi, ſcribens *veram* (ut creditur à nonnullis) *hiſtoriam* laudati *Regis Petri*, cujus fuit domeſticus: quam, cùm prævaluiſſet Henricus occiſſo fratre, nihil antiquius ei fuit, quàm ut è memoria hominum abolere, & exempla omnia undique conquiſita flammis committere, procuraret. Attamen aliqua ejus hiſtoriæ fragmenta in manus Petri de Gratia-dei, catholicorum Regum Ferdinandi & Eliſabethæ haraldi, ſimul & chronographi, perveniſſe fama eſt; quibus uſum eum fuiſſe in deſcribenda ſingulari libro Vita ejuſdem Petri Regis, quæ ſervabatur olim MS. in bibliotheca Olivarienſi, nullus dubito. Manuſcriptam eam tamen aſſervari in bibliotheca quæ fuit excellentiſſ. Comitis de Villa-umbroſa, & nunc eſt lectiſſimæ ejus conjugis, libro ejus indici crederemus, niſi fragmenta, ſeu excerpta quædam dumtaxat ejus eſſe, ab erudito viro, qui contrectavit, moniti eſſemus.

349. Habet nihilominus apud ſe Matriti D. Joannes Lucas Corteſius, amicus noſter, *Relacion de la vida del Rey D. P. y de ſu deſcendencia, que es el linage de Caſtilla, por Gratia-dei, con anotaciones de D. Diego de Caſtilla Dean de Toledo*. Brevem ſcilicet apologiam ſeu defenſionem eorum quæ imputantur ei, facinorum, quam aliis auctoribus, præcipueque hiſtoriâ *del deſpenſero de la Reyna Doña Leonor* vulgò nuncupata, Didacus prædictus de Caſtella progenies ejus confirmat, in vulgus ſparſis olim his verſibus:

El gran Rey D. Pedro que el mundo reprueva,
Por ſerle enemigo quien hizo ſu hiſtoria,
Fue digno de clara y famoſa memoria,
Por bien que en juſticia ſu mano fue ſeva.
No ſiento yo como ninguno ſe atreva
Dezir contra tantas vulgares mentiras,
De aquellas locuras, cruezas, y iras
Que ſu muy vicioſa Coronica prueva.
No curo de aquellas, mas yo me remito
Al buen Juan de Caſtro Prelado en Jaën,
Que eſcrive eſcondido por zelo de bien
Su Chronica cierta como hombre perito. &c.

350. Joannis autem reliqua noſtros inter hiſtoricos controvertuntur. Ægidius namque Gundiſalvi Davila, Palentinorum præſulum album exponens in *Theatro Hiſpaniæ Eccleſiarum* [x] affirmat, id quod non parum veriſimile eſt, Joannem in comitatu

x Tomo 2. pag. 162.

Con-

Constantiæ Petri Regis filiæ, quæ Joannis conjux erat, Lencastri Ducis, cujus Constantiæ cappellanus, aliis à confessionibus, fuit, ad Anglos transfretâsse, ibique Aquensis Ecclesiæ remuneratum infulis, non antequam eorundem Joannis & Constantiæ filia Catharina Henrico III. Joannis I. filio nuberet, in patriam rediisse. In qua tamen Giennensem primùm, deindeque Palatinam Ecclesias administrandas præsulem suscepisse. Si vera tamen hæc sint, Aquensis Joannis Episcopatus vel in ipsa Anglia fuerint *Aquæ-calidæ*, sive *Bathonium* (*Bathe* vulgò, seu *Bath*) in Somersetensi Comitatu Episcopalis urbs, sive in Gallicæ Britannorum ditionis Gasconia urbs *Aquæ-Augustæ*, sive *Tarbellicæ* (*Acs* hodie, aut aliis *Bajona*) licèt non ullam hujus Episcopi mentionem habeant duarum istarum sedium Aquensis & Bajonensis catalogi San-marthani.

351. Diversâ pergentes viâ alii [y], Joannem de Castro, non de Castro-mocho, appellare amant, progenitumque ex nobilissima *de Castro*, Comitum Lemosiorum stirpe, affirmant; neque illum tot annis peregrè fuisse; immo post Aquensem in Gasconia, quem & hi quoque agnoscunt, præsulatum, Giennensi functum apud nos jam ab anno sæculi septuagesimo nono, qui fuit primus Joannis primi, atque etiam octogesimo primo, tot annis ante Catharinæ cum Henrico MCCCLXXXVIII.[z] contractas nuptias. Ab hac Giennensi Ecclesia in Palentinam & hi quoque transmigrâsse ajunt. Quam litem aliis dijudicare libenter sinimus.

[y] Martinus de Ximena in *Annalib. Giennensibus*. Surita in prologo ad librum ex ejus schedis nuper editû, *Enmiendas y advertencias à las Coronicas de D. Pedro Lopez de Ayala*.

[z] Garibay lib. 5. cap. 26.

352. F. JOANNES GARSIAS DE CASTROXERIS, ex quonam instituto religiosus ignotum, transtulisse dicitur ad usum ejusdem Petri Regis *Regimiento de Principes*, Ægidii, ut credimus, Columnæ *De regimine Principum* opus: quæ interpretatio exstitit inter libros D. Ludovici de Castella MS.

353. Sæculum hoc nobilitavit in paucis, Joannis præcipuè Aragoniæ Regis Petri parentis successoris, tempora, FRANCISCUS EXIMENEZ, aliis XIMENEZ, seu XIMEN (sed *Eximenez* vernaculæ editiones præferunt) ordinis Minorum, quampluriumque operum spiritualium, & moralium, suæ præsertim vernaculæ linguæ, scriptor. Quem nonnulli cum Toletano magno præsule ejusdem nominis & professionis temerè confundunt [a]. De patria contendunt regna duo, Valentinum & Catalonia; pro Valentina stantibus Vincentio Justiniano in *Vita S. Vincentii Ferrerii*, Morlà in *Emporio Juris*, & Hieronymo Surita. Sed revera Gerundensis è Catalonia fuit, quod ejusdem testimonio non semel dicto alii confirmant, è quorum numero Escolanus est Valentinus lib. 5. *Valentinæ historiæ* cap. 7. Hieronymus Pujades, & Andreas Bosch, Catalani, Joan. Andreas Ustarrozius Aragonensis, in *Defensione patriæ S. Laurentii*, cap. 5. Wadingusque *De scriptoribus sui ordinis*. In domo autem Valentina Franciscanorum S. Vincentio sacra hunc ad ordinem admissus fuit, unde forsan data errori ansa: quod idem admonet Escolanus.

[a] Bovadilla in *Polit.* par. 1. cap. 7 num. 19.

354. Neque solùm sacras literas, sed & Mathesin calluisse eum, tum scripta theologica ab eo emanata, tum Hieronymus Torrellas in quodam *De imaginibus* libro, sequentis sæculi auctor, confirmat, à quo *Theologus* audit *summus, & mathematicus non mediocris*. *Virum doctissimum* vocat Michaël Carbonellus cap. secundo *Chronici Hispaniæ* Catalanè conscripti.

355. Patriarchatûs idem honore fulsit Alexandrini, quod Francisco Gonzagæ, Lucæ Wadingo, domesticis testibus, & Morlæ jam laudato, credimus; atque ita editum Valentiæ est in fine operis, cui titulus: *Crestiâ*, cujus postea meminimus, MCDLXXXIV. contra id quod Escolanus affirmat, Hierosolymis hunc titularem antistitem disertè mancipans. Quòd verò Elnensis in Catalonia urbis Episcopus fuerit, vulgaris fama est, quamquam in *catalogo Elnensium præsulum*, quem, ut Galliæ Ruscinonensem contribuerent Comitatum, cujus sedes *Elna* habetur, San-marthani fratres *Galliæ suæ Christianæ* inseruere, nusquam appareat. Barcinonensem qui credidit præsulem, Joannes Justinianus in prologo suæ Hispanæ interpretationis Ludovici Vivis *De instructione fœminæ Christianæ* commentarii, magno in errore est. At Vincentius alter Justinianus in *De S. Vincentii rebus* vulgari opere, & Franciscus Diago *Annalium Valentinorum* lib. 1. cap. 4. hunc inter virum mirabilem & Franciscum nostrum Ximenium magnam in Deo dilectionis necessitudinem intercessisse auctores sunt. Quòd si de amicitia inter vivos exculta intelligatur, magna ii *ἀκρισίας* culpâ sese involvêre. Porrò is ut civibus suis studiorum rationem suorum redderet, vernaculum in manus assumpsit stylum, insuper habito Latino: nam, ut puto, majorem operum partem, aut omnia opera, quorum notitia sequitur, proprio Cataloniæ sermone composuit.

356. *Vita Christi*. Librum hunc, de cujus Catalonica editione nihil hactenus audivimus, vernaculâ Castellæ linguâ loqui fecit anonymus quidam; quam recognovit & castigavit interpretationẽ summus ille Christianę prudentiæ antistes Ferdinandus Talaverensis, Granatensis primus post recuperatam à Mauris urbem Archiepiscopus, typorumq; luce donavit. Quam editionem absque loci nota nonnunquam vidimus. Gallica etiam ejusdem operis versio inter libros Regis Galliarum exstat, codice 116.

357. *Crestiâ*, sive *De regiment de princeps, e de la cosa publica*. Hoc est, *Christianus, sive De regimine principum, & republica*. Varium quidem opus & vastum, theologico-politicũ, doctum, atque eruditum, & verè Christianum. In eo integræ tractationes de republica, & illius regimine, de principatu, de belli ducibus & re militari, atque de optimo cive, ac civitatum prosperè conservando statu, de mercaturæ beneficiis, pluribusque aliis rebus ad publicam rem spectantibus comprehenduntur. Quare non debuit Wadingus ex uno duos facere commentarios, scilicet alterum *Crestiâ*, alterum verò *De regimine reipublicæ* appel-

appellatos. Idem enim opus est, & sub inscriptione hac posteriore tantùm (quod Wadingo forsan fuit errandi occasio) id laudant Diagus *Annal. Valentiæ* lib. 1. cap. 9. & Escolanus in ejusdem argumenti historia lib. 5. cap. 23. qui & *De republica* alibi appellat. Sed & idem Escolanus & Hieronymus Pujades in *Historia Cataloniæ principatûs*, & Joannes Franciscus Andreas Ustarrozius in *Defensione patriæ S. Laurentii* cap. 5. pag. 65. & ante eos omnes Hieronymus Torrellas in Commentario *De imaginibus*, & Petrus Michaël Carbonell in *Chronico Hispaniæ* cap. 2. agnoscunt alteram *Crestià*, sive *Cristià*, libri appellationem; quem & laudavit Alphonsus Tostatus magnus Abulensis Episcopus, in opusculo *contra clericos concubinarios*. Et scriptum ab auctore fuisse anno MCCCLXXIX. Ustarrozius proximè laudatus monet verbis ex eo opere adductis. Nuncupatum verò hoc opus auctor voluit Alphonso (*Namfòs* vulgari vocabulo) Marchioni de Villena, Comiti de Denia & de Ribagorza, filio Infantis Petri de Aragonia, ordinis fratrum Minorum, qui natus è Jacobo Rege Aragoniæ fuit. Alphonsus hic, de quo loquimur, primus creatus fuit Castellæ Comestabilis à Joanne Rege I. de quo, & de parente ejus Petro, qui Franciscanorum ordinem ingressus est, Alphonsi IV. germano fratre, Jacobi II. filio, videri potest Hieronymus Surita lib. 7. *Annal. Arag.* c. 12.

358. Scire autem aves, lector, quàm vastum sit opus? Tredecim, nec minùs, partes, seu libros continet; quorum librorum aliquis, nempe duodecimus, integris duobus voluminibus satis grandibus continetur. Extare omnia hęc simul in cœnobio *de Jesu* dicto Franciscanorum Barcinonensium, fama est. Nos vidimus primò laudati nuper duodecimi libri priorem partem, sive tomum, Valentiæ editum per Lambertum Polmart Alemannum anno MCDLXXXIV. in amplissima simulque selectissima bibliotheca Marchionis Mondexarensis; quem etiam possedit in supellectile non parum lauta librorum suorum amicus olim, dum viveret, noster D. Raphaël de Vilosa, Consilii Aragonensis senator optimus & literatissimus, apud quem fortè fortuna primum quoque totius operis librum, unde fax ad dignoscendam illius formam, reperi.

359. Argumenta iccircò singulorum librorum hîc subjicere non extra rem erit, cùm libri rarissimi sint, ac penè invisi.

Primus liber agit de religione Christiana, de ejus initio, progressu, & dignitate.

II *Quòd homo Christianus ab hac dignitate tentationibus variis emotus excidat, ac de dotibus ei datis.*

III. *Peccata exponit omnia, in quæ Christianus cadit homo.*

IV. *Quibus remediis à Deo adjuvetur ad resurgendum à peccatis, de divinis inspirationibus, prædestinatione, gratia, libero arbitrio, de donis & fructibus Spiritus sancti, ac septem beatitudinibus.*

V. *Quomodo relevetur per lumina theologicarum virtutum.*

VI. *Quomodo relevetur per virtutes morales & cardinales.*

VII. *Quomodo relevetur per legem Dei sanctam, atque ejus decem præcepta.*

VIII. *Quomodo relevetur à Deo per ostensionem divinæ potentiæ, sapientiæ, & clementiæ, in rebus creatis, & earum ordinatione manifestarum.*

IX. *Quomodo relevetur per divinę Incarnationis mysterium.*

X. *Quomodo per sancta Sacramenta.*

XI. *Quomodo per sanctum Ecclesiasticum statum, & altitudinem sanctæ religionis.*

XII. *Quomodo per rectam publicæ rei gubernationem secundum dominorum & subditorum varietates, diversaque vivendi genera.*

XIII. *Quomodo per minas magnarum pœnarum & promissiones supernorum cœlestium bonorum.* Hactenus librorum epigraphę. Unde manifestum redditur quàm immensam operam auctor doctissimus mancipaverit Christiani hominis studio per omnes theologiæ ac philosophiæ moralis, politicęque artis, quatenus ad philosophiam spectat, limites instruendo ac muniendo.

360. *De natura angelica*. Hunc dicavit auctor domino cuidam Petro (*Mossen Pere Catalanè*) Regis Aragoniæ Joannis Magistro Rationali, sive ex prefectis rationum. Qui Rex usque ad annum vixit MCCCCLXXIX. Audit hic alibi *Petrus de Artes*, eques, & camerarius, & magister domûs Regis Joannis. Hispanam editionem vidimus Burgensem anni MDXVI. (Wadingo est MDXXVII. apud Fredericum de Basilea in folio. Gallica: *le livre des saints Anges* inscripta Parisiis anno MDXVIII. à Wadingo forsan significata, ab officina Michaëlis le Noir prodiit, Verderio teste in *Bibliotheca Gallica*. Ms. quoque asservatur in [b] regia Parisiensi, ut Labbeus testatur, & in Ambrosiana Mediolanensi.

[b] Biblioth. manuscripta pag. 113.

361. *Pastorale*, ad Episcopum Valentinum pro instructione Episcoporum, & quorumcumque superiorum. Wadingus laudat Barcinonensem editionem anni MCDXCV. in folio. Manuscriptum asservatur in bibliotheca Ambrosiana Mediolanensis urbis, Francisci Ximenez nomen preseferens, forsan Latinum opus.

362. *De fœminis* liber. *De les dones* vernaculè quomodo enunciatum apud Pujades vidimus. Hispana autem translatio retinuit Catalanum vocabulum. Inscribitur enim: *El libro de las donas. Trata de las virtudes y vicios de las mugeres en todos estados, y como se pueden estos remediar.* Librum dirigit Fr. Franciscus Ximenez ordinis Minorum ad dominam Sanciam Ramirez de Arenòs Comitissam de Prades. Ms. possidet charus mihi ex sorore nepos D. Josephus de Bernuy, & Mendoza Marchio de Benamexi, Bæticæ provinciæ nostræ, cum quadam ad calcem nota, quâ monentur lectores scriptum codicem ab Andrea Mudarra jussu Fr. Joannis de Guadalupe, monasterii Guadalupensis Prioris, principio Aprilis MCDLXXIII.

363. Attamen sive hæc sive alia in publicum jam prodiit translatio, cum hoc titulo: *El carro de las donas*. facta, ut ibidem dicitur, à quodam religioso Franciscano provinciæ Conceptionis, quatuor libris; quibus plura immiscuit parùm fidus interpres, veluti opus renovans; necnon & adjunxit quintum *De memoria æterna* inscriptum, sive de præparatione ad mortem; Pinciæ apud Joannem de Villaquiram MDXLII. Catharinæ Portugalliæ Reginæ directa. Forsan & ad Eximinum nostrum pertinet *Informacion de la vida Christiana, en que se contienen tres tratados è rudimentos de la vida Christiana, penitencia que es virtud, y penitencia que es sacramento. Por el Maestro Fr. Francisco de la orden de los Menores.* Qui liber prodiit Hispali an. MDIX. Hispana seu Castellana videtur Catalani operis, de quo loquimur, interpretatio. Hanc Matriti habet D. Joannes Lucas Cortesius, criminalium olim caussarum Duodecim-vir, Indiarum jam senator regius, amicus noster, & Musis amicissimus.

364. *Scale Dei* opus aliud tributum novimus huic eidem Eximino à Joanne Francisco Andrea Ustarrozio *De patria S. Laurentii* cap. 5.

Alia ab aliis opera tributa Ximenio annectimus,

365. *Historia Ecclesiastica*. teste Morlà in *Emporii Juris* præfatione.

366. *Doctrina compendiosa*. Quam hac tantùm complexione nominis Petrus Carbonel Cataloniæ historicus laudat. *Doctrina compendiosa de viuir justament* nuncupata prodiit Barcinone anno MDXIX.

367. *Flos Sanctorum*, sive *Sanctorum vitas*. cujus meminit Petrus de Salazar in *Chronico provinciæ Castellæ* ejusdem ordinis.

368. *Librum de pomo* laudat ipse auctor in *Crestiâ*, parte 2. cap. 135.

369. *La gloriosa*. De quo opere monuit nos, cùm Granatæ moraremur, Thomas de Leone Societatis Jesu, vir doctissimus atque eruditione eximius, noster in paucis amicus. Certè Franciscus Gonzaga Franciscanorum generalis præfectus, & rerum domesticarum exactus chronographus, tredecim voluminum auctorem Franciscum Ximenium fuisse ait; jacereque in cœnobio Sancti Francisci Perpinianensis urbis.

370. Habeo tamen de quo cum doctissimo, &, ut fama est, sanctitate vitæ conspicuo viro, expostulem. Etenim videre mihi videor in Francisco Ximenio isto, decimi quarti hujus sæculi auctore, alterum, & quidem eo priorem, Antonium Guevaram Mindoniensem Episcopum; cui minimè quidem bona infedit mens fingendi auctores veteres, atque notis etiam certisque, ea quæ non dixerunt, quosque nunquam scripserunt, libros appingendi, ut verè videatur existimâsse is, sacris exceptis, quod ipse nonnunquam dixisse sugillantibus perhibetur, de omni alia antiquitate ludere se impunè, immo & laudabiliter posse. Minimè autem hic magni præsulis impotentiæ culpam alibi jam notatam refricaremus, nisi eadem cœpisset Ximenium hunc lubentia & amor catalogo scriptorum scriptores, qui nusquam gentium fuere, ac bibliothecæ librorum similiter libros nusquam exstantes magna securitate fidei suæ ac nominis immittendi. Quod vitium omnes ferè paginas & capita, duodecim saltem libri laudati jam operis, cui *Christiani* nomen, & cujus priorem partem, uti dictum fuit, vidimus, infecisse, nullus spero in hoc studio eruditionis mediocriter versatus, lecto eorum, qui sequuntur, & ex innumeris præcipui habiti sunt, elencho, inficias iverit. Auctores intùs, capita verò in quibus ii laudantur, ad oram invenies.

371. [c] *Actor De spiritu & anima*. [d] *Candidus in Informatorio*, [e] *Fulgidus Nolanus Episcopus*, [f] *Chronicon Africanum*, [g] *Gregorius Capuanus Episcopus, & magnus doctor, in tractatu de Congregatione*. [h] *Chronicon Bulgaricum*, quod de Polymarcho loquitur Chalcedonensi legista & philosopho. [i] *Guilielmus monachus S. Dionysii, magnus historicus*, quem nostri Possevinus & Vossius *De historicis Latinis* lib. 3. nomine tenus nôrunt. Hunc eumdem credimus sub nomine *Guilielmi Gallici*. [k] alibi laudatum. [l] *Ethnicus* (an *Ethicus?*) [m] *Manasses de Domas, sive de Damasco*, quem laudare ait Josephum. Nicolaum Damascenum dicere debuit, quo Josephus utitur lib. 1. *Antiquit. Judaic.* lib. 1. cap. quarto. [n] *Mamenot, qui scripsit* De antiquitatibus Ægyptiorum, pro *Manethone*. [o] *Historia Orientalis* nescio quæ. [p] *Facundus in sermone De gubernatione divina*, fortè pro Lactantio Firmiano. [q] *Primas Authenticus*. [r] *Tertullius philosophus*. [s] *Magni jurisconsulti Fabius & Sempronius*, atque item *Pompilius*, nusquam visi, etiam à Ximenio antiquioribus. [t] *Caladius poëta*. [u] *Macrobius ad Tercullium*. [x] *Magnus philosophus Agellius in suo Informatorio*: cùm verè Macrobius ad Eustachium filium utrumque opus suum direxerit. Agellius autem, nisi fallimur, nullam in *Noctibus* suis *Atticis* (quod unicum ejus opus noscitur) civitatis diffinitionem, unde laudatur, nobis reliquerit. [y] *Sallustius poëta, &* [z] *Misaël astrologus, & Mellisius philosophus. Trogus Pompejus* frequenter advocatur, qui nusquam fuit repertus, nisi in Justini epitome: nec in historia semper, sed aliquando in *tractatu facundo*: necnon referens de Almario quodam Romano legislatore, qui mihi certè ignotus est. [a] *Fulgentius* item nescio quis de cive quodam Strigonii in Alemania loquens. [b] *Bassium chronicon* de re quadam Sabaudiæ, & Martino Papa (nugæ!) Templariorum destructore. [c] *Medus in historiis Ungariæ* Regis cujusdam *Axysti* nomine, factum narrans. [d] *Macrobius* iterum in *Saturnalibus* falsò laudatus de his quę prudentiæ insunt virtuti docens, cùm debuisset in *Somnii Scipionis* lib. 2. cap. 8. Horum omnium in prima hujus primæ partis duodecimi libri parte meminit.

c Lib. 12 2. part. cap. 3
d Cap. 6.
e Cap. 6.
f Cap. 7.
g Cap. 12.
h Cap. 14.
i Cap. 15.
k Cap. 16.
l Cap. 26.
m Cap. 17.
n Ibidem.
o Ibidem.
p Cap. 22.
q Cap. 26.
r Cap. 27.
s Cap. 29. 30 31.
t Cap. 31.
u Cap. 42.
x Cap. 41. & 2. part. cap. 1.
y Cap. 50. & part. 2. cap. 78.
z Cap. 57. & 2. part. cap. 102 160. 276. 180.
a Cap. 55
b Cap. 62. & 2. parte cap. 98.
c Cap. 63.
d Cap....

372. Ad secundam transeamus. [e] *Novatianus De urbibus mundi*. [f] *Simplicianus*, sive *Simplicius*, in *Commentario*. nisi is sit ad Epictetum scriptus. [g] *Plato in Officiatorio*.

e 2. parte cap. 70.
f Cap. 71.
g Cap. 75.

[h] *magnus cancellarius Pariſienſis*, qui certè vix potuit eſſe Joannes Gerſon, qui anno, quo id ſcribebatur, MCCCLXXIX. uti jam diximus, XVIII. ferè annos in ætate habebat [i]. *Juvenalis poëta in ſuo Dictato minori* [k]. *Martialis in Exſecutorio*, *Leontiuſque in Inſtructorio* [l]. *Gilabertus Nolanus & Avicebron in ſuo Morali* [m]. *Marcianus poëta* [n]. *Simplicianus in ſuo Morali* [o]. *Honorius Papa in ſuo Decretorio*, & *Felix Papa in epiſtola ad Heliodorum Senenſem Epiſcopum* [p]. *Ariſtoteles in libro De bona fortuna* [q]. *Balthaſſar Suëciæ Rex ad Ptolemæi Quadripartitum* [r]. *Fulgentius in ſua poëſi*, de Sabio Auſtriæ Duce loquens [s]. *Polus De ædificiis*. *Theophraſtuſque in Elementari*, quem de Lesbio philoſopho acciperem, qui libellos huc ſpectantes edidit, niſi auctor laudaretur novæ Hieroſolymæ ſub finem mundi ædificandæ, in qua ſimul degere debebunt Papa & Imperator; niſi Theophraſtum Paracelſum ſignificare voluerit [t]. *Amelius magiſter equitum Caroli Mannes in tractatu arcium defenſorii* [u]. *Candidus in ſuo Communiloquio*. Idem fortè, cujus *Informatorium* ſupra laudaverat [x]. *Fulgidus Nicoſienſis* narrans de Epiſcopis cujuſdam Cypri urbis quoddam ridiculum [y]. *Salluſtius in ſuo Complanctorio*, Feriſonem quendam Bohemiæ Regem commendans [z]. *Alanus in Doctrinali vivendi* [a]. *Lucanus in ſua Proſodia* [b]. *Rabbi Eleazar in chronico Judaïco* [c]. *Methodius in Inſtructorio ad Sanctos monachos* [d]. *Titus Gallus in ſua Politia* [e]. *Forſeus Arabiæ Rex in ſuo Regimine* [f]. *Gervaſius Ambianenſis Epiſcopus in ſuo Officiario* [g]. *Reſtitutus Cordubenſis ad cives Hiſpalenſes ſcribens* [h]. *Quintinus Arcadius in Politica* [i]. *Primacianus Epiſcopus* ſcribens *ad Piſanos*, *Genuenſes*, & *Venetos*, *qui in Romania erant* [k]. *Lellius Theutoniæ hiſtoriographus* [l]. *Liberius hiſtoricus Latinus* [m]. *Caladius philoſophus in libro De libero & ſervitute* [n]. *Atlotus Præneſtinus in Compendio morali* [o]. *Gondiſalvus in ſuo Hiſtoriali*, ex quo exemplum adducitur cujuſdam Regis Legionenſis [p]. *Caſtorius Epiſc. de Ambru* [q]. *Severus in Rationali* (illéne Severus, quem ſe vidiſſe in Scorialenſi bibliotheca regia de rebus Romanorum ſcriptorum Petrus Antonius Vila-damor hiſtoricus Catalanus affirmavit? Non tamen, ut crederet ei de Tetrico & Gallieno Imperatoribus quicquam narranti Hieronymus Pujades lib. 4. *Hiſtor. Catalon.* cap. 62.) & [r] *Lactantius in Eccleſiaſten*. [s] *Herculanus Epiſcopus Beneventanus in epiſtola ad Guilielmum Siciliæ Regem* [t]. *Leopoldus*, ex quo narrat nonnulla de *Antiſthene* Rege Odociæ, ejuſque ſucceſſore *Erullum* philoſopho magno [u] *Satyrus princeps Bohemiæ*, & ipſe magnus philoſophus [x]. *Gorgias nobilis eques in Catay tempore Aſſueri Imperatoris* [y]. *Otto primus hujus nominis Imperator* noluiſſe falsò dicitur in Romanorum Regem eligi ſuum filium primogenitum: quæ mera fabula eſt in Ottonis hiſtoria [z]. *Sevus magnus legiſta*, & *homo valdè moralis* [a]. *Titus Livius* quoddam factum narrans Rageni Lydiæ Regis, de quo illum nuſquam egiſſe apparet [b]. *Anaſtaſius Papa* in epiſtola ad Valentinianum Imperatorem, cui attribuit fabuloſam & ridiculam, ſeu potiùs Pontificio indignam ſtylo, hiſtoriam de Rhodo Parchiæ Rege, & collegio canonicorum; cùm Anaſtaſii epiſtolæ palam omnibus ſint in Conciliorum collectionibus [c]. *Pantaleo magnus Dalmatiæ juriſconſultus* [d]. *Novatianus in ſuo Morali* [e]. *Salluſtius Ciculus* [f]. *Proſper in epiſtola ad Bavarum* [g]. *S. Joannes Boca-dor in quodam Sermone*. eſt S. Joannes Chryſoſtomus [h]. *Audifax conſiliarius Pipini Franciæ Regis* [i]. *Eſdræ* tribuitur ſcriptura quædam de dignoſcenda cujuslibet anni conditione ex die quo incipit, memorque hujus revelationis laudatur *Cordubenſis in quodam Sermone* [k]. *Miſaël aſtrologus antiquus ſuper Centiloquio Ptolemæi* [l]. *Zoſimus eximius doctor in epiſtola ad Lotum Otlandiæ ducem* [m]. *Zoïlus doctor glorioſus ad Lodegatum Liguriæ principem* [n]. *Licurgus inſignis juriſconſultus* referens factum illius (Armeniæ vocat Regem) qui judicem iniquum excoriari, inque pelle ejus cooperta ſede occiſi filium jus dicere præcepit [o]. *Paullinus Panhormitanus Epiſcopus in elogio ſuorum dogmatum* [p]. *Juſtinus Pompejus hiſtoricus magnus*, pro Juſtino Trogi Pompeji epitomatore; cui tamen nec tribuit quæ in ejus epitome invenias; exempli gratiâ, iter Alexandri ad Regem Darium, tanquam legatus eſſet Alexandri, datumque in convivio ſibi præbito generoſitatis ſuæ ſpecimen [q]. *Flavius Capſinus magiſter equitum Romanæ reipublicæ in Phrygia*, cujus *epiſtolæ ad Caſtorium filium* datæ meminit, adjungens de ea ſe legiſſe in *hiſtoriis Torpegis* [r] *Jovis Cretæ Regis documenta* laudat *militaria* [s]. *Luctorius Epiſcopus Bellovacenſis* ſcriptor, neſcio cujus rei [t]. *Pyrrhus Romæ Rex*, & [u] *Pompinianus juriſconſultus* in ejuſdem comitatu Neapolim obſidentis. Aliaque hujuſmodi, quorum continuatio lectoribus nauſeam, nullá colligentis gratiâ, dudum forſan movet.

373. Quibus tamen ſub conſpectum dandis operam non illiberalem accomodaviſſe nobis videmur, ne iis, qui dignoſcendis antiquis ſcriptoribus non accuratè invigilant, ſubeſſet adverſus nos ſuſpicio calumniæ magnâ erga Ximenium injuriâ negantes exſtitiſſe olim libros qui hodie latent, deque hominum exciderunt memoria, quaſi non multi perierint qui olim fuere. Id quod in paucorum dinumeratione Ximenii cauſſam poſſet apud aliquos dubiam reddere; in tot verò hactenus in auditorium tot falſo nomine, aut ex falſis libris laudatorum, ſive ſcriptorum, ſive Regum, atque aliorum hominum diligenti recenſione, minimè poterit.

374. Laudatur ab Stephano Garibajo noſtro libri 21. cap. 1. *Compendii hiſtorici* eos inter auctores, qui de Navarræ regni rebus aliquid in literas retulerunt, GARSIAS EUGUI, Bajonenſis in Gallia Epiſcopus ex eremita Auguſtiniano, quem ait in eodem regno Navarræ natum, & Carolo Regi III. à confeſſionis ſacramento fuiſſe. Hunc tamquam ſcriptorem brevis cujuſdam Regum Navarræ,

ab

h Cap. ...
i Cap. 79.
k Cap. 82.
l Cap. 83.
m Cap. 84.
n Cap. 91.
o Cap. 95. & 100.
p Cap. 102.
q Ibidem.
r Cap. 103.
s Cap. 106.
t Cap. 110.
u Cap. 112.
x Cap. 113.
y Cap. 114.
z Cap. 118.
a Cap. 119.
b Cap. 120.
c Cap. 128.
d Cap. 132.
e Ibidem.
f Cap. 133.
g Cap. 136.
h Cap. 137.
i Cap. 137.
k Cap. 138.
l Cap. 152.
m Cap. 153.
n Cap. 160.
o Cap. 162.
p Cap. 165.
q Cap. 166.
r Cap. 166.
s Cap. 167.
t Cap. 172.
u Cap. 173.
x Ibidem.
y Cap. 174.
z Cap. 176.
a Cap. 178.
b Cap. 181.
c Cap. 183.
d Ibidem.
e Ibidem.
f Cap. 187.
g Cap. 191.
h Cap. 197.
i Cap. 198.
k Cap. 199.
l Cap. 201.
m Cap. 202.
n Cap. 204.
o Cap. 207.
p Cap. 213. & 214.
q Cap. 217.
r Cap. 232.
s Ibidem.
t Cap. 287.
u Cap. 297.

ab Inico Arista usque ad memoratum Carolum, historię huc advocamus; quamvis incertum Garibajus reliquerit, cujusnam Navarrę portionis, ejúsne, quę intra Haspanię limites, an ejus quę Gallię est, domo natus fuerit. Neque enim quicquam aliàs de patria docuere San-marthani fratres, Bajonenses prędsules in *Gallia Christiana* describentes, qui tamen circa annum MCCCXCII. Garsię meminere, incerti an HEUGUI, an EUGUY cognomento vocari debeat.

375. Inter Archiepiscopos primatis nostræ Toletanæ Ecclesiæ paucis concedit, si juris doctrinam, morum honestatem, accuratam sedis suæ ac muneris administrationem, gestaque ejus magnificentissima considerentur, D. PETRUS TENORIO Lusitanus gente [x], natus verò in *Tavira* ejus regni, sive Algarbiorum oppido. Sub Regibus Henrico II. Joanne I. & Henrico III. ab anno scilicet MCCCLXXV. ad MCCCXCIX. Ecclesiæ isti præfuit. Exstat quidem hujus, ut ad nos pertineat, qui scriptoribus peculiarem consignamus laudem, inter inedita plura diversorum opera, quæ ad magni hujus temporis schismatis negotium spectant, collectaque in varia volumina olim fuere, ut in chartophylaciis Vaticanis servarentur, epistola, seu *Excursus*, sive *Apologia* eorum, qui ad sedandam Ecclesiæ illam infelicissimam discordiam vocari & congregari universale Concilium desiderabant, adversus contrarium librum Petri Cardinalis S. Eustachii, cujus epistolæ fragmentis quibusdam ad explicanda quædam hujus controversiæ momenta Odoricus Raynaldus XVII. *Annalium Ecclesiasticorum* tomo utitur [y].

[x] Fernandus Perez de Guzman in elogio ejus lib. *De las semblanzas*.

[y] Ad ann. MCCCLXXX num. 41. & seqq.

376. Vidimus nos codicem Vaticanum num. 5608. signatum, in quo litera ejusdem nostri legitur *Reverendiss. Patri dom. Cardinali S. Eustachii pro parte domini Archiep. Toletani super facto præsentis schismatis anno LXXX.* Incipit: *Rev. P. & dom. meo præcipuo dom. Petro S. Eustachii Cardinali diacono, Toletanus Archiep. vestræ Paternitatis orator, inter decretorum professores non dignus adscribi, modicum id quod est quæro verborum stemmate* &c. Sequitur hanc epistolam *Responsio* ejusdem Cardinalis S. Eustachii super rebus schismatis.

377. Adjungitur his in eodem cod. Vaticano MARTINI Episcopi Ulyssipponensis propositio facta nomine domini Ferdinandi Portugalliæ Regis coram Carolo Galliæ Rege XIV. Julii eodem anno MCCCLXXX. Hic est Martinus . . . . .

378. Ab Archiepiscopo Toletano D Petro Tenorio D. GUNDISALVUS GUNDISALVI DE BUSTAMANTE separari non debet, quem floruisse sub Regibus Joanne I. & Henrico ejus filio, eidem Tenorio charum, & in magno pretio propter doctrinam Juris singularem fuisse, compertum est. Episcopus fuit Segobiensis Ecclesiæ usque ad annum, quo in vivis esse desiit, MCCCXCII. Julio mense; scriptorque cujusdam libri qui *la Peregrina* audit. Hoc opere concordavit is cum Romanis nostras Hispaniæ, hoc est Partitarum, leges. Hunc hominem & *Peregrinæ* opus laudant Didacus Colmenares *Historiæ Segobiensis* auctor, & Ægidius Gundisalvi de Avila in *Theatro* ejusdem Ecclesiæ, & in vita Henrici III. Regis, & ante eos Stephanus Garibajus lib. 16. cap. 7. & adhuc omnibus his antiquior Ferdinandus Petri Guzmanus in elogio D. Petri Tenorio, ad calcem historiæ Joannis II. Regis. Et hic est Gundisalvus Bonifacius, de quo Joannes Narbona in libello suo *De appellatione à vicario ad Episcopum*, eos laudans qui Toletanis Archiepiscopis à consiliis fuere. Diem obitûs expressit in Petri Tenorii elogio Guzmanus laudatus. At noster diversus est à Gundisalvo Bonifacio, quem prædictus Narbona videtur mihi cum Segobiensi nostro Episcopo confudisse: qui quidem Bonifacius Lusitanus fuit, & scriptor proximè sequentis sæculi, ut loco suo videbitur. Et ad hujus nostri antiquioris Gundisalvi *Peregrinam* respexisse mihi videtur Alphonsus Didaci à Montalvo, Partitarum antiquus glossator, quum ita ait: *Casus summarios legibus præmittam, quos pro majori parte à repertorio aureo, & multum utili* Partitarum, *per alphabetum*, Peregrina *vulgariter nuncupato, composito assumpsi.* Hæc ille. Diversus autem ab eo est Gundisalvus Bonifacius, quantumvis homonymi alterius libri, *Peregrina* quoque dicti, artifex, qui exeunte sæculo sequenti vixit, quo loco erit quærendus.

379. In celebriorem hujus exeuntis sæculi doctorum theologorum, qui Parisiis, ut moris tunc erat, insignia hujus tituli ritè susceperant, numero, JOANNES fuit DE MONTESONO, vulgò DE MONZON, Dominicanus, è regno Aragoniæ, forsanque ex oppido hujus appellationis. Cujus quidem memoria, non ita illi prospera semper, aut ordini suo, ad nos pervenit. Suscitavisse enim eum anno MCCCLXXXVII. turbas ingentes doctrinæ caussâ, quam Thomisticam prætendebat, in Parisiensi schola, sibique adversantes cæteros theologorum ordines, & academiam integram, Episcopumque ipsum Parisiensem, postremoque etiam Clementem Anti-papam VII. Avenione commorantem, quem appellaverat, expertum fuisse, ex momumentis ejus ævi editis atque ineditis constat: quorum nonnulla foras dedit Cæsar Egasius Bulæus in historię istius universitatis tomo 4. [z]

[z] A pag. 528. usque ad 613.

380. Ex oratione quidem, seu propositione contra eundem facta coram Urbano Papa à Petro de Alliaco doctore Parisiensi, aliàs celebratissimo, huic historiæ insertâ, liquet Gallum eum non fuisse, sed alienigenam. *Dum quidam dictus* (ait [a]) *Fr. Joannes Ord. Prædicatorum de nescio quo Monte-sono, de monte utique ventoso, sono dissono latrans, me violenter irritavit, & me meos inter domesticos meis in castris fraudulenter invasit, atque peregrinis è partibus adveniens in illam, quæ teste Quintiliano, & Hieronymo recitante, sola monstris caruit, Galliam, monstrum horrendum, immo errorum monstra quamplurima, pertinaciter inducere conatus est.* Eâdem ferè in altera propositione [b] de cognomine Joannis formâ loquitur. *Frater Joannes de Monte-sono, de*

[a] Pag. 614.

[b] Pag. 615.

monte inquam eminentis ſuperbiæ, ſono diſſonantis arrogantiæ intonans, &c.

381. Fuiſſe tamen eum natalibus Aragonenſem illud confirmat, quòd poſt Pontificium præceptum, ut rediret Pariſios, dictataque univerſitatis ſequeretur, clam aufugiens, in Aragoniam tanquam in patriam fugerit; quod & Bulæus, & Dominicani ſcriptorum collectores, hiſtoricique Aragoniæ regni admittunt [c]. Videtur tamen paullò pòſt idem Joannes, ſive quia judicio Clementis ita ſeſe ſubducere poſſe credebat, ſive alia de cauſſâ, cœpiſſe bene mereri de Eccleſiæ pace, ac illius communi deſiderio, Urbaniique VI. cauſſam totis ingenii & eloquentiæ viribus propugnare. Aquis enim Provinciæ poſitus anno MCCCLXXXIX. egregium opuſculum adverſus ſchiſmaticos, qui Clementi adhærebant, compoſuit, ex quo in voluminibus *De ſchiſmate* Vaticanis MSS. deſcripto Raynaldus ad annales hujus anni [d] quædam derivavit. Nec diu poſtea commentarium alium cui *Correptorium contra epiſtolam fundamenti ſchiſmatis* inſcripſit, cujus argumentum idem Raynaldus ibidem exponit [e].

382. Tertiò tandem adverſus ſchiſmaticos in eadem cauſſa decertaturus poſtremum alium commentarium laude digniſſimum, quinque dialogorum libris contentum, ad Cardinalem Reatinum direxit, quo inter alia infelices quorundam Europæ Regum & principum, Clementis deterioribus, ſeu ſchiſmatis partibus adhærentium; Caroli nempe Dyrrachii principis, Regis Caſtellæ Joannis I. Ludovici Andegavenſis Ducis, Joannæ Reginæ Neapolis, Bernabonis Mediolani, Leopoldi Auſtriæ Ducum, Raynaldi tandem Urſini obitûs divinæ vindictæ adſcribit. Aſſervatur hic liber MS. in bibliotheca Barberina, ut idem Raynaldus, compendiosè eum iiſdem annalibus contexens [f], prodit. In bibliotheca Colonæa Hiſpalenſis Eccleſiæ eſt etiam MS. liber hic, aut alius ex ſuperioribus, *De ſchiſmate* inſcriptus. Hujus quoque concionum voluminis, variorumque vernaculâ linguâ ſcriptorum memoriam ſervant domeſtici [g].

383. Æqualis fuit horum temporum & Joannis de Monte-ſono, ejuſque ſodalis in eadem Aragonenſi Dominicanorum provincia, NICOLAUS EIMERICUS, Catalanus gente, natus quidem in Gerunda urbe, qui cùm doctrinâ juris exiſtimaretur & ſacrâ non leviter excultus, poſt Nicolai Roſelli ejuſdem ordinis Generalis per Aragoniæ Regum ditionem adverſus hæreticam væſaniam & pravitatem Inquiſitoris ad ſacrum Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ collegium aſſumptionem, idem juſſus fuit munus exercere anno ſeculi ſexto ſupra quinquageſimum.

384. Quo autem profectu & integritate in eo ſe geſſerit, ſuſcitata ingens, & vix reconciliabilis Dominicanos [h] inter & Franciſcanos quæſtio jam olim fuit occaſione bullæ cujuſdam contra Raymundi Lulli errores, quæ Gregorii XI. Papæ nomen præfefert. Hanc ab Eimerico ſuppoſitam Franciſcani, Raymundum ſuum Lullum, qui tertii ordinis Minorum fuit, tuentes, enixè contendunt; ex eo confirmantes, quòd eadem bulla diligenter quæſita inter alias ejuſdem Pontificis, regeſto illius excuſſo, nuſquam apparuerit, cujus rei legitimæ cuſtodum archivi Papalis fidei teſtimonium exhibent. Documentum quoque ſententię in cœtu Generalis Aragoniæ Inquiſitoris, Magiſtri ejuſdem ordinis Prædicatorum, Bernardi Ermengaudi, aliorumque, tam Dominicanorum quàm Minorum, Barcinone habito anno MCCCLXXXVI. vivente adhuc Eimerico, pro ſana Lulli doctrina in libro *De philoſophia amoris* inſcripto, & ab Eimerico hæreſis poſtulato, ſolemniter pronunciatæ; aliaque, in quodam libello videnda, quo quidem continetur lis & litis exitus de hac re Avenione, ſedente Benedicto XIII. & aliàs continuatæ, à nobis ſuprà, dum de Raymundi rebus ageretur, laudato.

385. Epiſtolam quoque Regis Joannis Aragoniæ ex archivo deſumptam adducunt, quâ Eimericus, *nequam hominis, & peſtilentis, ſuique & ejus ſubditorum publici inimici, ac venenoſæ viperæ*, necnon *& fidei orthodoxæ ſuſpecti* compellationibus diffamatus, in exſilium ejicitur. Quibus quidem famam ejus ita gravantibus teſtimoniis opponunt Dominicani horum non illibatam fidem, ac prę aliis inveriſimilitudinem ſuppoſitionis Gregorianę iſtius bullę. Inſanum enim, & cujus vix eſſet capax homo haud emotę mentis, ne dum ejus, qui munus integrâ famâ obiret, Inquiſitoris, videri debet, ut celebratiſſimi ejus temporis eremitæ, ac propter fidei odium à Mauris mactati Lulli doctrinam, à pluribus probatam, defenſamque, confictio Gregorii Papę Avenione ferè in vicinia ſedentis diplomate; neque uno tantùm, ſed tribus (totidem enim ſuper eadem re à partibus producuntur) ſtatim examinandis, ac ſi falſa inventa fuiſſent, cum auctore & falſatore damnandis, convellere ac extirpare ſe poſſe, ac tantum facinus manſurum impunitum, ſibi perſuaderet.

386. Sed nos litem hanc noſtram non facimus, id, quod ſine miſſione inter partes decertatum bellum novimus, iis relinquentes, & eo adjecto contenti, quod vel teſtimonio domeſticorum Eimerici conſtans haberi debet; eum ſcilicet nimio, & quem vix ferrent ea tempora, zelo tractum eò uſque in exercendo Inquiſitionis munere proceſſiſſe, ut in Perpinianenſibus ordinis ſeu provinciæ ſuæ comitiis eo decedere juſſus ſit, eidem tamen poſt aliquot annos reſtitutus; at æquè infelici exitu, cùm in odia multorum incurrens, regię etiam offenſionis ſcopulo navem illiſerit, extraque ditionem totam Aragoniæ regni peregrinus & exſul patrię demorari coactus fuerit. Hæc in hiſtoria ordinis Prædicator. Monopolitani Epiſcopi extenſius narrata fidem fortaſſe mereri poſſent, darique temporum malitiæ ac impotentiæ inimicorum, innocentis & tantum, ſi Deo placet, nimium juſti hominis per exſilia & odia vexatio; quin tamen errorem hiſtorici laudari mani-

c Diago lib. 1. *Hiſt. Provinc. Aragon.* cap. 31. Fernandez in *ſcriptoribus*. Lanuza *hiſtor. Aragon.* lib. 5. tomo 1. cap. 19.

d Tom. 17. an. MCCCLXXXIX. nu. 15. & ſeqq.

e Num. 17.

f Ad ann. MCCCXCI. nu. 24.

g Diago lib. 1 cap 21. Fernandez in ſcriptoribus.

h Bzovius, & contra Bzovium ſcribentes Thaddæus in *Nitela Franciſcana*, & Lucas Wadingus in *Annalib.* videri poſſunt. Theoph. Raynaudus *De immunit. Cyriacor.* diatriba 6. pag. 141. & qui è Dominicanis pro Cyriacis ſcripſerunt.

manifestum sequi propterea debeamus, qui persequens decimum quintum ferè totum sæculum Eimerici memoriam resque gestas 5.parte lib.11.cap.20. digessit; qua in navi velitur etiam Joannes Marieta.

387. Melius quidem nuperi scriptores Dominicani, Ambrosius Altamura in *Bibliotheca* ad annum MCCCXCII. & Vincentius Maria Fontana in *Monumentis Dominicanis* sub Simone Lingoniensi, Elia Tolosano, Raymundo de Capua, præfectis generalibus, cap. 8. 9. ac 10. per omnes ferè paginas, veram illius ætatem & acta literis tradiderunt. Quod verò ad meritum doctrinæ pertinet, illibatum id, vel inter tot pessimè sentientium jactationes, hucusque mansit: opera enim ab eo scripta, &, vel typorum beneficio foras emissa, vel etiam num latentia, doctissimum, tamque divinarum quàm canonicorum literarum eximiè gnarum fuisse ostendunt. Inter cætera autem caput semper extulit.

388. *Directorium Inquisitorum*. Quod cum commentariis suis, facultate usus Gregorii XIII. Pontificis, Romæ edidit anno MDLXXVIII. Franciscus Peña Rotæ sacræ judex, qui & Eimerici Vitam adjunxit; unde aliæ prodierunt editiones, quarum meminimus Peñam laudantes in altera Bibliothecæ hujus parte. Certè hic liber *Directorii*, quasi prora & puppis est doctrinæ ad sartam tectam præstandam fidei puritatem necessariæ, ideoque summi viri Francisci Peñæ lucubrationibus dignus semper visus fuit. Nec nisi insanientis animi œstro scriptum fuisse dixeris à Petro Alva Franciscano in quodam vulgari libello *Respuesta limpia* &c. nuncupato, *mancha* 18. falsitatum plusquam literarum in eo libro contineri. Alia de iisdem rebus fidei adjiciunt Franciscus in *Historia* sui *ordinis prov. Aragoniæ*, & antea memorati Altamura & Fontana: scilicet

389. *De potestate Pontificis contra hæreticos* librum.

De duabus Christi naturis, & de tribus personis in Deo, adversus errorem Valentinorum parochorum, qui quando ægrotos sacro refecturi erant viatico, interrogabant: *Credis quòd hæc sacra hostia est Pater, Filius, & Spiritus sanctus?* & affirmantibus tum demum ministrabant.

De excellentia Christi & B.Virginis Mariæ. contra quosdam hæreticos malè de iis sentientes.

390. *Adversus alios hæreticos, S.Joannem Evangelistam filium naturalem B.Mariæ Virginis asserentes*. Error fuit (ut ajunt) Boneti cujusdam & Francisci Maironis, idque per transubstantiationem corporis S.Joannis in corpus Christi ad illa verba: *Ecce filius tuus*. adversus quos Belgas duos scripsisse, Joannem de Ecoute & Joannem Tinctorem, in *Bibliotheca Belgica* Valerii Andreę legitur. Quod Theophilus Raynaudus in suo *Joanne Evangelista* 1 vix credit; Nicolaum scilicet Bonetum, & Franciscum Maironis potuisse sic monstrosè insanire. Quamquam non diffiteatur eodem tempore scripsisse adversus eundem errorem Dominicum de Dominicis Venetiis anno MDLVII. excusum. Quisquis autem erroris auctor sit, saltem id confirmant fuisse tam Dominici istius, quàm Eimerici nostri scripta de eo opuscula. Edidisse etiam dicitur

1 Punct.10.

391. *Vitam & miracula B.Fratris Dalmatii Molner*, cujus ipse fuerat alumnus, cujusque memoria in eadem utriusque horum patria Gerunda urbe venerabilis est. Diagus, Sorius, in *Prov.Arag.historia*, Fernandez, & Altamura in *Bibliotheca*.

Insuper &

Super quatuor Evangelia commentaria. Quorum Matthæi & Marci propediem è typographia quadam Lugdunensi proditura, Romæ à Dominicanis ante paucos annos audivimus.

392. *In epistolas Paulli ad Galatas & ad Hebræos*. Quibus, cùm pergeret adjungere aliam *ad Romanos*, absolvendis super hancce commentariis, mors intercessit. Antonius Senensis, Diagus, Michaël Pius, Alphonsus Fernandez, Altamura.

Conciones plures tam de tempore quàm de Sanctis. Iidem.

Logicam & physicam. Iidem.

393. *Contra adoratores & advocatores dæmonum*. In quo probat hujus delicti pœnam infligendi facultatem Inquisitorum esse; ut confirmaret ritè judicium anno superiore factum fuisse de Astruco Piera Judæo Barcinonensi apud se Inquisitorem. Astrucus hic diversus ab eo videri debet, filius forsan ejus, qui urbe Darocensi disputationi illi coram Benedicto XI. anno hujus sæculi XIII. interfuit, nominante eum in aliis sectæ suæ doctoribus Salomone filio Virgæ, ex literis Abunstroci cujusdam, fortè ejusdem, qui de se loquitur. De hac disputatione diximus in Hieronymi à Sancta-fide mentione.

394. *Contra calumniantes præeminentiam Christi & Virginis matris ejus*, bis scripsit, primò Clementi Papæ . . . . atque iterum Benedicto XIII. dicatum opus, cujus meminit Petrus de Alva in *funiculis nodi indissolubilis, de prima approbatione doctrinæ S.Thomæ in communi* §. 2. Obiisse autem Eimericum Gerundæ in patria Januarii die IV. anni MCCCXCIX. ex vetusto in cœnobio Dominicanorum sepulchri ejus titulo constare ait Altamura, ex Diago, ut credimus.

395. FERDINANDUS ALPHONSUS, Sanctæ Justæ Toletanæ urbis parochus, scripsisse dicitur anno hujus sæculi XCIII. *Sanctorale* quoddam, sive *De Sanctorum vitis*, quod asservari in eadem Ecclesia docuit nos Martinus de Roa Jesuita in sua *Astigitanæ urbis* (*Ecija* nunc) vulgari *historia* fol.169.


396. Hujusmet sæculi pars fuit JOANNES EMMANUEL, Eduardi Regis Portugalliæ filius, Carmelitarum sodalis, qui anno MCDXLI. præfectus datus fuit tum Ulyssipponensi domo, tum provinciæ cum vicarii generalis titulo. Factus quoque primas Africę Episcopus, necnon Guardiensis, & Archicappellanus regius, scripsisseque dicitur atque edidisse. *A regra de viver en pax*, sive, regulam

lum in pace vivendi, & alia. Vitam ejus à Georgio Colim, ejusdem familiç doctore theologo, scriptam Romç habet amicus noster ac doctissimus magister Fr. Ludovicus Perez de Castro, S. Mariç Transpontinç Regens, ab Emmanuele de Resurrectione Augustiniano nudipede dono acceptam.

397. Antonius de Tanales, ordinis Fratrum Prædicatorum, dicitur Joannis Castellæ Regis I. jussu sub finem hujus seculi vertisse in sermonem Hispanum Valerii Maximi opus *De dictis & factis memorabilibus*. Quæ versio exstat MS. in folio MCCCXCV. confecta in bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ à Ferdinando Colono, magni Christophori Indiarum occidentalium inventoris filio, ejusdem capitulo, cum moreretur, legata. Cujus habendæ curæ impositus hoc tempore D. Joannes de Loaïsa, hujus portionarius, vir industrius & probus, nos per literas monuit, versionem hanc non ex Latino Valerii (ruditatem admiramur temporis) sed ex antiquiori versione Catalana, in Castellanum sermonem commigrâsse.



BIBLIO-



BIBLIOTHECÆ VETERIS HISPANÆ

LIBER DECIMUS,

De scriptoribus decimi quinti sæculi.

PRÆLOQUIUM.

1. DEVENIMUS ferè jam ad carceres post circundatam continuo cursu sæculorum quatuordecim in hoc Musarum circo metam. Quæ quidem nunc sequitur decimum quintum & ultimum hujus partis. Porrò æquales huic fuere moderatores Hispanarum rerum in Castellæ ac Legionis regnis Henricus III. cognominatus *Æger*, qui anno VII. Joannes II. qui LIV. Henricus IV. qui LXXIV. vitâ functi sunt; quorum postremo absque prole demortuo, Elisabetha germana soror cum conjuge Ferdinando (Aragoniæ catholici Rex & Regina) maximo rerum nostrarum compendio succesfere.

2. Et quidem in Aragonia Ferdinandum præcesserat Joannes parens demortuus anno sæculi septuagesimo nono, & hunc Alphonsus frater germanus, Neapolitanus primus Aragonensis Rex familiæ, qui diem suum obiit quinquagesimo octavo, & hunc Ferdinandus I. quem decimus sextus hujusmet sæculi annus sustulit, Martini illius, qui hoc ipsum inchoavit, successorem.

3. Portugalliæ autem Joannes I. jam superioris sæculi Rex, usque ad hujus tricesimum octavum, Eduardus usque ad . . . . . . Alphonsus V. usque ad octogesimum primum, Joannes II. usque ad nonagesimum quintum, Emmanuelque abhinc, præfuere.

4. Navarrense obtinebat regnum anno MCD. Carolus III. *Nobilis* dictus, qui MCDXXV. diem suum obiit, Blancâ filiâ hærede, Joannis Aragoniæ II. conjuge; quibus successit anno septuagesimo nono Eleonora filia, Gastonis Fuxii Comitis vidua, eodemque anno Eleonoræ Franciscus Phœbus nepos, atque huic Catharina soror anno octogesimo tertio, quæ Joanni Albretano nupta sæculum absolvit.

CAPUT PRIMUM.

De PETRO LUPI DE AJALA, *ejusque gestis & honoribus. Regum quatuor historiæ ab eo scriptæ, item alia.* RODERICUS GUNDISALVUS A CLAVIJO *Henrici Regis Castellæ III. ad Tamberlanem legatus, historiæ hujus scriptor.* ANONYMUS *scriptor epitomes Regum Hispaniæ à Pelagio usque ad Henricum III.* PETRUS MAZA *Dominicanus.* FERDINANDUS NONIUS DE CUENCA *Henrici dicti Regis chronographus.* MARTINUS ALPALTILIUS *canonicus Cæsar-augustanus. De* PETRO ALBERIT, *ejusque opere genealogico. De* BERNARDO DE RIERA. *Mercenariorum sodali.* JACOBUS CALICIUS *jurisconsultus Catalanus magni nominis.* PETRUS DE FONTE-LUPORUM. *Dominicanus.* HIERONYMUS DE SANCTA FIDE, *sive* JOSIAS LURKI, *ex Judæo Christianus. Disputatio contra Judæos coram Benedicto XIII. & quinam ei adfuerint, aut de ea scripserint.* BARTHOLOMÆUS PEYRÒ *Carmelita.* VINCENTIUS ARIÆ DE BALBOA, *sive* VAL-BUENA, *Placentinus Episcopus.*

5. PRINCIPIUM ferè hujus sæculi virum Hispaniæ fortissimum, nec minus doctum atque disertum, pace ac bello parem, eripuit. PETRUS LUPI DE AJALA hic est,

est, Ferdinandi Patri de Ajala Adelantati (ut cum vulgo loquitur) Murciæ regni filius, matre Elvira de Zavalles, domina Vallis *de Escalante*, excellentissimorum Comitum *de Fuen-salida*, Hispanię nunc magnatum, ex conjuge sua Leonora Guzmana propagator inclytus. Quatuor hic Castellę Regibus, quos per ętatem adeptus fuit, Petro cognomento crudeli, Henrico II. ejus fratri, Joanni I. Henrici, & Henrico III. Joannis filiis, non minùs ob sanguinis & munerum apud eos gestorum commendationem, quàm ob eximias animi & corporis dotes, charus in paucis vixit. Juvenis Petro ęqualis, nec ingratus, dum tolerari potuit, ei adhęrens, Henricum postea sequutus fuit, qui adversus fratrem toti regno perosum Gallorum ope usus pręvaluit. Repetente autem, cum Anglorum & Navarręorum exercitu, unde ejectus fuerat, regnum Petro, & cum Henricianis juxta urbem Naxaram anno MCCCLXVII. commisso feliciter prœlio, captus noster, ingentique summę redemptus pretio, Henricum rebus in melius mutatis imperio cum fratris cęde restitutum, obnoxium sibi semper habuit, eique à consiliis fuit.

6. Nec minùs Joanni I. successori Henrici patris in bello Lusitano fortissimam, licèt improsperam, navavit operam. Vexillifer enim signi, quod ab ordine quodam equestri *de la banda* nuncupabatur, in sæva, decretoriaque illa, quæ de *Aljubarrota* audit, pugna, secundùm à Lusitanis fuit captus, postquam nihil, quod strenuo esset milite ac fortissimo duce dignum, prætermisisset. Quibus gestis pares eum obtinuisse honores, jus & ęquum erat.

7. Castellæ igitur [a] Cancellarius, ut vocant, major, archimetator, &, quod etiam legimus, Comes cubiculariorū [b], Regibus fuit; quorum primo dicto munere conspicuum omnes nôrunt, qui à Ferdinando Perezio Guzmanio confectum lectissimi hujus viri elogium aliaque historiarum æqualium monumenta consuluere. Alterum ipse præfefert regia privilegia confirmans. Ultimum tandem genealogici nostri auctores produnt [c].

a *Canceller mayor de Castilla.*
b *Aposentador mayor, Camarero mayor.*
c Haro *Nobiliario genealogico* lib. 5. c. 19.

8. Procero fuit & pulchro, licèt gracili, corpore, summa vir auctoritate atque prudentia, sapientique, seu bellum seu pax esset, consilio, benignus idem & comis, ac Dei timens. Nec dictu facile, quibusnam, aulæ ne ac militiæ rebus, an literis ac libris magis aptus. Vehementer enim studia, pręsertim moralis philosophiæ, rerumque olim gestarum, in illa bonarum omnium artium, quæ tempore suo apud nos vigebat, egestate, amavit ferè solus excoluitque. Titum Livium pręcipuè in profanis, & Sanctum Gregorium in sacris scriptoribus charos & assiduos habuit.

9. Idem tamen, ut sacrorum & profanorum scriptorum illustri gentis nostræ honore augeret numerum, Regum quatuor Castellę & Legionis, Petri nempe Henrici II. Joannis I. & Henrici III. res gestas eleganti, quem ętas ferebat, stylo, summaque fide historicæ telæ commisit. Quas ei historias disertè attribuit laudatus antea Ferdinandus Perezius. Editæ sunt earum tres priores sub his titulis:

Coronica del Rey D. Pedro.
Coronica del Rey D. Henrique II.
Coronica del Rey D. Juan el I.

tum aliàs, tum Pampelone MDXCI. in folio. Duas posteriores continet codex MS. in bibliotheca Vill-umbrosana Matritensi, inquo notatur, originale seu exemplar historiæ Joannis Regis apud Hieronymianos Guadalupenses exstare. Immo omnes, huncque Guadalupensem codicem emendatissimum, inde fuisse mutuò acceptum Regis Ferdinandi jussu à Laurentio Galindi Carvajalio anno MDX. eoque hunc esse usum, constat ex nota eidem codici apposita, cùm post viginti octo annos è manibus hęredum laudati Carvajalii recuperatus fuisset, & ad monasterium reductus operâ Fr. Didaci de Cazeres. Quam notam vidimus in volumine 9. *Miscellaneorum* ejusdem bibliothecæ transcriptam. Hunc tamen codicem mutuò datum Caravajalio, & ab ejus hęredibus restitutum Guadalupensibus cœnobitis, continuisse veram quam appellant historiam Petri Regis, à Joanne de Castro Giennensi conscriptam Episcopo, non autem hanc Ajalæ nostri, olim jactatum fuit ab his qui de amissione illius dolebant valdè. Nec destiterunt ita opinari ex quo curiosis quibusdam hominibus innotuit ex relatione Guadalupensi nil aliud continere codicem istum sibi restitutum, quàm Chronica vulgaria Regum Petri, Henrici, & Joannis, quæ Ajalæ prę se nomen ferunt. Reponunt quippe, conjecturæ nimium dantes, alterum codicem mutuatum à monachis, & alterum iis dolosè restitutum; priore illo Joannis Castrii, posteriore Ajalæ diversam prorsus historiam Petri Regis contentam. His tribus historiis, & quartæ (de qua statim dicemus) additiones seu Notas fecit magnus vir Hieronymus Surita, quæ in eadem bibliotheca MSS. asservantur in folio: quas Cæsar-augustæ in lucem post hęc scripta dedit Dicacus Dormer Aragoniæ chronographus anno MDCLXXXIII. Attamen Henrici III. quarta, usque ad annum ejus sextum, sive sæculi superioris nonagesimum quintum, ab eo perducta, in schedis mansit. Vidimus eam nos ita inscriptam & annotatam:

10. *Historia ò Chronica* del *Rey D. Henrique el III* Quæ incipit: *La desastrada muerte del Rey D. Juan el I.* &c. & in fine post annum sextum sequitur hæc vulgaris linguæ nota: *Hasta aqui el noble cavallero Hernan Perez de Ayala* (error est pro Petro Lopez de Ayala, Ferdinandi Petri filio, quem fortè harum historiarum auctorem existimavit) *desde la muerte de D. Alonso XI. sobre Gibraltar hasta este lugar. Desde aqui se añade, aunque en suma, del noble cavallero Hernan Perez de Guzman, señor de Batres, que escrivio los illustres varones de este tiempo, e de Mossen Diego de Valeras, e de Alvar Garzia de santa Maria, e del Obispo D. Alonso de Cartagena su bermano. Añadiò lo que se sigue Francisco de Medina y de Mendoza, natural de Guada-*

laxa-

laxara. Quibus significatum videtur ex quatuor his, Ferdinando Perezio Guzmano, Didaco de Valera, Alvaro Garzia, & Alphonso fratribus de S. Maria, sive de Carthagena, quod reliquum fuit Henrici Regis Vitæ usque ad initium anni MCDVII laudatum nuper Franciscum de Medina & Mendoza supplevisse. Quod quidem latuisse videtur diligentissimum *rerum Segobiensis urbis* historicum Didacum Colmenares, qui de continuatore nihil certi esse affirmat [d]. Immo ne quidem in literis esse hanc continuationem Stephanus novit Garibajus, dum lib. 15. cap. 47. *Compendii* sui *historialis* non leviter lamentatur, quo desiit loco Ajala noster, sibi quoque opus fuisse rerum Henrici filum abrumpere: neque enim vidit unquam, audivitve, quantumvis sedulò conquisitum, quem in prosequenda hujus Regis historia ducem sequi posset. Ms. Matriti habet hanc historiam D. Joannes Lucas Cortesius, amicus & civis noster, cui adjungitur *tractatus genealogicus*, is forsan, de quo statim agemus.

d *Historia de la ciudad de Segovia* pag. 318.

11. II. *Libro de linages* MS. quem penes Petrum Salazarium de Mendoza, indeque in bibliotheca D. Petri de Roxas Comitis de Mora olim fuisse credimus, amico nostro D. Josepho Pellizerio id affirmanti [e]; subtractum tamen vero auctori, dum præfert titulus *Didacum Lopez de Ayala Vicarium Toleti*, qui nescio quid antiquis novi adjunxit. Immo se jam esse hujus libri possessorem idem Pellizerius alio loco ait [f]. In eorum quidem auctorum elencho, quibus se usum fuisse ad scribendam *nobilitatis Bæticæ historiam* Gundisalvus de Argote & de Molina ait, *Linage de la casa de Ayala, escrito por D. Pedro Lopez de Ayala el gran Canciller*, legimus.

e *En el Memorial por el Marques de Robas* fol. 48.

f *Memorial de los Marteles*

12. *Libro de cetreria*, sive *de caza*. Hoc est, de re venatoria, cujus meminit in eodem elogio toties memorato Ferdinandus Perezius Guzmanus, ejusce rei bene peritum fuisse Ajalam nostrum adjungens. Hunc & laudat, inter libros quos ad manum habuit, Gundisalvus idem Argote. Exstareque Hispanum quoddam ejus exemplum MS. in regia bibliotheca Regis Galliarum cod. 2170. docet Labbeus in *Bibliotheca manuscripta* [g].

g Pag. 305.

13. *Libro llamado Rimado del Palacio*. Cujus rei testis est idem Ferdinandus Perezius: metricum, ut videtur, opus, fortè deperditum. Conjectabatur tamen vir magnus Surita [h] huc devenieus, *Primado*, non autem *Rimado* legendum, quasi ordinationes Palatii. Laudantur & ejusdem nobilissimæ optimorum auctorum ex Latino in vernaculum Castellæ sermonem interpretationes,

h Vide epistol. proœmial. libri *Enmiendas y advertencias a las Coronicas de D. Pedro Lopez de Ayala*, de Surita.

14. *Decades* nempe (quod usus introduxit temporum barbarorum dicere) seu potiùs Titi Livii historiarum libros, qui tunc noti erant, nondum tamen typis mandati (prima enim hujus historiæ editio Paulli Papæ secundi nomine insignitur circa MCDLXX. [i]) manu scilicet exaratos Hispaniæ invexit primus, eodem Ferdinando Perezio teste, & in Hispanam linguam convertit. Quæ quidem interpretatio Salmanticæ absque auctoris nomine anno MCDXCVII. in folio prodiit, rursusque additis quinque libris postremis quintæ decadis, alio quodam interprete, qui & ipse nomen suum reticuit, ex officina Arnaldi Birchman Coloniensis typographi an. MDLII. seu MDLIII. Philippo Hispaniarum principi Caroli Cæsaris filio dicata. Auctorem verò fuisse hujus interpretationis Petrum Ayalam, idoneo satis comprobamus teste Joanne Alphonso de Zamora, Joanni Regi II. à secretis, de quo statim dicemus, qui in præfatione quadam ad versionem aliam ejusdem auctoris mox laudandam, integrum Livium ab eo Hispanè conversum [k] disertis verbis annotatum reliquit. Qua in gloria Latinum Romanæ historiæ principem vulgaribus linguis communicandi, alios omnes cæterarum Europæ nationum antevertisse is videtur.

i Vide Joannis Frederici Gronovii *Præfationem* ad Amstelodami Livii editionem anni MDCLXV.

k Verba Hispana: *Romanzo enteramente el Tito Livio, los Morales de Job, y otras algunas obras.*

15. *Los Morales de Job*. Ita effert laudatus jam Zamora, rem ipsam adstruens. Quod intelligo de Commentariis moralibus in Jobi librum S. Gregorii Magni: hos enim cum Livio, & aliis aliorum auctorum operibus, communicâsse eum suis Hispaniæ civibus Ferdinandus ait Perezius toties à nobis advocatus, Didaci rerum testis. Hanc autem interpretatiouem sive ignoravit, sive insuper habuit, ut novam procuderet, Alphonsus Alvari à Toleto, quum eidem versioni *Moralium* S. Gregorii sese accinxit, quæ anno superioris sæculi decimo quarto Alphonso Manriquio S. R. E. Cardinali & Hispalensi antistiti nuncupata, Hispalensibus postea Joannis Barba de Salamanca prodiit typis, anno ejusdem sæculi tricesimo quarto.

16. *La caida de Principes de Juan Boccaccio* ex parte etiam vulgarem fecit. Joannis Boccaccii *De casibus virorum illustrium* ad insignem militem Machinardum de Cavalcantibus, preclarum regni Siciliæ Mareschallum, audit opus in exemplo, quod MS. vidimus Romæ in Altempsiana bibliotheca. Habet & aliud Vaticana MS. cod. 2030. Quibus quidem similia exstare alia in Oxoniensi & Lincolniensi, ex Thoma Jamesio didicit Gerardus Joannes Vossius [l]. De editione autem ejus operis nusquam audivimus. Edita autem hæc Hispana interpretatio fuit primùm Hispali annò MCDXCV. in folio typis Meinerdi Ungut Germani, & Lancalci Poloni, atque iterum Compluti apud Joannem Brocar MDLII. in folio.

l *De Hist. Lat.* lib. 3. c. 2.

17. Non tamen ea tota Petri nostri est. Cùm enim ipse ex decem libris octo integros, noniique usque ad id caput, quod de Arturo Anglorum Rege est, Hispano stylo percurrisset, imperfectum opus reliquit; quod supervenienti ejus morti ex conjectura imputat is, qui versionem absolvit, Alphonsus Garsias de sancta Maria, Decanus Compostellanæ & Segobiensis Ecclesiarum, qui presul deinde Burgensis fuit, Paulli decessoris filius, de quo infrà latius. Constat hoc ex hujus editionis Hispalensis præfatione, quæ Joannem Alphonsum de Zamora Regi Joanni II. à secretis auctorem habet, qui quidem dictante jam laudato Alphonso de-

cano, dum ambo regiis cum mandatis in Portugalliæ curia versarentur, manu propria se id, quod deerat Boccaccianæ versioni, scripsisse ait. Manuscriptum codicem hujus interpretationis servabat Matriti excellentissimus Comes Vill-umbrosanus; in cujus titulo [m] notatum legitur Joannem Alphonsum prædictum edidisse opus hoc in lucem, hoc est, ut intelligo, aliis manu exaratum communicâsse, anno MCDXXII.

[m] *Caida de Principes por Juan Bocacio, traducida de Latin en Romance por D. Pedro Lopez Ayala por la mayor parte, y continuada por el Dean de Santiago el Doctor Alphonso Garzia, sacada a luz año de MCDXXII. por Juan Alphonso de Camora secretario del Rey D. Juan el II.*

18. Nescio autem an de aliis ejusdem translationibus intelligenda sint quæ Ferdinandus Perezius in elogio ait, beneficio nempe ejus cognitos fuisse in Castellę regno quosdam libros non antea notos, scilicet *Titi Livii Romanam historiam*, *casus Principum Joannis Boccacii* (ut vidimus) *Morales libros S. Gregorii*, *Isidorum De summo Bono*, *Boëthium*, *ac Trojanam historiam*. Vix credo: maximè cùm visi nusquam sint, *Boëthius* Hispanè olim conversus, sed primùm ab Antonio Genebrada Dominicano, Guidonis autem de Columna *Trojana historia*, de qua una Perezius loqui videri poterit, ab extero homine in Hispanum translata, ignotum quo tempore, dicatur in fine editionis Toletanæ anni MDXII. quam Petrus Nuñez Delicatus procuravit, recognita à se, & in pluribus locis meliore facta, atque peregrinis verbis, à peregrino interprete usurpatis, expurgata versione. ut in altera recentiorum scriptorum parte annotatum fuit.

19. Obiisse nostrum in Calagurritana urbe quinque annis septuagenario majorem, sęculi hujus septimo, & in monasterio de *Quexana* familiæ suæ sepulchro conditum fuisse, in fine elogii ait Guzmanus, quod cum aliis aliorum sui ferè temporis conspicuorum sanguine aut dignitate virorum in libellum conjecit *las generaciones ò semblanzas*, nuncupatum, ad calcem *historiæ Joannis Regis II. Castellæ*, de quo, cùm ad Guzmanum devenerimus, congrua erit iterum quærendi occasio. Huic & locum inter Hispaniæ viros illustres jure dedit meritoque Lucius Marinæus Siculus *De Hispaniæ laudibus* lib. 5. & Stephanus Garibajus lib. 16. cap. 3. Vide & magnum Suritam in *prologo ad emendationes in ejus historias, seu Regum Chronica*, quarum antea meminimus.

20. RODERICUS GUNDISALVI A CLAVIJO, ob legationem ad Tamberlanem initam Henrici Regis III. Castellæ nomine hujus sæculi initio apud nos fuit in celebri fama. Hic Matriti nobili loco natus eo loci habitâsse dicitur, in quo nunc spectatur juxta Ecclesiam S. Andreæ Apostoli sacellum à Garsia de Vargas Placentino antistite constructum. Delegaverat Henricus, Tamberlanis, seu Timuri, Tartarorum ducis famâ rebusque fortiter gestis permotus, ad eum legatos Pelagium Gomezium de Soto-majori, Ferdinandumque Sancium de Palatiolis, qui de bello adversus Turcarum Imperatorem suscepto, deque arreptis propria virtute insignibus & potestate vasti imperii regio nomine gratulati ambitiosum hominem & gloriæ cupidissimum officiis ab extremo orbe mandatis compellarent. Qui cùm injuncto munere perfuncti, cum donis literisque ad Henricum datis, atque insuper proprio Tamberlanis legato comitati rediissent, repetendum sibi grati animi officium, quâ erat regiæ dignitatis, famæque ad exteros propagandæ curâ, legationemque alteram adornandam Rex duxit.

21. Delecti sunt gerendæ pro dignitate rei tres viri, Alphonsus Perezius à S. Maria Prædicatorum sodalis, Gomeziusque Salazarius Regis custodiam, tertiusque noster cubiculi curam gerens. Hi commissum sibi opus omnes, prout tanti principis susceptæ vices postulabant, æque expediverunt. Rodericus autem itineris historiam, qua Tamberlanis imperium, resque in bello gestas nostris hominibus ostenderet, preterea scripsit; quam Gundisalvus Argote de Molina, hujusmodi monumentorum superioris ævi perstudiosus, deque Hispana historia optimè meritus, adjecto rei & auctoris indicandi gratiâ procemio, typis edi curavit. Inscriptio libri hæc: *Historia del Gran Tamorlan. Itinerario y enarracion de la embaxada que Rui Gonzalez de Clavijo le hizo por mandado del muy poderoso señor Rey Don Henrique tercero de Castilla*. Ad Antonium Perezium Philippo Regi II. à secretis, Hispali apud Andream Pescioni MDLXXXII. in folio. Qui commentarius quantivis pretii haberi debet iis, qui decantatissimi hujus & invictissimi Imperatoris res gestas noscere cupiunt. Adjungendus Achmedis Arabschæ filii Arabicæ, quam Golius edidit, Petri Perondini Latinæ, & Schiltbergeri cujusdam Bavari Germanicæ historiis ejusdem argumenti, atque iis quæ latè ac luculenter de eodem Timure *historiæ suæ Ecclesiasticæ* xv. sæculo cap. 5. sect. 2. Joannes Henricus Hottingerus scripsit.

22. Triennio is cùm abfuisset, nempe à vicesima secunda Maji die anni MCDIII. usque ad Februarii quartam super vicesimam MCDVI. in patriam reversus apud Franciscanos fratres ejusdem Matritensis municipii sacellum templi maximum grandi sumptu ædificavit, sibique in eo marmoreum tumulum effigie sui imposita, exaratisque in circulum hisce literis:

AQVI

A QVI IACE EL HONRADO CAVALLERO
RVI GONZALEZ DE CLAVIJO
QVE DIOS PERDONE, CAMARERO DE LOS REYES
D. HENRIQVE DE BVENA MEMORIA, E DEL REY
D. IVAN SV HIJO, AL QVAL EL DICHO SEÑOR REY
OVO EMBIADO POR SV EMBAXADOR AL TABORLAN.
ET FINO DOS DIAS DE ABRIL AÑO DEL SEÑOR
DE MIL Y QVATROCIENTOS Y DOZE AÑOS.

23. Hoc loco mansit conditum ejus cadaver, usque dum, nullo ab eo herede relicto, qui jus posset quæsitum pretendere, cœnobii illius sodales hinc deduxere, Joannam Reginam Henrici Regis IV. uxorem telluri apud se traditam honorificentissimo totius templi loco, ubi & nunc marmoreum ejus sepulchrum conspicitur, accepturi. Exuviæ Roderici, monumentumque in alium locum, à quo deinde ad Ecclesiam mediam, rursusque hinc in proximum amboni parietem ante annum MDLXXX. fato quodam, insignique rerum humanarum inconstantiæ argumento, sedem mutârunt.

24. Sub Henrico III. Rege, qui anno septimo è vivis cessit, * ANONYMUS quidam vixit, obscurus ad posteritatem derivatus, excepto quòd de munere ab eo gesto inter curiales constat. Dispensatorem enim se appellat Eleonoræ Reginæ Joannis I. Castellæ Regis conjugis; non autem proprio nomine: quod suspicari possumus inter exscriptorum manus evanuisse. Nam cui fini reticere nomen & abscondere hominem, cujus aliàs indicium ex tam noto munere fecerit? Liber exstat ita inscriptus, propter quem hunc laudamus: *Sumario de los Reyes de España desde D. Pelagio hasta D. Henrique el III. compuesto por . . . . despensero mayor de la Reyna Doña Leonor muger del Rey D. Juan el I.* Brevis quidem historia est, sed bene ordinata. Exemplum hujus vidimus anno MDLXXX. exscriptum ex antiquiore alio. vidimus etiam typis editum opus vagientis adhuc impressoriæ artis in 4°. sine loci nota apud excellentissimum Marchionem Mondexarensem. Meminit Ægidius Gundisalvi de Avila in *Historia Henrici III. Castellæ Regis* cap. 57.

* De hoc ipso Anonymo jam supra actum pag. 68. num. 282. sed quoniam hic plenior ejus notitia exhibetur, quodque ipsa auctoris manu repetita illius hic mentio, eam delere religioni duximus. CARD. DE AGUIRRE.

25. Circa hæc tempora PETRUS MAZA, Oscensis, Prędicatorum sodalis, ex Aragonię provincia, uti Franciscus Diagus refert in ejusdem provinciæ *Dominicanæ historiæ* libro 2. cap. . . . . eruditum opus scripsit adversus Arnaldi Villa-novani errores.

26. Anno septimo desiit mortalis esse Castellæ Rex Henricus, ob afflictam continuò valetudinē Æger sive Infirmus vulgò cognominatus. Hujus res in historiam digessit FERDINANDUS NONIUS DE CONCHA, hujus forsan nobilissimæ urbis civis, archicapellanus ejusdem Regis, quæ MS. adhuc à paucis legitur. Fuisse autē apud Carthusianos Hispalenses à multo tempore scriptum laudatum hoc, aliudve Henrici III. Chronicon, indeque acceptum exemplum, ante aliquot annos in bibliotheca Comitis Ducis Olivarum, testes optimæ fidei habeo. Meminit hujus auctoris & historiæ D. Didacus Sanchez Portocarrero in *Historia Molinæ, atque ejus dominorum catalogo*, sępiusque variis in locis D. Josephus Pellizerius.

27. Gliscebant apud nos initio hujus seculi animorum turbæ ob controversiam magnis animis inter Gregorium XII. & Benedictum XIII. vulgò Anti-papam dictum, atque utriusque asseclas, supremam Ecclesiæ dignitatem; quo tempore Benedicti, cujus adhærebant partibus Castellæ & Aragoniæ, atque alii Reges, in familia fuit MARTINUS ALPARTILIUS Aragonensis, Cęsar-augustanę S. Mariæ Virginis de Pilari Ecclesiæ, ut olim audiebat, camerarius, fidus semper strenuusque Benedicti comes, quôcum in Avenionensi palatio Gallorum Cardinalium, & adversæ partis ducum obsidionem circa annum MCCCXCIX. diu pertulit: ab eo autem, dum in Nicensi Provinciæ urbe ageret, aliquando, quinto nempe hujus sęculi anno, ad Siciliæ Regem Martinum juniorem, Martini alterius Aragoniæ Regis filium, destinatus fuit.

28. Hujus passim in *Annalibus Aragonensibus*, atque hujus temporis rebus meminit Hieronymus Surita °, ex quo eum in commentarios retulisse ait *historiam hujus schismatis*, unde plurium eventuum hujus temporis equalium deservire historiæ suæ mentionem fecit. Quo similiter in Latinis *Rerum Aragonensium indicibus* ᵖ, uti solet, pręcipuè circa finem: ubi ait Martinum Alpartilium *operarium Cæsar-augustanum, qui in intimis Benedicti erat, ejus varios actus actionesque ferme omnes consiliorum & temporum, ex quo in summum Pontificem est evectus, diffusè complexum fuisse*. Alibi Dertosanæ Ecclesiæ camerarium vocat, ad annum scilicet MCDVI. Nec tacuere hominem, atque ejus has lucubrationes, alter ejusdem regni chronographorum coryphęus Hieronymus Blancas, *egregium antiquarium* eum appellans, ac Didacus Espès, Blancæ preceptor, Cęsar-augustanæ Ecclesiæ sancti Salvatoris portionarius, & archivi custos, in prolixis suis, at eruditissimis ac diligentissimis rerum ejusdem Ecclesiæ Cęsar-augustanæ nondum editis, à quibus tot alii profecerunt, commentariis. Meminit quoque Petrus Ribadeneyra in Vita S. Vincentii Ferrerii. Necnon & Escolanus *Valentinæ historiæ* decade 1. lib. 5. cap. 27. & Joannes Franciscus An-

o Lib. 10. cap. 56. 61. 68. 74. 80. 83 & 88. lib. 11. cap. 31.

p Lib. 3. ad ann. MCDVIII. & MCDX.

Andreas Uſtarrozius in *Defenſione patriæ ſancti Laurentii* cap. 8. Natum verò eundem prope locum, quem *Pueyo de Aranda* vocant, alicubi [r] admonuit laudatus jam Surita.

r Lib. 11. cap. 11.

29. Ad rem ac tempus ejuſdem Benedicti pertinet PETRUS ALBERIT Aragonenſis, quo juſſu laudati priùs Benedicti, dum Cardinalis eſſet, *genealogicum* de familiis ejuſdem regni Aragoniæ illuſtribus opus confecit. Quod laudat Joannes Martini de Bahamonde in *elogiis quorumdam Sanctorum*, elenchoque auctorum quibus uſus fuit, his verbis: *Pedro Alberit en el libro que hizo de linages illustres de Aragon por mandado del Cardenal Luna llamado Papa Benedicto XIII.* atque item tacito Alberiti nomine Alphonſus Lopez de Haro lib. 5. *Nobiliarii Hiſpaniæ* cap. 15. fol. 463.

30. BERNARDUM itidem DE RIERA Mercenariorum fratrum ſodalem, atque eò quòd inſigne volumen *De laudibus Benedicti* ejuſdem XIII. aliquando edidiſſet ad collegium Cardinalium ab eo exaltatum, hiſtorici hujuſmet religioſæ familiæ, cum aliis eodem honore mactis, laudant; quibus, cùm teſtimonia alia deficiant, non ſolidè credit Ciaconius Cardinalium ſedulus enarrator, aut ii qui Ciaconium locupletavere [s].

s In editione Rom. an. MDCLXXVII. *Vitarū Pontific. & Cardin.* tomo 2. col. 746.

31. Catalonia ſemper edidit egregios prudentiæ juris & omnimodæ doctrinæ viros quorum auxit numerum celebris ſub Martino, ac Ferdinando, & Alphonſo, Aragoniæ Regibus, poſtremique hujus conſiliarius, & fiſci advocatus, JACOBUS CALICIUS, ſeu DE CALICIO, Vicenſis eques, monumentis pluribus à ſe relictis de patrio jure optimè meritus. Exſtant quippe ejus

32. I. *In Uſaticos urbis Barcinonenſis* (leges municipales ita vocant [t]) commentarii, qui cum aliis Jacobi à Monte-Judaïco, ſive de Mont-Jui, Jacobique, & Guilielmi de Valleſicca anno MDXLIV. in folio Barcinone prodierunt. Hos ſeſe conſcripſiſſe circa ann. MCDI. admonitum idem voluit auctor in *Margarita fiſci*, cujus infrà meminimus. Quo loco animadvertere æquum eſt quamplures Cataloniæ juriſconſultorum hanc Spartam *Uſaticorum* explanandorum ſibi adornandam delegiſſe, quorum nomina, quia de ejus monumentis aliàs obſcura memoria eſt, ex Andreæ Boſchi Perpinianenſis vernaculo *Admirabilium titulorum honoris Cataloniæ, Ruſcinonis, ac Ceritaniæ* opere [u] huc advocavimus. Laudat nempe is lib. 3. cap. 13. hos *Uſaticorum* gloſſatores, Raymundum de Area, Raymundum Balliſtarium, Jacobum de Faro, Petrum Terrenam, Petrum Deſpens, Bertrandum de Monte-Judaïco, Berengarium de Gualbis, Petrum de Ponte. Præter hos quibuſdam aliis teſtimonium tribuit Antonius Olibanus [x], nempe Bertrando de Seva, Guilielmo Dominico, Jacobo de Monellis, Jacobo Cardoni, Jacobo Matthæi, *qui omnes* (Olibanus ait) *partim ſcripſerunt obſervationes aliquas in noſtra jura, quas poſtea colligentes alii majoris nominis ſcriptores, in ſuis commentariis, auctore quandoque expreſſo, quandoque tacito, continuârunt*. Hæc ille.

t De quibus vide Olibanum *De actionibus* parte 1. lib. 3. cap. 1.

u *Summari, ò epitome dels admirables titols de honor de Catalunya, Rosellò, y Cerdanya* Perpiniani edito MDCXXVIII.

x Tract. *De actionibus* ubi ſuprà num. 98.

33. II. *Directorium pacis & treugæ*. Sequutus in eo *Jacobi Cardoni* (ut idem Olibanus ait [y]) *Juriſperiti, & egregii cauſſarum patroni civitatis Vici, ut idem noſter Calicius teſtatur in præfatione hujus tractatus* De pacibus & treugis, *quem dicit compleviſſe in an. MCD. ſub Rege Martino; in quo tractatu plures conſtitutiones, pragmaticas, privilegia declaravit*. Fuit MS. cum additionibus Thomæ Mieres, propria ejus manu exaratis, in bibliotheca Antonii Auguſtini. Huic adjungitur

y Ubi ſuprà

34. III. *Proceſſus ſoni emiſſi*. Quod peculiare genus eſt in Catalonia adverſus delinquentes procedendi, à Calicio conſcriptus MCDVI. Utrumque opus prodiit charactere Longobardico; typographus tamen & nomen & locum ſilentio preſſit. Tractatum hunc dicavit auctor Speranti-in-deo Cardona, Martini Regis Vice-cancellario.

35. IV. *Margarita fiſci*. In ea *propoſitis octo quæſtionibus explicat jura fiſci, & alia jura ad principem ſpectantia, pœnas pecuniarias, corporales, & alia id genus* &c. *Hæc ſub Alphonſo IV. edita eſt* (Alphonſum IV. Catalani vocant, quem Aragonenſes V. qui anno ſæculi decimo ſexto regnare cœpit) *ut idem ſcribit in præfatione num. 5. & in fine operis, in anno ſcilicet MCDXXIV*. Hæc Olibanus.

36. V. *De prærogativis militaribus*, tractatus, anno ſcilicet MCDXIX. ſub eodem Alphonſo ſcriptus, *in quo jura hujus patriæ* (ait iterum Olibanus) *communia & privata privilegia militum declarantur*. Thomas Mieres ejuſdem ſæculi auctor, *collectione quarta Jacobi II. curiarum Barcinonenſium* cap. 27. circa finem, tractatum *De re militari* vocat, *ubi, opinor* (ait) *poſuit prolixiùs privilegia militaria, cùm ipſe fuiſſet etiam miles*. Sed cùm *Viridarium militiæ* vocatum ab auctore ibidem adjunxerit, referri ad ſequens opus teſtimonium hoc debet. Scripſit etenim Calicius etiam

37. VI. *Viridarium militiæ*, MCDXXIV. editum, à ſuperiore aliud opus, quod Olibanus diſertè aliique diſtinguunt.

38. VII. *De moneta* tractatus, anno MCDXXI. Hunc Thomas Mieres vocat *tractatum ſeccæ, & monetariorum*, librum laudans, & auctorem in operis antea memorati collatione 4. cap. 11. num. 7.

39. VIII. *Extravagatorium curiarum*. Poſt curias generales per Alphonſum Regem celebratas anno MCDXIX. in monaſterio S. Cucuphatis de Valls ſcriptum, quod eſt de curiarum celebratione, ut idem in præfatione auctor ait, & Olibanus. *Curiale*, ſive *Exgravatorium*, diſertè vocat idem Mieres collatione 7. cap. 1. num. 7. Editum fuit Barcinone ſeorſum à Joanne Gondiola ann. MDLVI. uti ait Verderius in *ſupplemento bibliothecæ Geſnerianæ*. Hæc omnia fuiſſe inter libros MSS. ſummi viri Antonii Auguſtini ejus te docebit catalogus: ſed & alia iſta quæ ſequuntur:

40. IX. *Tractatus* ita inſcriptus: *Quis dicatur heres ſolidus*.

41. X. *De juriſdictionibus*, quædam alia.

42. XI. *Additiones ſuper Directorio ſuo pacis, & poſtillæ, & quæſtiones, & concluſiones docto-*

doctorum super processu pacis & treugæ, cum variis pragmaticis de eadem re.

43. XII. *Allegationes super facto Initionis inchoatæ contra Ecclesiam in favorem ejusdem.*

Calicii hæc opera, sive eorum major pars, Lugduni prodiere anno MDLVI. in folio.

44. PETRUS DE FONTE-LUPORUM Dominicanus, qui in domo Tarraconensi professionem emisit, in Bilbilitana autem diem suum obiit, provinciæ suæ Aragoniæ præfectus fuit, tum fidei caussarum per integrum regnum censoriâ supremaque potestate ornatus. Scripsisse dicitur tractatum *De modo celebrandi comitia provincialia*. Laudatus ob id scriptum à Francisco Diago in *historia* sua ejusdem *provinciæ Aragoniæ Dominicanorum*, qui anno MCDXII. eum vitâ functum ait.

45. Benedicti Pontificis circa hæc tempora medicus fuit HIERONYMUS DE SANCTA FIDE, olim Judæus, JOSIAS, sive JOSUA LURKI nomine; inde Christianus, atque Judæorum hostis acerrimus. Celebratur maximè disputatio hujus cum Hebræorum Hispaniæ totius doctissimis anno MCDXIII. jussu Benedicti habira. Cui quidem Hieronymus obtulerat, si sapientissimos eorum quosque acciret, se illis ex Talmude clarissimè demonstraturum Messiam jam pridem venisse. Ejus aliqua pars legitur in epistola quadam Abunstroci ad Geronense (Gerundense intelligo) Conciliabulum missa, quam *Historiæ* suæ *Judaïcæ* inseruit Salomon filius Virgæ Hispanus, quam ex Hebraïco in Latinum sermonem non ita pridem Georgius Gentius
convertit z. Hujus tamen disputationis verum eventum aliunde sanè quàm ab Hebræo historico peti oportuerit. z Edita fuit Amstel. apud Pet. Niellium MDCLI. in 4.

46. Meminit quidem ex nostris Hieronymus Surita historicorum flos, *Annalium Aragonensium* lib. 12. cap. 46. qui notat convenisse hunc cœtum in Dertusensi Cataloniæ urbe, quam *Romam* solenni curiam Pontificiam, ubi ubi esset, appellandi more, Salomon ille Hebræus vocavit: cumque Hieronymo de Sancta Fide, pro meliori caussa stetisse Garsiam Alvari de Alarcon Hebraïcè, Chaldaïcè, Latineque doctissimum, & Andream Bertrandum olim Judæum ex Valentia urbe, Papæ eleemosynarium, & aliquando Barcinonis præsulem, in iisdem literis Hebraïcis atque Chaldaïcis versatissimum. In Judæorum nomenclatura, qui vocati convenerant, sectæ suæ principum, Salomon & Surita toto cœlo differunt. Hebræus quidem aut verè ignoravit evenrum rei, aut silentio involvere satiùs duxit: nam aliquot sessionibus eorum descriptis, quibus omnibus interfuisse Benedictum disertè ait, deficiente filo epistolæ, abrupit & ipse narrationem; cùm sanè constet ex eodem Surita Benedictum vices suas, ut cœtui præessent, Ministro Generali ordinis Prædicatorum, atque S. Palatii Magistro, delegâsse, atque huic sementi messem admodum uberem felicemque successisse, conversis integris aliquot locorum synagogis, pluribusque aliarum familiis, usque ad trium ferè millium capitum, & inter alios Todrum (*Todroz* vulgari nomine) Benvenist Cæsar-augustanæ præcipuum, caussam Dei simul agente Vincentio illo Ferrerio, Prædicatorum ordinis clarissimo hujus temporis Euangelii præcone, nullius non ore prædicando.

47. Neque contentus noster Hieronymus coràm cum Judæis disputâsse, ejusdem fortè Benedicti jussione, quicquid pro asserendo Messiæ vanè ab eis sperato etiam nunc adventu, tam ex sacris literis quàm ex Talmude ipso Hebræorum observâsset, in commentarium retulit; quem duobus libris distinctum, & *Contra Judæos* inscriptum, è manibus abire permisit.

48. Hunc dimidium Tiguri editum anno MDLII. indeque Hamburgi, monet in prolegomenis suis a ad opus תשובת יהודה, sive *De convincendis & convertendis Judæis*, Joannes Hoornbeckus, nostri ævi heterodoxus, a Pag. 6 editionis Lugduno-batavæ an. MDCLV.
Calvini assecla, in hoc saltem laudandus, quòd & hîc, & in opere alio *De convertendis gentilibus* catholicorum zelum æmulatus fuerit. Integer tamen commentarius prodiit, toto scilicet libro auctior, Francofurti ann. MDCII. Cùm enim in primis duabus illis editionibus secuudus dumtaxat de erroribus Talmudicis sex capitum liber apparuisset; adjunctus fuit in hac ultima primus, duodecim capitibus pro convincenda Judæorum perfidia contentus; quorum lemmata, cum aliis observatione dignis, ex isto opere, *Annalibus* suis *Ecclesiasticis* b Odoricus Raynaldus b Tomo 17 ad an. MCDXIII. num. 8.
intexuit. Exstant hi duo libri *Contra Judæos* in editionibus *Bibliothecæ veterum Patrum*, signateque postremæ Lugdunensis XXVI. volumine.

49. Codex autem MS. qui inter libros fuit Antonii Augustini, historica hac inscriptione conspicuus legebatur c: *Hieronymi à Sancta Fide artis medicinæ magistri, disputatio contra* c In catalogo lib. MSS. Lationr. n. 156.
Judæos Dertosæ habita præsente Papa Benedicto, & ejus curia, convocatisque majoribus Rabbinis totius Hispaniæ, an. salutis MCDXIII. Ms. codice hanc eandem servat controversiam Bibliotheca Altempsiana Romæ, quem vidimus, sed non antiquæ notæ. Adversus quem ex Judæis insurrexerunt pro consueta obstinatione & animositate R. Vida Ben-Levi, scribens קרש קרשים, *sanctum sanctorum*, atque item R. Isaac Natham תוכחת מטעה *Redargutionem seductoris*. quem vulgatum fuisse librum post Hieronymi obitum Hottingerus in *Bibliotheca* monet *orientali* d. d Cap. 1. Classe 4. pag. 22.

50. Ad hanc Hieronymi cum Judæis disputationem pertinet, aut totus liber, aut pars saltim ejus, qui in bibliothecæ Lugduno-batavæ catalogo laudatur, sic ס׳ הכלימה *Liber opprobrii. Epistola Impoorpet cum comm. Joseph f. Schem Tof, epistola Estrick* (videtur hic Astrocus Levita ex urbe Daroca, quem huic congressui interfuisse docuit nos Salomon Virgæ laudatus) *ex Judæo Christiani ad Anschaltiel Bonfos. Epist. Schelomoch Bonfed. Nachmanidis disputatio cum Prisolo Judaïcæ fidei desertore, in palatio Barcinonensi, coram Rege & Magnatibus. Epistola Josiæ Lurki* (is est

noster

noſter Hieronymus) *ad D. Schelomoh Hallevi amplexum religionem Chriſtianam in urbe Avenionenſi literæ D. Schelomoh Levitæ ad D. Meir Alondilam . Expoſitio epiſtolæ Inporpet, cum refutatione dogmatum Chriſtianorum* . Hactenus libri ſeu codicis inſcriptio Lugduno-batava.

51. In Carmelitarum laudatur monumentis BARTHOLOMÆUS PEYRÒ, cui patriam, tam naturæ quàm religionis Perpinianum; ſedem à Gregorio Papa XII. (potiùs a Benedicto , cui adhærebat Catalonia cum Aragonum Rege) ei commiſſam , Elnenſem Eccleſiam , de literis autem meritum *De Sanctis* librum aſſignant; deceſſiſſeque ajunt anno hujus ſeculi ſive decimo quinto ſive viceſimo . Conſtat Elnenſi Eccleſiæ præfuiſſe anno hujus ſeculi ſexto.

52. VINCENTIUS ARIÆ (ARIAS noſtri eſſerunt) DE BALBOA , ſive (quod idem eſt) VAL-BUENA, doctor juris ſuo tempore clarus, archidiaconus in Toletana Eccleſia, domeſticus , & à conſiliis fuit regiminis eximio viro Petro Tenorio , ejuſdem Primatis Eccleſiæ præſuli , in cujus elogio Vincentii noſtri Ferdinandus Perezius Guzmanus ad calcem *hiſtoriæ Joannis II.* Regis cum laude meminit, uti & Alphonſus Didaci a Montalvo in præfatione gloſſæ ad leges Fori regii , ſeu Fori legum Hiſpanarum, doctorem egregium appellans . Petrus quidem Tenorius vir fuit præſtanti doctrina juris,uti ſuo loco diximus, doctorumque hominum conſuetudine , quos ſecum habebat , quibuſque in expediendis rebus utebatur , maximè gaudebat . Plures laudat jam dictus Guzmanus . Nempe Gundiſalvum Epiſcopum Segobienſem *Peregrinæ* auctorem , Vincentium noſtrum , Joannem de Illeſcas Seguntinum, & fratrem ejus Burgenſem , præſules , & Joannem Alphonſum à Matrito juriſconſultum maximum .

53. Placentinus antiſtes hic noſter fuit , non Palentinus , ut falsò legitur apud Montalvi gloſſam dicti *Fori legum*, & quidem ante ann. MCDIV. ad eum honorem evectus , quod ex monumentis hujus Eccleſiæ conſtat . Cùm verò de ſucceſſione in Aragoniæ regnum à Martini obitu Ferdinandus Caſtellæ Infans, Joannis Regis patruus,anno ſæculi XII. jure acturus , conſilium doctorum quorumcumque virorum exquireret ; coacto Hiſpali eorum cœtu , Vincentium Placentinum præſulem , ut ex Annalibus Suritæ lib. 11. cap. 83. perſpicuum eſt , ante alios ſuffragatorem habuit ; quibus cæteri ob eximiam doctrinæ auctoritatem facilè acquieverunt.

54. Memoriam ſui Epiſcopi , cùm aliàs , tum in appellatione cujuſdam decimarum generis, quod *Rediezmos de Vicente Arias* vocant , Placentinos conſervare ait Guzmanus in Tenorii jam priùs laudato elogio. Deceſſit è vivis, ut ibidem legimus , Auguſto menſe anni MCDXIV. ſepulturæque locum in ejuſdem Archiepiſcopi ſacello , quod intra pomœrium maximi templi eſt , marmorea ejus effigie ornatum. Scripſit primus

55. *Ad Forum legum* (quod Alphonſum XI. aliàs X. Sapientem auctorem habet , diuque præcipuum Caſtellæ ac Legionis regnorum jus continuit) gloſſam vernaculo ſermone, quæ lucem nunquam vidit . Nec tantùm id compertum habemus ex Alphonſo Montalvo , qui in *Gloſſæ* ſuæ proœmio ita ait : *Conſiderans quòd vir vitâ nobilis , ſermone ſcientiâque præclarus , Vincentius Ariæ , doctor egregius , Epiſcopus Placentinus* (ita legendum eſt) *ſuper hoc libro* , *qui* Forus legum *eſt* , *aliter* Forus Caſtellanus , *vulgariter appellatur* , *aliquod jam opus ſub brevi compendio deſudavit . Sed quia aliqua omiſit , quæ requiruntur explicanda*, &c. Immo *Gloſſa* ipſa manu exarata rei teſtis eſt , quam in Toletanæ Eccleſiæ bibliotheca adſervari , Joannes Narbona in libello ſuo *De appellatione à vicario ad Epiſcopum* parte 2. fundam. 5. num. 19. ſcriptum reliquit . Sed & alium *Gloſſæ* hujus codicem ferè ejuſdem cum auctore , quod è ſcriptura colligitur , temporis , contrectabamus , cùm de his commentaremur , nobis oſtenſum ab erudito viro D. Joanne Luca Corteſio, criminalium rerum in curia & domo regia tunc XII. viro , poſtea Indiarum Conſilii regio ſenatore , à quo exſpectamus *De originibus Hiſpani juris* libellum , huic operi adjungendum fortè pro majori eorum , quos frequenter laudamus , ejuſdem Hiſpani juris , tot diverſis compilationibus contenti, gloſſatorum, ſive interpretum cognitione.

CAPUT II.

JACOBUS MAGNI *Auguſtinianus an noſter ſit non ſatis liquet* . ANONYMUS *auctor hiſtoriæ Ferdinandi I. Aragoniæ Regis*. PETRUS ALBERTUS *Barcinonenſis canonicus* . ANTONIUS TAJAL *Mercenariorum Generalis Præfectus*. ANDREAS *Cordubenſis medicus* . ALVARUS DE VILLASCUSA . S. VINCENTII FERRERII *geſtorum ſynopſis : & cujuſnam ſint ejus nomine vulgares ſermones , ac de aliis ejus libris* . BENEDICTUS CRINIGANDUS , *ſeu* CRINIGRANDUS , *ordinis Prædicatorum*, & HIERONYMUS DE OCHON *Carmelitarum* . CLEMENS SANCII DE VERCIAL *archidiaconus de Valderas* . FERDINANDUS DE PAZOS *Mercenariorum ſodalis* .

56. JACOBUM MAGNI Auguſtinianum acenſeri frequenter Hiſpanis ſcriptoribus potiùs novimus quàm probamus . *Sophologium* hic ſcripſit *De ſermone ſeu inquiſitione divinæ ſapientiæ* , Pariſiis editum à Gaſpare Philippo anno MDVI. in 4°. & ſereniſſimi ac Chriſtianiſſimi principis Francorum Regis Confeſſori Epiſcopo Altiſiodorenſi dicatum ab auctore .

57. Item *librum bonorum morum* . *Annotationes in omnes ſacros libros* . *In Ariſtotelem* De anima *quæſtiones* . *Compendium utriuſque philoſophiæ* . aliaque, Pamphilo , Stellartio , Elſio teſtibus, Auguſtinianorum hiſtoricis.

58. Et quidem ut non Hiſpanus , ſed Gallus fuerit Jacobus , facit quòd Altiſiodorenſi Epiſcopo,ut ex nuncupatione *Sophologii* patet , obnoxius , quòd Carolo VII. Gallorum Regi à miniſterio confeſſionum ſacramen-

mentalium, indeque Burdigalensis antistes electus, recusato tamen munere, Gallos inter, vixerit. Tolosanum credunt qui Gallis favent; sed Hispanum, & Toletanum, non Hispani modo[e]; sed & exteri affirmant; nempe Joannes Trithemius[f], Jacobus Philippus Bergomensis[g], Xystus Senensis[h], Antonius Possevinus[i], Lucius Marineus Siculus[k], Conradus Gesnerus[l]; Gallus quoque Gabriel Lurbæus, qui in *Chronico Burdigalensi* confectum à se dedit catalogum ejus urbis Episcoporum, notavitque *Jacobum de Eubio Toletanum cognomento Magnum Carolo VII. Regi à confessionibus auctorem* Sophologii *ordinis Eremitarum S. Augustini, in literis sacris versatissimum, postulatum fuisse ad infulas MCDXV. sed recusâsse*. Quæ verba ex Lurbæo sunt San-marthanorum fratrum in *Galliæ Christianæ* Burdigalensibus Episcopis. Necnon Renatus Chopinus lib. 1. *Monastic.* titulo 3. num. 14. Hispanum & Toletanum facit, *Sophologium* vocans *sapientiæ exquirendæ peraccommodum* opus. Josephus item Pamphilus in *Chronicis Augustiniani ordinis* *Jacobum Magnum de Eubio dictum Toletanum* laudat[m].

e Romanus in *Chron. ord. Aug.* cent. 10. fol. 62. Ægidius Gonzalez Davila *Vida del R. D. Henrique III.* cap. 51.
f *De script. Eccles.*
g In *supplem. Chron.* ad ann. MCDVI.
h In *Bibliotheca* lib. 4.
i In *Apparatu.*
k *De laudibus Hispaniæ* lib. 6.
l Ut in *epitome Bibliothecæ.*
m Sub *Petro de Vena* Generali fol 72.

59. Nihilominus, cùm ex *Sophologii* opere jam laudato nihil pro Hispanis natalibus deducere possimus, cognomenta quoque, sive *Eubii*, sive *Magni* haud nostra videantur, perpetuaque auctoris commoratio, ac munera gesta Gallicana sint; non temerè suspicamur inter Trithemii aut Bergomensis sphalmata haberi posse, quòd Toletanum, pro Tolosano Jacobum crediderint, ac recentiores deceperint: quòd & docto viro arridet ex ejusdem familia, atque ejus chronographo, Thomæ ab Herrera in *Alphabeto Augustiniano*[n], & iterum in *Salmantinæ domus Augustinianorum historia*[o].

n Tomo 1. pag. 420.
o Cap. 21. pag. 390.

60. Sive Parisiensis fuerit, quod significatur antiquissima, & forsan prima *Sophologii* editione, quam habet Matriti amicus noster D. Joannes Lucas Cortesius cum hac in fine notula: *Sophilegium editum à fratre Jacobo Magni de Parisius, ordinis Eremitarum S. Augustini, finit feliciter*, sine loco editionis.

61. ANONYMUS quidem huc loci pertinet, qui Ferdinandi I. Aragoniæ Regis res in commentaria retulit, quem in schedis habere se, in *Salmantinæ Ecclesiæ theatro* Ægidius Gonzalez Davila reliquit scriptum. Hic etenim Ferdinandus, ut in præloquio hujus libri annotavimus, anno hujus sæculi decimo sexto in vivis esse desiit. Nec si quis dicat historiam hanc esse illam, quæ auctorem habuit Laurentium Vallam, è Latino in sermonem Hispanum ab aliquo translatam, valdè resistam, aut si Ludovicus Pansanus sit, de quo nos infrà, ex eodem Ægidio. Exstabat ea olim in bibliotheca Olivariensi D. Gasparis de Guzman Comitis Ducis de San-Lucar.

62. PETRUS ALBERTUS Catalanus, Barcinonensis canonicus, ejusdem Ferdinandi Regis tempore scripsit de municipali Cataloniæ Jure aliqua. *Commemorationes* appellavit Joannes de Socarrats, qui ad eas commentaria elucubravit, ut in hoc dicemus.

63. ANTONIUS TAJAL Catalanus, Tarraconensis, Mercenariorum sodalium Deiparæ Virginis Generalis Præfectus, anno sæculi XVII. Constantiæ obiit in Germania, dum Concilium ibi œcumenicum pro danda Ecclesiæ pace, faciendaque summi Pontificis electione celebraretur. Electus hic anno MCDVI. è Barcinonensis domus in totius ordinis Præfectum; quibus aptum sese gerendis muneribus Salmanticæ professor philosophus atque theologus olim ostenderat, Martini Regis nomine Catharinam Henrici Castellæ Regis III. anno septimo defuncti viduam eo destinatus Christiana allocutione solatus est.

64. Post aliquot annos, cùm inter Sigismundum Imperatorem Ferdinandumque Aragoniæ Regem convenisset, ut communibus officiis Benedictum ad renunciationem summi Pontificatus adigerent, atque ipse Sigismundus Perpinianum usque rei caussâ accessisset; Antonius dicitur cum Benedicto sæpiùs, quantumvis frustrà, Ferdinandi jussu convenisse. Delegatus tandem ab eodem Rege unà cum Joanne Raymundo Folchio Cardonæ Comite, Philippo Malla concionatorum illius ævi maximo, Gundisalvo Garsia de Sancta Maria, Paulli Burgensis præsulis filio, & aliis, venit Constantiam, ibique rem Ecclesiæ ac principis, cujus gerebat vices, strenuè procuravit. Quin tamen eam ad exitum perductam videre posset ante absolutum Concilium electione Martini V. anno decimo septimo vitâ functus fuit, sepultusque in Petro Martyri sacra Dominicanorum domo ejusdem urbis, cujus corpus ad nostram usque ætatem incorruptum, non sine Constantiensium civium veneratione, asservari, domestici ajunt scriptores. Legationis quidem ad Concilium ab eo obitæ, atque mortis ejus prætereà meminit Hieronymus Surita lib. 12. *Annal. Aragon.* cap. 63. & 66.

65. Quatuor autem integris voluminibus comprehensum ab eo fertur quicquid *circa unitatem Ecclesiæ, capitisque ejus ac sponsi Jesu Christi præstantiam, obsequioque vicario ejus deferendo*, in literas retulit. Necnon & scripsisse dicitur *Rosam ad auroram*, seu de Mariæ Deiparæ conceptione intemerata; itemque *De institutione novitiorum*. Multi sunt Mercenariorum historici in laudandis ejusdem Tajalis (quem Surita *Caxal* vocavit, nisi non ejus error sit) virtutum Christianarum, ingenii, prudentiæ, atque omnimodæ literaturæ dotibus.

66. Hoc eodem anno MCDXVII. ad superos abiit Gregorius XII. Papa, qui ante biennium solenni Pontificatus Romani factâ in manibus Constantiensium PP. per procuratorem suum renunciatione, viam Martini V. electioni, finique teterrimi schismatis straverat. Hujus forsan medicus fuit ANDREAS CORDUBENSIS, cujus *consilium* quoddam ad summum Pontificem Gregorium, qui renum dolore vexabatur, laudatum reperies in libello *De imaginibus astrologicis* Hieronymi Torrellæ medici Valentini, de quo ad finem hujus sæculi agemus.

67. Sequenti MCDXVIII. ALVARUS DE VIL-

VILLASCUSA, *baccalaureus* vocatus, dum Salmanticæ operam literis daret, Rabbi Samuëlis *De fide* ad R. Isaacum epistolam, quam ex Hebraïco in Latinum Alphonsus Bon-hominis converterat, in Hispanum ipse, ut Joanni à Villa-forti ejusdem urbis equiti morem gereret, vertisse dicitur. Rei auctor est Hieronymus Romanus de la Higuera in *Toletanæ urbis & regni historia ms.*

68. Ejusdem anni, aut sequentis, quinta dies Aprilis Christiano eripuit orbi VINCENTIUM FERRERIUM Valentinum, ex urbe regni hujus regia, Dominicanorum ordinis magnum incrementum, qui ob sanctissimè actam, & portentosis miraculis clarissimam vitam, reductamque in concionibus per Hispaniam, Galliam, Belgium, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Italiamque, Apostolico ritu habitis innumeram hominum, quà Hebræorum & Sarracenorum ad Christi gregem, quà Christianorum à bona mente deerrantium, ad viam salutis multitudinem, coronatumque peregrinationis agonem felicissimæ in Deo mortis palmâ, confirmatam demum innumeris mirabilium signorum attestationibus beatissimæ ejus animæ ad superos translationem, Callistus papa III. in Sanctorum numerum, quos invocare ritè possimus, hujus seculi quinto anno super quinquagesimum retulit; literas tamen Pontificias ejus apotheoseos testes Pius II. anno MCDLVIII. publicavit.

69. Natus Vincentius ex quorundam opinione anno circiter MCCCXL. ex aliorum non ante annum MCCCLVIII. ex nostra post annum saltem MCCCLII. ut ex epistola ejus ad Benedictum Papam liquidò constat; & ad Prædicatorum ordinem decimo octavo ætatis admissus: opere vir potens atque sermone, prophetici spiritus, mortuorum suscitator, nulliusque virtutis non dives affatim, novusque sui temporis Apostolus, in Britanniç Armoricç Venetica urbe, vulgò *Vannes*, diem suum obiit.

70. Hic, cùm ob Martini Aragoniç Regis mortem absque ulla prole, in novem electores futuri Regis conventum fuisset, pro Valentino regno S. Vincentius noster, & cum eo Bonifacius ejus germanus frater, Carthusianorum Prior Generalis, tertiusque alius delecti Ferdinando Castellæ Infanti potiore aliis jure regnum competere declaraverunt. Præterea Benedictum Papam XIII. dum caussam suam modestè agens tueretur, olim sequutus, præfractè atque obstinatè impedientem Ecclesiæ concordiam, surdaque renunciationi obnitentem aure, palàm inde aversatus fuit, & ad Constantiæ magnç Synodi judicium se totum convertit. Ingentia hæc duo rerum ab eo gestarum capita ea propter attigimus, quòd relinquere aliis earum enarratoribus singula quæque referenda magis opportunum nobis videtur.

71. ¶ Plures enim Vincentius historicos fortitus est, qui consuli possunt. Petrus scilicet Ranzanus Siculus Lucerinus Episcopus, quem Surius olim, recenter autem Antuerpienses *De actis Sanctorum* scriptores dedere, Salvus Casseta Panhormitanus Dominicanorum Generalis Præfectus, Franciscus Castellionensis S. Laurentii Florentiæ urbis canonicus, S. Antoninus ejusdem Archiepiscopus, ferè æquales, Jo. Antonius Flaminius Forocorneliensis, aliique: ex Hispanis Joannes Marieta [p], Vincentius Justinianus Antistius, Franciscus Diago, Joannes Lopez Monopolitanus antistes, & alii: quos omnes, tam apud eosdem *De actis Sanctorum* doctissimos commentatores, quàm apud Joannem Tamajum nostri *Martyrologii Hispani* Aprilis quinta die laudatos novimus. Præferunt ejus nomen, quibus maximè promovetur pietas, ascetica hæc:

[p] Lib. 21. *De SS. Hispaniæ.*

72. *Sermones*, tribus tomis comprehensi, quorum duo sunt *De tempore*, scilicet partes hyemalis, & æstiva, tertius *De sanctis*. Prodierunt Lugduni ann. MDXXX. in 8°. & MDXXXIX. & ex officina Jacobi Juntæ MDL. in 4°. Antuerpiç ex Philippi Nutii MDLXIX. Venetiisque ex recognitione Damiani Diazii Dominicani, typis Bartholomęi Rubini MDLXXIII. in 8°. Moguntięque MDCXXI. Tandem Coloniç MDCLXXV. tribus tomis in 8°. apud Joannem Guilielmum Friessem. Suspicari utique possemus horum Sermonum in unum collectione promisso se exsolvisse Vincentium Infanti Martino, deinde Regi, olim facto, de compingendo ac nuncupando ei concionum à se habitarum volumine, nisi vulgaris esset persuasio, doctrinam quidem sanctissimi concionatoris continere hos Sermones, minimè autem concepta verba discipulorum enim ejus, qui exceptorum loco essent, ea certò haberi debere; cùm & Vincentium ipsum in iisdem Sermonibus non semel laudatum offendas. Cùm enim is ubique, sive Anglis, sive Gallis, sive Italis sermonem haberet, Valentinâ, hoc est vernaculâ suę gentis linguâ, quam omnes tamen certissimo miraculo caperent, uteretur; quod ex Petro Ranzano Vitę auctore constat [q], haud potuere iidem Sermones vernaculè concipi, & pronunciari, Latinoque apparere eàdem occupatissimi hominis operâ, & qui extemporalia atque inspirata potiùs quàm meditata plerumque ad populum diceret.

[q] Lib. 2. cap. 1. § 14.

73. Quare credendum est de his sermonibus eundem Ranzanum loqui, dum, *Ne autem perirent ea* (inquit) *quæ de tanti viri ore emanabant, movit Deus animos nonnullorum ex auditoribus ejus, ut quæ ipse prædicabat, utcumque possent conscriberent. Itaque composuerunt ex eis complura volumina, quorum aliqua sunt multis in locis divulgata, ex quibus nostri temporis concionatores multum utilitatis accipiunt. Sunt tamen multi* (adjungit idem) *qui & eum prædicantem audierunt, & nunc legunt* Sermones, *quos ipse suo tempore prædicabat, in scripta redactos, asseruntque quòd vix consequuntur umbram eorum, quæ ipse suo ore resonabat.*

74. Coloniç scimus prodiisse tomum quendam *Sermonem* hoc titulo insignem: *S. Vincentii Ferrerii tuba extremum resonans judicii diem, sive conciones de Rosario.* apud Jo. Guil. Friessem MDCLXXV. in 4°. Perusii quo-

quoque servari codicem sermonum nondum editorum ejusdem sancti propriâ ejus manu exaratum, iccircoque magna veneratione, in sacristia Dominicanorum domus cum aliis reliquiis habitum, quem ibi reliquit Leonardus Mansuetus ejusdem ordinis Magister Generalis Perusinus, refert Seraphinus Razzius *De viris illustribus Dominicanis* [r].

r Pag. 243. editionis Lucensis MDXCVI.

75. Ejus magis certè sunt quę sequuntur opuscula, quæ quidem Vincentius Justinianus Antistius Hispanus Vitę S. Vincentii scriptor collegit, scholiisque explicata Valentiæ apud Petrum Patricium Mey ann. MDXCI. publicavit. Hæc sunt:

I. *Tractatus De vita spirituali*. Quem cum SS. Augustini & Bernardi *Meditationibus* alicubi, solum Venetiis anno MD. prodiisse audimus. At Franciscus Ximenius Cardinalis Toletanus in linguam Hispanam conversum typis edi curavit. quod Valentiæ factum dicitur. Tria is capita continet. 1. *De paupertate*. 2. *De taciturnitate*. 3. *De obedientia*. Incipit: *Ponam in hoc tractatu*.

76. II. *Tractatus consolationis in fidei tentationibus*. Servabatur antiquis characteribus, partim in membrana, partim in charta, apud Carthusianos Scalæ-Dei Tarraconensis diœcesis, descriptus, ut ex titulo apparet, ante solemnem sanctitatis ejusdem declarationem. *Magistri* etenim *Vincentii Ferrerii* esse dicitur.

77. III. *Epistola ad Benedictum Papam*, ex oppido *Alcañiz* regni Aragoniæ XXVII. Julii MCDVII. directa, quâ reddit ei rationem, uti supremo Christi vicario, prædicationis suæ de Anti-christi adventu. Inventa est in domo Carthusianorum Vallis-Christi Segobricensis diœcesis, manu Andreę Martini S. Vincentii discipuli, qui suscepto ibi Ordinis cucullo hanc in eo monasterio reliquit. In Hispanum sermonem convertit, atque in sua Hispaniæ *Historia Ecclesiastica* [s] Joannes Marieta edidit.

s Lib. 11. cap. 25.

78. IV. *Epistola* alia *ad Joannem de Podio-nucis Ordinis sui Generalem Præfectum* data Genevæ XVII. Decembris MCDIII. Hispanam fecit atque edidit idem Joannes Marieta [t]. Comparuit ea quidem propria auctoris manu exarata in urbis Cataniæ cœnobio S. Mariæ majoris, ubi eam posuit idem Joannes de Podio-nucis, cùm ex Przfecto Generali creatus fuisset à Martino V. Papa Catanensis antistes. Ex qua quidem epistola constat de conversione hæreticorum quamplurium in Sabaudiæ & Italiæ confiniis.

t Lib. 11. cap. 24.

79. V. Fragmentum *Epistolæ ad Bonifacium fratrem Carthusianorum Generalem Priorem*. Autographum sanè, at præ vetustate lacerum jam & exesum, habetur in Portę-cœli Carthusiano monasterio.

80. VI. Fragmentum *Epistolæ ad Joannem Gersonem cancellarium Parisiensem*. Habetur in hujus operum I. parte tract. 22. lit. E.

81. VII. *Epistolæ duæ ad Infantem Martinum*, Petri IV. Aragoniæ Regis filium, deinde Regem, idiomate Lemovicensi, hoc est patrio Valentini regni, qui tunc in usu. Sed Latinè reddidit, ut cum superioribus simul ederet, Vincentius idem Justinianus Antistius.

82. VIII. *Epistola ad Ferdinandum Castellæ Infantem*, primumque hujus nominis Aragoniæ Regem, quam ad eundem Justinianum remisit Ferdinandus de Castello, magnus ille Dominicanorum chronographus. Preter hęc in eodem volumine edita ab eo S. Vincentii opuscula & epistolas, Hispanam & hanc publicavit Marieta [u]. Scripsit opus aliud

u Dict. lib. 11 cap. 21.

83. IX. *De fine mundi*. In quo agitur, primò de casu sive ruina Ecclesiasticæ dignitatis, preterea de impugnatione S. Catholicę fidei, denique de duplici adventu Anti-christi, videlicet puro & misto. Editum sanè opus Neapoli, quod & exstabat in bibliotheca Sancti Severini. idem quod Antonius Senensis refert.

Fecerat olim dum docendæ philosophię operam daret,

84. X. *Suppositionum* librum.

Servatur item in cœnobio ordinis Pisarum urbis volumen grande ejus effigie signatum, quod ita possumus indigitare:

85. XI. *Biblia, seu Promptuarium*, scilicet *locorum sacræ Scripturæ singulis diebus, sive de tempore, sive de Sanctis usurpandorum*. Cujus initio affixa hęc legitur nota: *Hanc Bibliam inspirante Domino mihi Fr. Antonio de Astria mihi reliquit beatissimus pater Fr. Vincentius*.

86. XII. *Liber de sacrificio Missæ, atque ejus cæremoniis*. lingua Lemovicensi seu vernacula, teste Marieta.

87. In codice Vaticane bibliothecę MS. num. 1043. fol. 246. sic legimus: *Incipit tractatus novus & valdè compendiosus contra perfidiam Judæorum. Fuit editus & compilatus jussu Benedicti Papæ sic in sua obedientia dicti, per quatuor famosos magistros in sacra theologia, quorum unus fuit Fr. Vincentius Ferrerius*. Incipit: *Prophetam suscitabo eis*, &c. In fine notatur: *Scripsit manu propria Fr. Ferdinandus Hispalensis Minor anno Domini MCDXL*.

88. *Sermones* item *S. Vincentii Ferrerii, distinctiones, & expositio præceptorum decalogi* Lugduni MDXXIII. in 4°. edita exstant in Ecclesia Hispalensi.

89. Sepulchrum Apostolici viri magna religione in sua Venetensi urbe Britannia colit Gallica. In cujus principe Ecclesia olim sanctum corpus humo conditum, anno MCDLVI. scilicet post Callisti declarationem altero, in superiorem locum elevatum aliquando diu latuit, usque ad annum MDCXXXVII. quo honorificentiori quàm hactenus fuerat, conditæ sunt reliquiæ ejus, quæ reperiri & coagmentari potuere, capsâ argenteâ, & marmoreo tumulo in sacello à tergo majoris cappellę ędificato, uti lectiones hujus translationis referunt, quæ Septembris VI. die celebratur. Rei testes etiam sunt Venetensis Episcopus illius temporis in epistola quam cum his lectionibus in *Actis Sanctorum* Henschenii & sociorum editam reperies [x], atque insuper Petrus Lezin in *Vita venerabilis patris Fr. Philippi Thibaut Carmelitæ* [y] Gallicè edita.

x I. Tomo April. pag 526.
y Edit. Parisien. anno MDCLXXIII. in 12. cap. 26.

90. Celebratur à Dominicanis per hoc idem tempus familię hujus ſodalis ex Aragonię regno BENEDICTUS CRINIGANDUS, ſeu CRINIGRANDUS, ſacrę theologiæ magiſter Pariſienſis, quem ajunt in *quatuor Sententiarum libros* ſcripſiſſe, Joannes Marieta lib. 14. *Hiſtor. Eccleſiaſticæ*, ſive *De Sanctis Hiſpanię*, Alphonſus Fernandez *De ſcriptor. Ord. Prædicatorum*, Antonius Poſſevinus in *Apparatu*.

91. Ejuſdem Benedicti XIII. Papę miniſter fuiſſe dicitur à confeſſionibus ſacramentalibus, atque Helenenſis Eccleſiæ prẹſul, anno MCDXX. HIERONYMUS DE OCON (ita enim Catalani efferunt, pro eo quod communiter audit OCHON, ſive OCHUS) Carmelitarum cœnobii Perpinianenſis, ex qua urbe fortaſſe fuit, ſodalis, ſacręque theologię doctor, moribus & ſcientiâ ſpectabilis, qui *in libros Machabæorum* eruditè ſcripſit.

92. Eidem *Acta* ejuſdem *Papæ Benedicti XIII.* attributa novimus ab Emmanuele Romano in *Elucidationibus Carmeli*, & à Ludovico Jacobo à S. Carolo *Bibliothecæ Pontificiæ* [z] auctore. Et tamen *Acta* hęc, ſive *De vita & moribus Benedicti XIII.* alterius Hieronymi Ochi eſſe, Navarri Pampilonenſis, ejuſdem ordinis Carmelitarum, Benedicto admodum chari, & in pretio habiti, ob inſignem doctrinam & in rebus gerendis prudentiam dexteritatemque, Martinum Carrillum affirmâſſe in ſuo *De vita S. Valerii Cæſar-auguſtani Epiſcopi* libello cap. 13. alicubi fingitur, cùm in dicto Carrilli loco nulla alia quàm Hieronymi Oconis Carmelitę, Benedicti à confeſſionibus, *Actorum* ejus auctoris, mentio fiat. Deeſt hic Helenenſis Epiſcopus in San-marthanorum *Galliæ Chriſtianæ catalogo*, aliàs parùm correcto.

z Pag. 118. edit. Lugduni MDCXLIII.

93. CLEMENS SANCII DE VERCIAL juris legum, uti audit, baccalaureus, archidiaconus de *Valderas* in Legionenſi Eccleſia, ſcripſit *Sacramentale* opus (vulgari an Latinâ linguâ non facilè dixerim) quod ſe inchoâſſe in urbe Segontina tertia die Auguſti anni MCDXXI. & in Legionenſi exeunte Martio anni MCDXXIII. abſolviſſe, auctor ipſe ait. In Eſcorialenſi bibliotheca regia antiquo charactere ſcriptum aſſervari *el Sacramental de Clemente Sanchez arcediano de Valderas*, fama eſt. Id opus in Luſitanum ſermonem, ut loco Catechiſmi eſſet fidelibus ſuę diœceſis, Henricus Portugalliæ Infans, & Archiepiſcopus tunc Bracarenſis, atque aliquando ejuſdem regni Rex, verti, ac typis Bracaræ anno MDXXXIX. edi curavit, uti referunt Rodericus da Cunha in *Hiſt. Eccleſiæ Bracarenſis*, & Antonius Macedo in *Luſitania purpurata* [a].

a Pag. 162.

94. Habet inſuper eadem regia bibliotheca Eſcorialenſis ejuſdem auctoris alium librum: *Suma de exemplos del Arcediano de Valderas*, in folio antiquis literis ſcriptum.

95. FERDINANDUS DE PAZOS Luſitanus ex inſtituto Mercenariorum B. Virginis ſub Antonio Taxal Præfecto Generali, quem diximus anno MCDXVII. Conſtantiæ Alemannorum deceſſiſſe, duabus redemptionibus Caſtellæ & Portugalliæ provinciarum ducenta quadraginta quatuor ſervorum Chriſtianorum capita è Maurorum poteſtate, juxta morem ordinis ſui, propriorum redituum deſignata portione, piorumque eleemoſynis, liberavit.

96. Eidem tribuitur liber *De primatu Romanæ Eccleſiæ*, quem ſcripſiſſe ajunt domeſtici; ac tunc maximè floruiſſe circa annum MCDXXIV. Sed quod adjungunt, ſub Eugenio IV. Papa, non bene convenit cum hujus tempore, quippe non ante annum MCDXXXI. creatus fuit in Chriſti vicarium. Niſi emendandum ſit, MCDXXXIV. Rei auctores habeo Alphonſum de Roxas in *Catalogo virorum illuſtrium ordinis* ſui *Mercenariorum*, ac Petrum de S. Cæcilio in tractatu, quem MS. vidimus, *De ſcriptoribus ejuſdem ordinis*.

CAPUT III.

PETRUS DE LUNA, *ſeu* BENEDICTUS XIII. *Antipapa. Ejus libri inediti in Vaticana bibliotheca, & alibi. Vitæ ejus ſcriptor* LUDOVICUS PANSANUS. D. PETRUS GARZES DE CARIÑENA *ſcriptor ſub Benedicto XIII.* De familia de Luna. BERENGARIUS DE MONTRAVA *juriſconſultus Catalanus*. GUTERIUS DIDACI DE GAMEZ. ALPHONSUS CHIRINO, *ſeu* DE GUADALAXARA, *Joannis II. Caſtellæ Regis medicus*. SANCIUS PORTA *Dominicanus, S. Palatii Apoſtolici Magiſter*. BONIFACIUS FERRERIUS *Carthuſianus*. SANCIUS DE BESARAN *Dominicanus*. RAYMUNDUS SABUNDE *quinam homo fuerit ignoratur: confuſus cum Raymundo Martini* Pugionis *auctore, de quo jam ſuprà*. Theologia *ejus* naturalis, *& quale ejus argumentum. Michaël de Montagne Gallus, hujus libri vindex*. De natura hominis *ejuſdem Sabundii opus, & alia*. EMMANUELIS RODRIGUEZ DE SEVILLA Hiſtoria Hiſpanarum rerum. LUPUS DE OLMEDO *Hieronymianus cujuſdam* Reformationis *auctor. Res ejus geſtæ, opinio ſanctitatis, & libri*. SIMONIS PONCII *veteris Hieronymiani inſtituti adverſus Lupum defenſor*. HENRICUS DE ARAGONIA, *Marchio de Villena. A magiæ impoſtura, quâ inuritur, liberatur. Ejus ſcripta, laudeſque*.

97. PETRUS quoque DE LUNA, idemque BENEDICTUS XIII. Papa Romanus, aliquod meritum erga literas habet, quo ſcriptoribus annumeretur. Ex familia is Lunarum Aragoniæ regni nobiliſſima Joanne Martini à Luna & Mariâ Pereziâ à Gotor [b] parentibus ortus, & ex archidiacono Cæſar-auguſtanæ Eccleſiæ, profeſſoreque magnæ famæ juris canonum Monſpelienſi S. R. E. Cardinalis diaconus S. Mariæ in Coſmedin à Gregorio XI. creatus, aliquandoque poſt Clementis VII. obitum anno MCCCXCIV. renunciatus Avenione ſummus Eccleſię Pontifex adverſus Bonifacii IX. partes, qui ante aliquot annos Romæ fuerat electus, dignitatem integris triginta annis, quâ jure ut

b De utraque familia latè agit D. Joſephus Pellitzerius *Informe de la Caſa de Sarmiento* fol. 80.

multis

multis videbatur obſtinato ad preces omnium ferè principum, atque ipſius Eccleſiæ in Concilio Conſtantienſi congregatæ, animo retinuit, Peninſulæ tandem Valentini regni, tanquam in ſcopuli deportatione, mortuus nonagenarius anno hujus ſęculi quarto ſuprà viceſimum, ſi Alphonſo Ciaconio credimus, aliàs anno viceſimo tertio, ſi Suritæ, & Marianæ, & aliis rerum Hiſpanarum ſcriptoribus. Brevis fuit ſtaturæ graciliſque, ſeveri ac rigidi ingenii, vitæ integræ, ac omnis labis alienæ, juris utriuſque doctor peritiſſimus. Omnia hęc oſtendit jam octavum ſupra ſeptuageſimum annum agens, in conventu Perpinianenſi coram Sigiſmundo Imperatore Rege Aragonię Ferdinando, & legatis omniũ ferè Chriſtianorum principum, habita pro ſe & juribus ſuis oratione ſeptem horarum, atque ea quidem contentione & præſentia virium & animi, ut fatigatis & laſſatis auditoribus, ipſe magis atque magis ſervere & invaleſcere videretur. Quædam reliquiſſe ſui monumenta is dicitur, nempe

98. I. *De poteſtate ſummi Pontificis & Concilii* librum, quem exſtare ajunt in bibliotheca Vaticana MS. Nos tamen hunc non vidimus, quantumvis ſedulò illius catalogos legerimus: ſed loco iſtius codice 5608. MS fol. 238. *Tractatum ſubtilem Petri de Luna ſuper facto ſchiſmatis, docendo de ipſius vera & canonica electione & reprobando geſta in Concilio Piſano*. Incipit: *Quia nonnulli*, &c. & fol. 273. *Replicanionem contra libellum factum contra tractatum præcedentem*: Quia nonnulli, &c. Incipit: *Inter diſtractionum moleſtias mihi aſſiduè occupato, nuper libellus quidam meas devenit ad manus*, &c. Quæ quidem ea ſunt fortaſſe *De poteſtate ſummi Pontificis & Concilii* ei attributa. Exſtat item in Capranicenſi ejuſdem urbis, teſte mihi Ciaconio.

99. II. *Vitæ humanæ adverſus omnes caſus conſolationes*. Hiſpanicè. Si autem ſcripſit eum Hiſpanicè, is certè liber Latinus exſtat in Vaticana codice 4853. Qui quidem ſine alio titulo incipit: *Quoniam ſecundum Apoſtolum quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, &c. *Et poſt aliqua, ideo conſideratis mundi hujus tribulationibus ac multiplicibus turbationum cauſſis ſeu occaſionibus, cogitavi de infinitis conſolationibus contentis implicitè vel explicitè in ſcripturis, quaſdam redigere in qualicumque opere inſcriptis ad honorem Dei conſolatoris optimi & eximii, ac glorioſæ Virginis Mariæ, quam ipſe ſic fœcundavit Paraclitus, quòd Deum totius conſolationis nobis genuit*, &c. Proſequitur ſe exemplum Boëthii ante oculos habuiſſe, qui ex eo quòd Theoderici tyrannidi non faveret in exſilium miſſus, librum De conſolatione philoſophiæ ſcripſit: *Sic & ego* (ait) *ab impugnantibus juſtitiam pariter & obedientiam Romanæ Eccleſiæ à propriæ manſionis loco evectus, quandam exſilii ſpeciem retinens, præfatum opus aggreſſus, ipſum, ut legentibus placeret, De conſolatione theologiæ appellandum judicavi*. In quibus ſatis ſe auctorem prodit Benedictus. In fine hæc nota legitur: *Explicit liber De conſolatione theologiæ, aliàs, vitæ humanæ, quem compilavit ſanctiſſimus pater D. Petrus de Luna, quondam Papa, aut propter ipſum compilatus eſt*. Potuit ergo liber ab eo ſcriptus vernaculâ forſan linguâ, transferri vel ab eo vel ab alio in Latinam.

100. III. *Tractatum de horis dicendis per clericos*. Incipit: *Quod nuper de horis canonicis dicendis in quadam lectione diſſerui*, &c. Ms. nos vidimus cum hac nota: *Quem compoſuit reverendiſſimus pater & dominus Petrus de Luna, divinâ providentiâ Cardinalis Aragonenſis, qui poſt ejus exigentibus meritis unus de ſucceſſoribus Petri eſt electus*. In catalogo librorum, quos ad uſum ferebat ſecum idem Benedictus, quem in Barberina bibliotheca vidimus, ita legitur: *Item tractatus domini noſtri Benedicti Papæ XIII. tunc Cardinalis de Luna, ſuper dicendis horis, in papiro, coopertus pergameno, cum corrigio albo*. In eodem catalogo habetur hęc altera nota:

101. IV. *Libellus, ubi eſt repetitio facta per dominum noſtrum in cap.* Sicut ſtellas. *& aliquot arengæ ſcriptæ in papiro de manu propria, coopertum de pergamino, cum corrigio albo.* Repetitio, ut credimus, fuit ab eo facta Monſpelii, ubi profeſſor fuit, ſuper cap. *Sicut ſtellas* 8. 38. diſtinct. in Decreto Gratiani, quam de utilitate ex ſacrorum librorum ſtudio certè percipienda eum formâſſe veriſimile nobis eſt: hoc eſt enim ejus capitis argumentum, quod Zephirinum Papam habet auctorem. Habeo penes me teſtimonium à Petro Hilocha Dominicano, lectore theologo in cœnobio oppidi de Gotor Aragoniæ regni, quod Jacobus Martinez de Luna circa annum MDXV. ædificavit Pro-rex Catalonię datum v. die Sept. MDCXLIII. quo affirmat in prędicto cœnobio eſſe tria volumina Papæ Lunæ (ſic vulgò audiit) Primum *De hiſtoria Trojana* 217. carthæ foliorum abſque principio & fine. Alterum ſimiliter acephalum, multiplicis doctrinę moralis, œconomicæ, & politicæ, quâ inſtruuntur omnes cujuſcumque ſtatus homines ad explendum munus quiſque ſuum. Tertius liber continet ethnicorum tempora geſta ſecundum Ægypti Regum temporum, uſque ad Octaviani Imperium. Quartum inde extractum (quónam ignoratur.) Quos omnes ejuſdem Petri Lunę eſſe, juxta vulgarem famam aſſerit Hilocha laudatus.

102. *Regulæ* item D. Benedicti Papę XIII. *in cancellaria datæ* de ejus mandato per dominum Joannem Cardinalem S. Anaſtaſiæ, Vivarienſem vulgò nuncupatum, S. R. E. Vice-cancellarium. Exſtant in codice MS. 3983. Vaticanę bibliothecæ.

103. Benedicti mortem procuratam fuiſſe, haud naturalem, ut affirmemus, ſcriptor alius huc advocandus eſt, ſcilicet LUDOVICUS PANSANUS (vulgò PANZAN) *De rebus Benedicti, aut ſui temporis, commentator*. Verbis enim Joannis Marianæ lib. 20. *Hiſtoriæ Hiſpanæ* cap. 14. *Ludovicus Panſanus civis Hiſpalenſis, atque è familia Alphonſi Carrilli Cardinalis S. Euſtachii* (creatus hic fuit à Benedicto XIII. Luna anno MCDVIII.) *pro certo affirmat in proprio commentario Benedictum veneno fuiſſe peremptum, infectis nebulis dulciariis, quibus*

in ſecundis menſis libenter veſcebatur à Thoma monacho, quo is multo & familiariter utebatur; de confeſſo atque convicto ſumptum ſupplicium corpore in quatuor concerpto partes ; conſilii auctorem Cardinalem Piſanum, &c. Niſi hęc ejus verba ſint ex hiſtoria, quam ſcripſiſſe dicitur *De rebus Ferdinandi I. Aragoniæ Regis*; cujus rei teſtis eſt Ægidius Gundiſalvi de Avila in *Hiſtoriæ Regis Henrici III. Caſtellæ* cap.48. quam etiam laudat cap. 13. De quo auctore non aliud ſcimus, niſi quod Pançana familia non ignota eſt, in Aragoniæ regno.

104. D. PETRUS GARZES DE CARIÑENA Aragoniæ civis, ſcripſiſſe ſub Benedicto Papa dicitur, ſed privato adhuc, opus *De familia ejus de Luna*, ſive Latinè ſive Hiſpanè: quod vidit tam Latinę quàm vulgaris linguę laudatis inde teſtimoniis D. Joſephus Pellizerius *en el informe de los Sarmientos* fol. 73. & ſeqq.

105. BERENGARIUS DE MONTRAVA canonicus & ſacriſta Urgellenſis in Catalonia Eccleſię, ſcripſit anno MCDXXVI. *Lumen conſtitutionum, & aliorum jurium Cataloniæ ordine literarum*. quod opus MS. fuit inter libros clariſſimi Tarraconenſis pręſulis Antonii Auguſtini, ut ex eorum catalogo conſtat.

106. GUTERRIUS DIDACI DE GAMEZ ſcripſit anno MCDXXV. *El victorial, ò hiſtoria de D. Pedro Niño Conde de Buelna, compueſta por Gutierre de Gamez ſu eſcudero*. Hanc ipſe Comes cuſtodiri juſſit moriens manu auctoris deſcriptam in ſacriſtia (ut vocant proprio verbo) Eccleſiæ S. Jacobi de Cigales, in qua ſepulturam ſibi delegit. Exemplum quoddam ejus ſervatur in bibliotheca quæ fuit Comitis de Villa-umbroſa & nunc conſervatur magna ex parte ab excellentiſſima Comitiſſa ejus vidua. Aliud habere penes ſe ait D. Joſephus Pellizerius *en el informe de los Sarmientos* folio 63. GUTIERRE DIAZ DE GUEMEZ ab aliis audit. Laudavimus jam nos in altera Bibliothecę parte, cùm adhuc quanam is ętate vixerit, ignoraremus.

107. ALPHONSUS CHIRINO, aliàs DE GUADALAXARA, Conchenſis, medicus Joannis II. Caſtellæ Regis à cubiculo, regiuſque protomedicus (vocabulo illius ævi *Alcalde*) ac medicorum & chirurgorum ex munere examinator. Scriptum reliquit artis ſuę opus: *Menor daño de medicina*. hoc.eſt, quòd in medica arte minus noceat, ſive regulas, & compendium ejus, ad filios. Prodiit an. MDV. ſive, ut alibi lego, Hiſpali ex officina Jacobi Cromberger anno MDXLVII. in folio. Simul editum fuit auctoris *Teſtamentum* Medinę-Cœli ſcriptum XII. die Auguſti MCDXXIX.

108. SANCIUS PORTA Cęſar-auguſtanus, ordinis Prędicatorum, quem in patria domo fuit profeſſus, Eccleſiaſtes ſui temporis clariſſimus audit, multiplicis doctrinę ac eloquentię armis ſtrenuè munus ſuum atque utiliter gerens, à Benedicto XIII. creatus S. Palatii Apoſtolici Magiſter, cùm ab eo ſanior fidelium pars reſtituendę veteris Eccleſię pacis ergò receſſiſſet, ipſe quoque muneri iſti ſponte ceſſit. Varia idem reliquit opera concionatorię ſuę, quâ ſic prævaluit, artis, *rudi tamen ac ſimplici ſermone*, (ut Xyſtus ait Senenſis) *pia tamen moralitate referta*. quę Alphonſus de Caſtro, ejuſdem Prędicatorum familię, ſanctitate vir ac literis pręſtans, quòd ſperaret magnum operę pretium ſeſe facturum, formis edi curavit. Nempè

109. I. *Divinum, ac proinde ineſtimabile, ſed & omnium quæ hucuſque de Chriſtifera Virgine ſcripta ſunt, Mariale*. Quo cum elogio editum fuit Lugduni à Joanne Cleyn Alemanno MDXVII. in 4°. cùm priùs exiiſſet è typographia Valentina Joannis Gofredi, ſeu Jofreu, anno MDXII. cum titulo: *Sermones feſtivitatum annualium beatiſſimæ Virginis Mariæ*. in folio.

110. II. *Sermones æſtivales de tempore*.

111. III. *Sermones hyemales de tempore*. Adjiciuntur

112. IV. *Introductiones ſermocinales in Sermones, tum de tempore, tum de Sanctis*.

113. V. *Sanctorale, ſeu ſermones de Sanctis*. Hagenoę per Henricū Gran MDXIV. Omnia hęc ſimul prodiiſſe credimus Lugduni eodem an. MDXVII. in 4°. Fortè & priùs Valentię, de quo nihil habemus certi. Sermonum tomos duos Senenſis laudat. Jacet in domo Cęſar-auguſtana quam ſodales habitant, XIX. die Nov. anni MCDXXIX. è vivis ereptus. Xyſtus Senenſis in *Bibliothecæ* lib.4. Geſnerus, Franciſcus Diagus *Hiſtor. prov. Aragon.* lib. 14. pag.35. Vincentius Blaſco prima parte *Hiſtor. Aragonenſis* lib. 5. cap. 27. Murillus in *Hiſtor. Pilarienſi*, Joannes Marieta *Hiſtor. Eccleſiaſt. Hiſpaniæ* lib. 14. §. 93. Nomenclatoreſque ſcriptorum ordinis, Antonius Senenſis, Michaël Pius, Alphonſus Fernandez.

114. BONIFACIUS FERRERIUS, S. Vincentii, quem ante biennium ad ſuperos tranſlatum fuiſſe proximo diximus capite, anno MCDXIX. frater. De hoc agit Arnoldus Boſtius Carmelita, in tract. *De præcipuis aliquot Carthuſianæ militiæ patribus* cap. 15. *Prior* (ait) *Carthuſiæ XXV. Junii Pontif. doctor apprimè celebris, ſanctimoniæ ſublimitate egregius, diſciplinarum omnium cognitione ad unguem excultus, evaſit. Scripſit inter pleraque alia ad Bonifacium ſacri ordinis ſui profeſſorem*. Libro de confirmatione ac approbatione ſacrę religionis ſuę & cęremoniarum ejus: *utilem & frugiferum, miræque claritatis lucem radiantem. Ad eundem etiam tractatum condidit omni profectò commendatione dignum*: Cur in eodem ordine ſanctiſſimo perpauci canonizati ſint, miraculaque publicè non fiant. Ait deinde natum Valentię, priuſque uxorem duxiſſe, qua obeunte, hortatu Vincentii fratris Carthuſię nomen dediſſe in domo Portę-cœli propè Valentiam, ubi poſt quatuor ferè annos cùm eſſet rerum uſu admodum ſolers & induſtrius in hujus ordinis Priorem Generalem aſſumptus fuit, nihilque egit non ſumma laude & commendatione digniſſimum. Verùm quia in ſchiſmate Eccleſię electus fuit, quod malum ad religiones quoque ſeſe extendit, electo pro pace Eccleſię in Concilio Piſano Alexandro V. ipſe in capitulo generali abſolutionem ab officio petiit & impetravit, Stephano de Sęvis Priore Generali alterius obedientię ſimul cedente. Hęc

Boſ-

Bostius. Idem ferè Dorlandus lib. 4. cap. 25. Obiit anno MCDXIX. xxix. Aprilis.

115. Circa annum MCDXXX. scripsisse referuntur *Adversus Arnaldi Villa-novani errores* è Dominicanis sodalibus Fr. SANCIUS DE BESARAN Oscensis cœnobii, atque itidem ejusdem Fr. PETRUS MAZA ante decennium, quē suprà c laudavimus, cujus rei testes sunt pręter nomenclatores Dominicanorum scriptorum, Franciscus Diagus in *Histor. prov. Aragoniæ* lib. 1. cap. 25. Vincentius Blasco lib. 5. *Histor. Aragon.* cap. 42.

c Hujus libri 10. cap. 1.

116. Hoc ipso tempore floruisse creditur professoriâ celebritate ac libris in publicum datis RAYMUNDUS quidam, in editionibus SEBUNDA, aliàs SEBONDE, atque etiam SABUNDE cognominatus, apud Trithemium verò SEBEIDE, ab aliis SANT-SEBEIDE, & SEBON, appellatus, obscuri ęquè nominis & conditionis, non ita tamen obscurę ad posteros in monumentis ab eo relictis famę. Hispanum sanè omnes fatentur, & *virum* Trithemius vocat *in divinis Scripturis studiosum & eruditum, atque in sæcularibus literis egregiè doctum, artium & medicinæ doctorem insignem, quæ docendo & scribendo in gymnasio Tolosano* (ita corrigo pro *Toletano*, quod editiones habent) *magnum eruditionis suæ experimentum dedit*.

117. Docuisse autem eum Tolosę ex ipso ejus testimonio constat initio dialogorum, quos deinde laudabimus, consignato. Cætera ignorantur, adeò ut vir Galliarum eruditissimus, & qui nihil ignorare suo tempore credebatur, Adrianus Turnebus à Michaële domino de Montagne, quem in paucis studiosum Raymundi hujus lucubrationum fuisse mox videbimus, olim consultus, de his magnificè, de auctore nil certum responderit. Quócum (ut & aliàs altè eum latuisse diligentissimos & perspicacissimos præteritarum rerum homines intelligas) consudit Josephus Scaliger ad Casaubonum scribens d, Raymundum alium Martini cognomento, *Pugionis fidei contra Judæos* verum auctorem, professione quidem Dominicanum, fereque duobus sæculis ætate superiorem. Quisquis tamen ille fuerit, de quo ultrà quicquam desiderare frustra sit, celeberrimum in primis commentarium in schedis reliquit, quem Trithemius

d Epist. 14.

118. I. *Creaturarum, sive De homine librum* appellat. Eodem hoc titulo *Creaturarum* libri Raymundi Sebeide inscriptus codex, & in 4°. scriptus Tolosæ anno MCDXXXVI. fuit in bibliotheca Cardinalis Carpensis, ut ex ejus librorum elencho patet, nisi in designando numero error commissus aliquis sit. Eundem quoque servavit titulum princeps, ut videtur, editio, cujus Gesnerus meminit, Parisina Joannis Parvi anni MDIX. Quem aliæ editiones in *theologiæ naturalis*, qualis verè est, mutaverunt, cum adjuncto: *sive liber creaturarum, specialiter De homine, & natura ejus, in quantum homo, & de his, quæ sunt ei necessaria ad cognoscendum seipsum, & Deum, & omne debitum, ad quod homo tenetur, & obligatur tam Deo quàm proximo*. quod totum habet inscriptio Lugdunensis anni MDXL. addito alicubi, vice elogii, altero illo non ita rei proprio, *thesauri divinarum considerationum*. Laudatur à Possevino Veneta Francisci Ziletti an. MDLXXXI. Nec ultima, ut credimus, Lugdunensis est Petri Compagnon anni MDCXLVIII. cum titulo *theologiæ naturalis, sive libri creaturarum* in 8°. nam Amstelodami prodiisse ex officina Petri Vandemberg ann. MDCLXI. ex nundinis Franco-furtensibus vernis hujusce anni didicimus.

119. Scopus auctoris fuit in hoc libro ut ad convincendos etiam eos, qui revelatæ veritati nihil deferunt, omnes Christiani dogmatis, tam divinæ in se, quàm communicatæ homini in verbo æterno Dei naturæ articulos à naturali veritate non esse absonos, immo naturalibus non incongruè confirmari posse argumentis ostenderet. Quod quidem arduum ac durum quibusdam visum, mollire conatus fuit laudatus suprà Michaël de Montagne, nobilis eques Petragoricus, qui in Gallico libro *les essais*, hoc est, *specimina*, nuncupato, insignem sui experimentum eruditis omnibus dedit, non *theologiam* solùm ipsam Gallicè vertens, sed in versione Rothomagi MDCIII. & iterum MDCXLI. in 8°. edita pretium operæ factum ostendens scripto vulgari lingua ac sæpiùs edito, Raymundi Sebundii, sive *theologiæ* hujus *naturalis* ab eo relictæ *Apologetico*, quod Italis communicavit unà cum *Saggi* libro altero, Marcus Ginammi Venetiis anno MDCXXXIII. publicatum.

120. Sciebat autem vir clarissimus, ac tandem nostræ Ecclesiæ jugalis, Hugo Grotius, cùm *De veritate religionis Christianæ* commentaretur, *excoluisse hanc materiam philosophica subtilitate Remundum Sebundum, dialogorum varietate Ludovicum Vivem, maximâ autem tum eruditione tum facundia*, memoriâ aliàs indignum, *Philippum Mornæum*. Excellet quidem erudita & nervosa brevitate commentarius hic Grotianus; qua de re alios, qui noti sunt, collegit, censuram unicuique adjiciens, heterodoxus quoque ipse, attamen doctus, Joan. Hoornbeck *De conversione Indorum & Gentilium* lib. 2. cap. 2. qui tamen Raymundum ait *magis laudem acuminis quàm soliditatis promeritum fuisse*. Diversum à *theologia* opus, & quasi theologiæ compendium, in dialogisticam formam reductum, alius liber est,

121. II. *De natura hominis, seu Viola animæ, formâ dialogi inter Reymundum Sebundium artium medicinæ, atque sacræ theologiæ professorem eximium, & Dominicum Seminiverbium De hominis natura, propter quem omnia facta sunt tractans ad cognoscendum se, Deum, & homines*. editus Toleti anno MD. in 4°. sequenti etiam Colonię apud Henricum Quentel eâdem formâ.

122. Crederem ab alio quovis factum hoc dialogisticum theologiæ compendium cultiori stylo, quàm *theologia* est, à Dominico scilicet isto dialogista. Nec retardat, quòd initio operis eidem auctori duo hæc attribui videan-

videantur. Potuit enim hoc velamento compendiator uti, ut Raymundum posterioris hujus libri auctorem creduli faciliùs persuaderet. Dominicus ibi ait: *Hesterno sero cùm essem in gymnasio Tolosano post varias quæstiones explicitas audivi illic à narrantibus iis diebus, quibus pro communi utilitate absens fui, mirabilem te omnibus coram disputationem habuisse, quâ sanctiorem utilioremve nemo se unquam asserit audisse, tantæque fuisse virtutis, ut non illum idlatenus arbitremur hominem, neque spem habere salutis, qui eâ non fuerit à vitiis ad justitiam permutatus*. Raymundus. *Multum mihi homines tribuunt, sed ipsi viderint qua id faciunt ratione. Ego fructum ingenii mei domino dicavi*. Dominicus. *Justissimè id facis. Sed obsecro te (hac enim caussâ tam manè in tuum hunc agrum festinus descendi) ut quæ illic à te disputata sunt scriptis coràm exhibeas*. Raymundus. *Scripta est, fateor, disputatio illa. Sed hei mihi! Dominice. Aurelius Sulpicius amicus noster jam fermè mensis est, librum illum, ut sibi describeret asportavit. Quid igitur sibi nunc faciam?* Dominicus. *Nunquid tu me vacuum patieris abire? numquid ideo sine doctrina es, aut industriam omnem perdidisti, quia liber ille à te dimissus est?* Raymundus. *Sed quid tibi vis faciam?* Dominicus. *Certè ut videam; aperi mihi lumen ingenii tui, & illam sapientiam, qua librum illum Dei munere condidisti, rursum, quæso, mihi clemens aperias*, &c. Et infrà. Raymundus. *En paveo libens votis tuis, & trium dierum disputationi me promptum exhibeo. Dum igitur materiam à fundamentis exordior, tu diligenter aspicito, & sapienter interrogato*.

123. His tamen nihil moveor à præmissa conjectura, maximè cùm Trithemius hujus operis non meminerit, & Valerius Andreas Taxander in *Bibliotheca Belgica* mihi auctor, post conjectationem hanc nostram, visus sit, Petrum Auratum Artesium ord. Prædicatorum ex theologia Sebundi concinnâsse operis *Violæ animæ* à se inscriptæ sex priores dialogos: septimus enim aliunde fuit desumptus, atque inter Mariam Virginem & Dominicum ipsum formatus. Hoc opus Hispanè loquitur operâ Antonii Ares Taurensis ex ordine Minorum, *Dialogos de la naturaleza del hombre* inscriptum, & Matriti an. MDCXVI. in 4°. editum. Nostro tamen attribuit is præter laudatam theologiam,

124. III. *Quæstionum disputatarum* librum unum.

125. Anno hujus sæculi tricesimo quarto scripta jussu D. Roderici Alphonsi Pimentelii Beneventani Comitis *Historia* quædam *generalis Hispanicarum rerum* vulgaris linguæ, auctorem præferens EMMANUELEM quemdam RODRIGUEZ DE SEVILLA, pertingensque ab origine ipsa nostræ gentis ad Alphonsum usque Legionis Regem, hujus nominis quintum, qui sagittâ percussus in Visensi obsidione obiit, apud Prudentium Sandovalium Tudensem, ac postea Pampilonensem Episcopum, olim fuit, ut ex mentione ejus non semel ab eo factâ e constat: at nunc est Matriti, quum hæc scribimus, penes amicum nostrum D. Joannem Lucam Cortesium, sæpe à nobis, nec unquam sine elogio, laudatum. Porrò hic me certiorem fecit de scripturæ antiquitate, hujus ævi, quo compilatum opus fuit, æqualis; pluraque ibi esse planè singularia; deesse tamen in principio tria quatuórve capita, & in medio totidem chartæ folia.

126. Admonuit me itidem historiæ huic adjungi aliam existimatam ejusdem auctoris, *De la conquista de tierra santa*, sive de expeditionibus sacris in Palæstinam Godefridi Bullionæi, & aliorum; quo libro chorographia Syriæ, & Ægypti, morumque & religionis illarum gentium notitia continetur.

127. Sed postquam hæc scripsissemus, fidem D. Joannis Lucæ sequuti, codicem contrectavimus, in cujus fine, hoc est voluminis folio 180. rubro scriptum exstat: *De como se acabò este libro, quien fue el que lo mandò facer, e qual fue el escrivano que lo escrivio, e en qual lugar, e à quantos dias, e en que año.* Quibus subjiciuntur alia hæc atramento communi expressa: *Esta primera parte desta Chronica de España acabò Manuel Rodriguez de Sevilla por mandado del señor Conde de Benavente D. Rodrigo Alfonso Pimentel, la qual acabò en la dicha villa de Benavente à 15. dias de Marzo del nacimiento de nuestro señor Jesu Christo de MCDXXXIV. estando en la dicha villa el dicho señor Conde, e Don Juan su hijo, à los quales dexe Dios vivir por muchos años y buenos*. Pertinet, uti diximus, usque ad mortem Alphonsi V. & annum MV.

128. Hoc autem in eodem volumine consequitur *la estoria de Jerusalem abreviada*, cujus caput primum sic inscribitur: *Capitulo primo que fabla en como nuestro señor Dios dispuso la tierra santa por diversos azotes y contrarios acaecimientos que en ella vinieron*. Mutilum opus & sine auctoris nota. Quod totum exprimere voluimus, nondum certi cujusnam nomen sit, an scriptoris an exscriptoris, Emmanuel Rodriguez de Sevilla, quem clausula ista quam adduximus scribam vocat, nisi ætate ista, pro eo qui invenit, & auctor scriptionis erat, *escrivano* dictum fuerit.

129. Ante annum obierat Romæ LUPUS DE OLMEDO Hispalensis natalibus, instituto autem vitæ Hieronymianus sodalis, Guadalupensis domûs ob miraculosam Deiparæ Virginis imaginem, quæ in ea colitur, & magna pietate à populis frequentatur, assatim notæ; ex eo scilicet ordine, quem sub nuncupatione Eremitarum S. Hieronymi Gregorius XI. anno MCCCLXXIII. Hispanis quibusdam institutoribus, præscribens iis observandam S. Augustini regulam, confirmaverat.

130. Huic magnâ injuriâ quidam cùm nomen, tum stirpem mutâsse deprehenduntur. *Lupum de Oliveto* (*Ulmeto* dicere debuēre Latinè Hispanum cognomen designaturi) Joannes Eisengreinius f, Franciscus Tarrafa g, Antonius Possevinus h, Marianus Victorius i, & alii vocant. Adjungitque Eisengreinius, errori errorem cumulans, & Possevinum deinceps, S. Vincentii Ferrerii fratrem

e *En las Notas à los Obispos* pag. 177. & 187. inque eodem volumine pag. 121 ubi de rebus agit Comitis Ferdin. Gonzalez, laudans ibi: *La historia del Sevillano, que à mas de CCC. años que se escrivio*.

f In *Catal. Test. veritatis*.

g *De Regibus Hispan.* in Joanne II.

h In *Apparatu*.

i In editione *oper. S. Hieronymi* tomo 4. pag. 152. editionis Lugdunen. anni MDXXX.

trem eum germanum fuisse; qui forte audierat de Bonifacio Ferrerio Carthusiano, ejus verè fratre, & pro isto Lupum nostrum habuit. Hic cùm studio legum civilium & canonicarum Perusiæ in Italia olim addictus, jurisque civilis doctor creatus, hujus ordinis sacramentum dixisset, post alia munera urgentibus meritis ad summam ordinis sui præfecturam, anno, ut creditur, MCDXXI. fuit promotus. Quo tempore concepit animo, ut pius erat & vitæ strictioris cupidus, si verè monachalem, quam professus fuit pater Hieronymus, vivendi formam pro eremitarum instituto, à quo denominari hactenus maluerant, sodalibus ut amplecterentur, persuaderi posset, congruentius illis Hieronymianorum appellationem postmodum adaptandam, rigorosèque magis, atque ut tanti parentis deceret filios, vivendum.

132. Eo consilio Romam cum eorum quibusdam profectus, tentavit frustra hunc cæteros pertrahere; qui cùm nihil in haud ita diu à sede Apostolica confirmato religioso vivendi genere reformatione dignum existimarent; spurium ejus filium, ac verè matri lupum, potiùs quàm reformatorem, vociferabantur, animi inconstantiâ, non verò pietatis stimulo ad id negotii actum. Qualis tamen revera Lupus existimatione Hispanorum fuerit sodalium, certè Martinus V. Pontifex hominem doctrinæ religiosarumque virtutum nomine olim sibi (ut ajunt) notum atque in pretio habitum benignissimè excepit, & unicè charum habuit. Quinimmo approbato ejus consilio, monasterium ei, & aliis, qui novo instituto nomen dare vellent, Sancti Alexii in monte Aventino habitandum concessit; eumque ibi & quocumque alibi recipiendorum monachorum Præfectum Generalem creavit.

133. Hinc in Hispaniam semel atque iterum cum rediisse scriptor Vitæ inferiùs laudandus refert, quod alii temerè negant. Certè in Hispania novum hoc institutum radices egit, quod ab eodem Lupo præsente procuratum simile vero est. Cùm scilicet remoto ab Hispalensis honore Pontificatus viro sui temporis illustri D. Didaco de Añaja Maldonato, Lupus ipse à Martino V. Papa sacrorum ejus Ecclesiæ administrator fuit circa annum sæculi XXIX. eò destinatus; quod eum gessisse munus triennio saltem sequenti, usque ad XXXII. ex tabulario cœnobii S. Isidori juxta urbem Hispalim, ibique asservatis rei monumentis, constare ajunt [k]. Quo quidem tempore cœnobiis aliis novi instituti ditissimum hocce S. Isidori accessit, à quo nova propago vulgò nomen *Isidorianorum* apud nos sortita fuit [l]. Mansereque monachi ab eremitis separati, usque dum sesqui-sæculo transacto res ad pristinum statum reversa est, ac dissipata Hieronymianorum Hispanorum divisio: de qua re latè agit Josephus Seguntinus in historia hujus ordinis, Joannes Mariana lib. 20. cap. 15. & Sylvester Marulus in *Oceano religionum* lib. 5. Garibay lib. 16. cap. 16.

[k] Josephus de Siguenza lib. 3. *Hist. ord. S. Hieron.* cap. 7. II. Franciscus Vergara in histor. D. Didaci Añaja, & collegii S. Bartholomæi cap. 11. pag. 41. Corrigendus in eo quòd anno MCDXXI. (errorum forsan pro MCDXXXI.) hanc deputationem adscripserit.

[l] Josephus de Siguenza lib. 3. cap. 8.

134. Romæ tandem post ampliatam in Italia sacram familiam, earumque virtutum, quas plantationi suæ tot curis & molestiis exantlatis conatus fuit inserere, continua documenta exhibita, diem vidit extremum in eadem S. Alexii sacra domo, ante majorem aram sepultus, cum hac circum ejus imaginem lapide excisam inscriptione: *Hic jacet reverendus in Christo pater frater Lupus de Olmeto, natione Hispanus, resuscitator, & reformator, ac primus Generalis Præpositus, ordinis monachorum eremitarum S. Hieronymi, Priorque hujus monasterii: qui obiit tertia die Aprilis anno Dom. MCDXXIII. Pontificatûs dom. Eugenii Papæ IV. anno tertio.* Vitam Latinè scripsit D. Pius Rubeus Placentinus, ejusdem ordinis Generalis aliquando Præfectus, quæ edita est Novo-comi unà cum *Floribus S. Hieronymi*, quorum jam meminimus, necnon Italicè ab eodem conversa in Joannis Petri Crescentii *præsidio Romano* lib. 1. [m] qui duo Philippi Bergomensis [n] elogium adducunt.

[m] *Presidio Romano, ò vero della militia Ecclesiastica.* Placentiæ MDCXLVIII. in fol. pag. 407.

[n] Ad ann. MCDXXVIII.

135. *Virum undecumque doctissimum, vitâ & morum sanctitate clarum, philosophum insignem, nec ulli theologorum secundum, eloquentiæ vi pollentem, ac divinæ gratiæ nervis validum* vocat Eisengreinius, *divinarum scripturarum eruditissimum* Franciscus Tarrafa & Jacobus Philippus Bergomensis, &, quod caput est, Martinus V. in quodam diplomate [o] *multipliciter eum apud se religionis zelo, vitæ munditiâ, & literarum scientiâ commendatum* asseverat. Multa de eo Josephus Seguntinus *Historiæ ordinis S. Hieronymi* vulgaris linguæ Hispanæ lib. 3. cap. 1. 5. 6. 7. & seqq.

[o] XVII. Aug. MCDXXIV. apud Rubeum in Vita Lupi cap. 9.

136. Ad hoc undique magis stabiliendum vivendi juxta Hieronymi normam propositum, omnia quæ Lupus consignavit literis, respiciunt opera; nempe in primis

I. *Flores S. Patris Hieronymi*, ex ejus scriptis decerpti in centonis formam; adeò tamen appositè congruenterque in unum connexi, ut non aliter finxisse Hieronymum ipsum existimaverit Marianus Victorius, vir doctissimus, atque operum Maximi Ecclesiæ doctoris annotator egregius. Inter hæc enim jam diu editur [p] horum *Florum* collectio sub *Regulæ monachorum S. Hieronymi, ex scriptis ejusdem per Lupum de Olmedo collectæ* nomine, unà cum *bulla approbationis Martini Papæ V.* Verè enim eo consilio hic liber compilatus fuit à Lupo, ut Hieronymiani monachi non aliam quàm S. Hieronymi monachi regulam profiterentur, quod iis Martinus concessit, pro S. Augustini alia, quam sequebantur ad eum diem, hanc substituens [q]. Ms. quidem is liber exstat in Vaticana bibliotheca, & in Basileensi, Spizelio teste [r]. Prodiitque post editiones dictorum Hieronymi operum ejusdem Pii Rubei curâ Novo-comi apud Joan. Angelum Turatum MDCXXI. in 8°. quadraginta & uno capitibus constans, quorum aliqua Pius ipse, quæ deesse videbantur, adjecit, eâdem industriâ excerptoris usus.

[p] In edit. Lugdun. ann. MDXXX. vol. 4. pag. 311. & aliis.

[q] Dicta bulla XXVII. Aug. MCDXXIV. apud Rubeum cap. 11.

[r] In *Sacris Bibliothecis illustr. arcanis retectis* pag. 4.

137. Ægrè tamen ferunt aliqui, & inter eos Joannes Petrus Crescentius, vir admodum eruditus, in *Præsidio suo Romano* [s], abjudicari hanc regulam doctori maximo, quæ tamquâ illius aliquot ab hinc sæculis habita fuit, etiam

[s] Lib. 1. num. 14. pag. 74.

etiam Pontificum Romanorum existimatione. Sed cùm apertissimè è fragmentis contrarium constet hinc atque illinc ab excerptore desumptio, antiquitatis tantùm hoc præjudicio nihil detinemur, ne suum cuique tribuamus. Præsertim cùm ex statim adducenda Lupi *Responsione ad obtrectatores* sese ejus regulæ compilatorem fateatur. Consule sis Francisci Bivarii *De veteri monachatu* lib.4. cap.4. §.1. hujus regulæ censuram, & confirmaberis, lector, ur pro hac parte stes. Simul enim in eodem Pii Rubei volumine, Lupi ejusdem habemus

138. II. *Responsionem obtrectatoribus* novæ regulæ factam; quæ incipit: *Invidis respondendum* &c. quibus subjecit alienis operibus proprium Rubeus, *venerabilis viri Lupi de Olmeto Hispalensis congregationis monachorum S.Hieronymi olim instaurratoris ac Præpositi Generalis perpetui Vitam.* Sed quia lex sibi dicta in *Floribus* sive *regula* verbis tantum Hieronymi loquendi ulteriorem quamcumque divagationem respuebat, adjunxit Lupus Pontificia usus auctoritate

139. III. *Statuta cum suis declarationibus*, ad usum eorundem sodalium, quæ incipiunt: *Venerabilibus & discretis viris* &c. & promulgata fuisse nona die Maji anni MCDXXIX. idem Rubeus ex tabulis domesticis cap. 17. *Vitæ Lupi* annotat.

140. IV. *Ordinarium*, hoc est ita inscriptum triginta capitum librum, teste eodem
t Cap.17. Rubeo[t], qui & sequentia subnectit

141. V. *Doctrinam testamenti S.Patris Hieronymi*, xxv. capitibus, atque item

142. VI. *Epilogum S.Hieronymi.* Unaque

143. VII. *Vitam S.Hieronymi.* Martino V. & sacro Cardinalium collegio nuncupatam. Hæc in prima hujus S. Doctoris operum editione *cuidam devoto & ejus operum studioso*, tacito auctoris nomine, adscripta legitur. Sed eam Lupi esse, advocatâ in rem eâ, quam diximus, nuncupatione, cujus se ipse aucto-
u Dict. cap. 17. rem prodit, Rubeus comprobat[u]. Eaque usus videtur Marianus Victorius fuisse, *eùm ab ea, quam ipsemet operibus S.Hieronymi adjecit* (Rubeus ait) *haud distare videatur. Quòd si deinceps* (prosequitur) *Cardinalis Baronius ejus non meminerit in annotationibus ad* Martyrologium Romanum, *ut in* Annalibus Ecclesiasticis, *id in caussa fuit quòd illi eamet incognita prorsus fuit. Quæ enim tomo nono dictorum operum legitur, quamque Baronius ipse reprobat, diversa omnino ab hac est, quam præfatus vir Lupus ex allegatis operibus primus conscripsit.* Tradidit quoque in manus domesticis suis Lupus ipse

144. VIII. *De sanctis, ac de tempore sermonum, seu homiliarum* à se elaboratarum volumen, ut legimus in *Supplemento Chronicorum* Bergomensis, & apud eundem Ru-
x Cap.18. beum[x]. Qui & advertit multa alia *sub ejusdem nomine* MSS. *circumferri, præsertim verò quæ grandi uno volumine comprehensa sequuntur, videlicet fragmentum in clericum,* cui titulus hic appositus legitur:

145. IX. *Castigatio S. Lupi ad clericum monendum.*

146. X. *Vitæ patrum sive adhortationes contra octo principalia vitia.*

147. XI. *Sententiæ patrum.*

148. XII. *Adhortationes sive homiliæ ad perfectam vitæ rationem*; in quorum calce legitur *liber S. Columbani de Bobio*. Servatur autem volumen in bibliotheca Ambrosiana Mediolani. Ibi & aliud extare *commentaria* continens *in Isaïam prophetam* Rubeus item ait; *licèt istud, non, uti paullò ante adlata, originale existimetur, cùm præsertim nuperrimè transcriptum sit. Ex quo & factum reor ut in ejus fine legatur.* Laus Deo, B.Virgini, & B.Francisco, *cujus regulam fortè profitebatur transcriptor*. Libri hujusce titulus est:

149. *Frater Lupus in Isaïam prophetam.* Ac pro certo habet non alium esse hujus auctorem, *cùm nusquam* (ait) *in quolibet Ecclesiasticorum scriptorum catalogo Frater Lupus ab hoc alius occurrat.* Planè deceptus fuit Rubeus, cùm horum commentariorum verus auctor fuerit Alphonsus Lupus ordinis Capuccinorum; constetque ex Frederici Borromæi S.R.E. Cardinalis, Mediolanensisque antistitis aureo libro *De sacris oratoribus* Alphonsi, quem in paucis concionatorem laudat, hunc librum sese in ea bibliotheca à se constructa, unicum tanti viri monumentum, reposuisse. Quod in altera bibliothecæ hujus parte de eo loquentes, annotavimus.

150. Lupus autem aurem vellit nobis, ut alium scriptorem ei æqualem & adversarium in eo negotio reformationis, de quo dictum fuit, subjungamus; PONCIUM nempe sive SIMONEM PONCIUM (vulgò, ut credimus, *Pons*) Tarraconensem quendam, non quidem ejusdem familiæ, ut persuasum fuit non nemini[y], sed medicum, quod professus munus est in eo, quem scripsit *Apologetico libro*, seu defensione veteris instituti Hieronymianorum Hispaniæ adversus prætensam Lupi reformationem. Hunc editum reperies ad calcem *Chronici* hujusmet ordinis Latinum Petri de la Vega. Meminit auctoris Josephus Seguntinus lib. 3. *Historiæ* ejusdem ordinis cap.18.

y Sylvestro Marulo in *Oceano Religionum* quem Pius Rubeus in *Vita Lupi* cap.5. laudat.

151. Sequens annus quartus supra tricesimum sustulit literarum magnum quendam alumnum, nec minus studiorum laude, quàm utrinque à Regibus derivato sanguine in paucis clarum; HENRICUM DE ARAGONIA intelligo, quem MARCHIONEM DE VILLENA compellare vulgus solet, Aragonensium ex masculo, Castellæ autem Regum ex sequioris sexus latere familiis oriundum. Parentes enim habuit Petrum, & Joannam Henrici II. Castellæ Regis filiam notham. Petrus autem, ex Alphonso extra matrimonium natus, qui Alphonsus Villenæ Marchio, Comes Dianii, & Ripacurtiæ, & postea Dux Gandiæ, primusque Castellæ Comestabilis, filius idem Petri Aragoniæ Infantis, nepos Jacobi II. Regis fuit, Surita lib. 14. cap. 22. *Annalium Aragoniæ*, & Salazario Mendoza lib. 3. *De dignitatibus Castellæ & Legionis* cap. 20. necnon & Ferdinando Perezio Guzmano in *historia Ioannis Regis II.* & in libro simili-

tudi-

tudinum, sive elogiorum ad calcem ejus posito, rei auctoribus.

152. Fato quodam huic familiæ Castellę regnum improsperum accidit. Nam Alphonsus Comestabilis munere ab Henrici III. tutoribus, ac jure quidem, spoliatus dicitur; noster autem Henricus, cùm à Joanne II. Rege Comitatum *de Cangas* ac *de Tinco* in Asturibus obtinuisset, eique mox, ut magister Militiæ S. Mariæ de Calatrava deligeretur, renunciâsset, à militibus ipsis depositus magistratu quoque decidit, soloque ornatus *Iniestæ* oppidi Toparchæ titulo, eò loci se contulit, revocata ad se conjuge Maria Albornozia plurium oppidorum domina, quam olim, ut ordinis religiosi prefectum ageret, cœnobio cuidam monialium non abnuentem incluserat: de quo videnda Joannis Regis historiæ, quam diximus, 4. & 248. capita.

153. Sed neque concorditer unquam vixere. Quippe qui Henricus à puero totus libris & studiis deditus, non solùm exercitia militiæ, atq; omnes nobilium hominum proprias artes, sed & curam rei domesticæ, & quicquid eum à philosophiæ studiis & contemplatione rerum naturalium avertere posset, omnino sprevit. At sibi nullis artibus interdictis famam (nec ausim dicere veram, an falsam) suscitavit, non astrologiæ dumtaxat, quâ vana existimatur, sed & superstitiosis aliis, quovis catholico, immo principe viro indignis, artibus, ex somniis nempe, sternutationibus, aliisque hujusmodi futura predicendi operam dedisse. Quare à temporis sui Regibus & proceribus non eo loco fuit, aut pretio habitus, quo aliàs oportuit regiæ prosapiæ ac singularis doctrinę hominem apud omnes mortalium ordines planè censeri. Atque ivisse dicitur quasi in proverbium, plus cœlestium quàm terrenarum, plus inutilium quàm utilium ac necessariarum rerum assequutum studio suo Henricum fuisse.

154. Itaque *amissas opes, atque amplissimos honores ablatos, injuriamque fortunæ honestis (vel saltem studiosis) solatiis ad extremam senectutem toleravit* (quæ Joannis Marianæ verba sunt lib. 21. cap. 7.) podagrâ, chiragrâque gravatus: neque etiam post mortem injuriæ & ignominiæ speciem quandam evitare potuit. Librariam enim supellectilem, quia divite & electa vivus fuit usus, Regis pręcepto, vir doctus quidem atque ei valde charus, Lupus Barrientus Dominicanus Henrici principis pręceptor, lustrandam suscepit, ex eaque plusquam centum volumina, quasi damnatæ lectionis essent, Vulcano tradidit publicè, ut ajunt, comburenda. Quod quidem judicium approbantes Ferdinandus Perez de Guzman in *Historia Joannis Regis* cap. 248. & in *elogio*, Lupumque ipsum adducens Pincianus infrà, alii improbantes[a], alii ex æqualibus variè referunt.

[a] Petrus Carrillo historicus, quo utitur Surita lib. 14. cap. 32.

155. Ferdinandus certè quidam Gomezius, Joannis medicus, in quadam ad Joannem Menam, clarissimum poëtam & historicum data epistola facetè admodum rem tota, uti facta fuit, enarrat, quem piaculum esset alio quàm suo sermone loquentem hoc loco sistere. *No le bastò à D. Henrique de Villena su saber para no morirse* (epistolâ inquit 66.) *ni tampoco le bastò ser tio del Rey, para no ser llamado por encantador. Ha venido al Rey el tanto de su muerte, e la conclusion que os puedo dar es, que asaz D. Henrique era sabio de lo que à los otros cumplia, e nada supo en lo que le cumplia à èl. Dos carretas son cargadas de los libros que dexò, que al Rey le han traido. E porque diz que son magicos, e de artes no cumpluderas de leer, el Rey mandò que à la posada de Fr. Lope de Barrientos fuessen llevados. E Fr. Lope, que mas se cura de andar del principe, cà de ser revisor de nigromancias, fizo quemar mas de cien libros, cà no los vio el mas que el Rey de Marruecos, ni mas los entiende cà el Dean de Cidad-Rodrigo; cà son muchos los que en este tiempo se fan dotos, faciendo à otros insipientes e magos, e peor es, cà se fazan beatos faciendo à otros nigromantos. Tan solo este denuesto no havia gustado del hado este bueno e manifico señor. Muchos otros libros de valia quedaron à Fr. Lope, cà no seran quemados, ni tornados, si vuestra merced me manda una epistola para mostrar al Rey, para que yo pida à su señoria algunos libros de los de D. Henrique para vos, sacaremos de pecado la anima de Fray Lope, e la anima de D. Henrique havrà gloria, cà no sea su heredero aquel, cà le hà metido en fama de bruxo e nigromante. Nuestro señor* &c.

156. Hęc tota epistola Ferdinandi Gomezii non injucunda, neque judicii forsan expers: nam & Joannes de Mena summis quibusque laudibus Henricum extollit his versibus:

A quel que tu ves estar contemplando
En el movimiento de tantas estrellas,
La fuerza, la orden, la obra de aquellas,
Que mide los cursos de como y de quando:
Y ovo noticia filosofando
Del movedor y los commovidos,
De huego, de rayos, de son, de tronidos
Y supo las causas del mundo velando:
Aquel claro padre, aquel dulce fuente,
A quel que en el Castalo monte resuena,
Es D. Enrique señor de Villena,
Honra de España y del siglo presente.
O inclito sabio, autor muy seyente!
Otra y aun otra vegada yo lloro,
Porque Castilla perdio tal tesoro
No conocido delante la gente.
Perdio los tus libros sin ser conocidos;
Y como en exequias te fueron ya luego
Unos metidos al avido fuego,
Y otros sin orden no bien repartidos.
Cierto en Athenas los libros fingidos
Que de Protagoras se reprobaron,
Con ceremonia mayor se quemaron,
Quando al Senado le fueron leidos.

157. Ad quem tamen poëtæ locum Ferdinandus Pincianus vir summus adducit quędam Lupi hujus Barrienti verba ex libro quem *De divinatione ac ejus speciebus*, sub idem tempus hac occasione, & ut factum excusaret, ut Joannes Mariana libri 21. c. 7. ait,

ait, ſcriptum Joanni eidem Regi nuncupavit, cujuſque, dum de auctore mentionem infrà habebimus, notitia ſuum ſortietur locum. Hic ait *Fafiel* librum, ſic inſcriptum ab angeli nomine, qui Adami cuidam filio eum dictavit, invocationes bonorum angelorum ad benefaciendum, malorumque ad malefaciendum continentem, ſe Regis juſſu igni cum aliis tradidiſſe; at quidem invitum; quippe qui exiſtimaret Lupus hujuſmodi libros ſervari apud fidos quoſque oportere, quibus aliquando uti ad religionem tuendam, & idololatras ac necromantas redarguendos, æquum & expediens foret.

158. Nihilominus tamen ignorat nemo fatum huic ſimile accidiſſe olim magnis viris, ac literis innocuis (extra tamen communem aliorum uſum & captum poſitis) inſtructis, quos magiæ & quarumcumque indignarum artium inſimulare ſua eorum ætas non dubitavit. Præſtò ſunt Rogerii Baconi Angli Minoritæ, qui obiit MCCLXXXIV. ac Thomæ Bungeri ejuſdem nationis & inſtituti apud Wadingum *De ſcriptoribus Franciſcanis* diſſerentem, Joannis Trithemii *Steganographiæ* auctoris, cujus autographum Fredericus II. elector Palatinus, quaſi incantatoriis artibus plenum, comburi fecit, defenſi à Sigiſmundo abbate monaſterii Seon in Barbaria, & à Joanne Caramuele Epiſcopo Viglevanenſi, amico noſtro, Gereberti quoque, in Pontificatu Sylveſtri dicti, & aliorum paſſim exempla. Exſtat quidem Gabrielis Naudæi, viri famâ clari, libellus de his, quibus immeritò magiæ crimen omnibus ſæculis fuit imputatum, Gallicè ſcriptus.

159. Certè ad nos uſque derivavit fama non multùm Henrico ſavens, quaſi futura prædixerit, aliaque moriens vana in mandatis reliquerit, quæ nos inter aniles fabulas & otioſorum cantilenas reputamus. Staturâ brevi, ſed craſſus fuit, colore autem vultûs albedine & rubore miſto, neque ciborum neque Veneris parcus, acumine poëtico nulli ſui temporis ſecundus, atque hiſtoriarum valdè gnarus, multiplici vir doctrina, atque idiomatum variorum cognitione præſtans, Guzmani teſtimonio. Matriti obiit quinquagenarius xv. die Decembris MCDXXXIV. (corrigenda enim editio Hiſpalenſis eſt anni MDXLIII. quæ habet XXIV.) & in cœnobio Franciſcanorum ad lævam aræ maximæ ſepulturam accepit.

160. Plena ſunt rerum noſtrarum commentaria [a] Henrici mentione Villenæ Marchionis. Præſtat autem Joannis Marianæ è libri 19. cap. 8. verba ſubnectere, quia de operibus ab eo relictis, & jam dicendis, non tacet. *Petrus ad Aljubarrotam ceciderat, ejus Henrici pater, cui à Villena cognomentum fuit: eruditionis huic tantum ſtudium, ut magica etiam ſacra, carminaque calluiſſe fama ſit. Exſtant ingenii monumenta, in quibus multa reconditaque eruditio eſt, elegantiæ parum, quippe affectatæ, ſed horridæ, & cum Hiſpana lingua Latinam miſcentis*. Idem ferè de ſtudiis ejus cap. 7. lib. 21. Quæ quidem eximia, ſed innocua, exiſtimavit Marinæus Siculus in Henrici elogio lib. 7. *præſtantiſſimum* eum vocans *in mathematicis, & liberalibus diſciplinis, aſtrorumque cognitione, & ſecretis naturæ, per quæ ſæpè futura prædiceret*. Idem ait permulta eum de rebus cœleſtibus egregia opera poſteris reliquiſſe. Quorum nos velut è naufragio quodam tabulas colligemus.

161. Liber *De los trabaxos de Hercules* inſcriptus, carmine, ut credimus, Burgis prodiit ex Joannis de Burgis officina anno MCDXCIX. ſcriptus ab auctore, ut ibidem dicitur ad preces Petri Pardi Catalani equitis. Utitur eo Ferdinandus Mexia in *Nobiliario* ſuo, Henricum ex hoc opere laudans lib. 1. cap. 73.

162. *De rebus philoſophicis & moralibus* exſtat alius codex bene antiquus varia opera continens MS. in folio in bibliotheca quæ fuit excellent. Comitis Villum-broſani Caſtellæ præſidis, nunc autem excellentiſſimæ conjugis ex pretioſiori manuſcriptorum codicum parte.

163. Diverſum ab hoc, an eundem cum eo, habuit olim D. Franciſcus de Quevedo Villegas vir clariſſimus, ut ipſe refert in præfatione ad Ludovici Legionenſis Auguſtiniani carmina, varia Henrici opera continentem, in quibus quoddam erat *De la Gaja ciencia*, hoc eſt *De poëtica arte*, ut Quevedus interpretatur, inſcriptum. Ego autem Gallicum, ſeu mavis Provinciale (Galli enim non ſuum agnoſcunt) vocabulum hoc Rhetoricæ artis exiſtimo, cùm Guilielmus Catel in *Occitanæ hiſtoria* Gallica lib. 3. [b] collegii cujuſdam meminerit, in quo docebatur hæc ars; idque ex regeſto quodam conſtare ait, cujus hic Gallicus titulus: *Regiſtre des deliberations faites au college intitulé de la ſcience de Rhetorique, autrement de la Gaye ſcience, fondé en Toloſe par Dame Clemence, le quel regiſtre cõmence en l'an MDXIII.* Quibus ille adjungit laudes Nogerolis cujuſdam Gajæ ſcientiæ, uti appellat, doctoris, quem ante multos annos variorum carminum librum edidiſſe ait.

164. Sed Joannes Franciſcus Andreas Uſtarrozius, vir eruditus & Aragoniæ chronographus, in notationibus hujus regni Regum [c] admonuit apud ſe eſſe Henrici noſtri *Del arte de trovar*, hoc eſt, *de arte verſificandi*, ut vocat, diſcurſum.

165. *Henricus de Villena ſobre Virgilio*, ſive hujus tituli volumen, in bibliotheca Toletanæ Eccleſiæ pluteo 17. num. 32. ſervatur, ex meo ejus catalogo exactiſſimè tranſcripto. *Gloſſas ſobre Virgilio* vocat, Villenatem Henricum laudans, Ferdinandus Mexia in *Nobiliario* ſuo lib. 2. cap. 1. 19. & 27. Neſcio autem de quonam (diverſone?) Henrici ejuſdem libro intelligam fuiſſe olim (quod alicubi legi) penes Didacum Colmenares, ac deinde ad Comitem de Ribadavia perveniſſe.

a Rades de Andrada in *Hiſtoria ordinis S. Jacobi*, atque item Caro de Torres in eadem. Surita lib. 20. *Annal.* cap. 54. & lib. 14. cap. 22. Alphonſus de Madrid archidiaconus de Alcor in *Hiſt. Palentina* MS. Garibay lib. 16 cap. 24

b Pag. 197.

c Pag. 48.

CA-

CAPUT IV.

JOANNES POLEMAR, *sive* PALOMAR, *archidiaconus Barcinonensis, qui Basileensi Concilio interfuit. Scripta ejus contra Bohemorum errores, De procuranda decisione piæ sententiæ immaculatæ conceptionis Deiparæ Virginis, & alia.* JOANNES DE SEGOBIA, *ejusdem Concilii clarum lumen, circa quem errores quorundam notantur. Viri docti ex Hispania qui huic Concilio magna cum auctoritate interfuere. Segobiensis laudes ex Ænea Sylvio. Cardinalatus ejus & Cæsarensis Episcopatus, demumq; secessus in quodam monasterio. Joannis Pinedæ Jesuitæ doctissimi lapsus. S. Antonini Florentini Archiepiscopi alius. Insignes famâ sanctitatis viros huic Concilio, & illius ei parti, quæ schismatica audit, consensum commodâsse. Segobiensis scripta,* Concordantiæ biblicæ vocum indeclinabilium, De actis Concilii Basileensis, De immaculata Virginis Deiparæ conceptione (*cui adversatus fuit Joannes de Turre-cremata*) De mittendo gladio spiritûs adversus Saracenos, *cùm Alcoranum Latinè converti procurâsset: Cujus operis adhuc inediti synopses capitum damus.* JOANNES DE CASA-NOVA, *qui scripsit* De potestate Papæ supra Concilium. ANDREAS DE ESCOBAR *Benedictinus Megarensis Episcopus.*

166. BASILEENSI Concilio generali, quod maxima rerum Ecclesiasticarum agitatione partim catholicum, partim schismaticum totos undecim annos sub Eugenio Papa IV. ann. MCDXXXI. usque ad MCDXLII. duravit, tres, inter plures, aliis clariores, Joannes de Turre-cremata, Polemar, & de Segovia, Hispani doctores, interfuere. De horum primo aliàs dicemus. Duo reliqui hoc simul capite describendi sunt. JOANNES POLEMAR sive PALOMAR [d], archidiaconus Ecclesiæ Barcinonensis è Catalonia, Eugenii IV. Papæ cappellanus, & S. Palatii auditor (ita, qui nunc *Auditores S. Rotæ*, tunc temporis audiebant) Decretorum doctor gymnasii Viennensis, in laudato Basileensis urbis Concilio tum dignitate, tum doctrinæ existimatione valdè conspicuum sese præstitit. *Die enim Jovis decimâ nonâ Julii de an. Domini MCDXXXI.* (principium Concilii habet) *applicuerunt Basileæ domini scilicet Joannes Polmar* [e] *cappellanus summi Pontificis, & auditor sacri Palatii, & magister Joannes de Ragusio doctor in theologia Parisiensis, Procurator generalis ordinis Prædicatorum, delegati ad præsidendum Concilio à domino Juliano (Cesarino) Cardinali S. Angeli legato Apostolico* &c.

d Ita vocat Andreas Bosch Catalanus, cives suos scriptores laudans in *Summario dels titols de honor de Catalunya* lib. 3. cap. 13. & Hier. Surita lib. 14. cap. 40.

e Ita habent editiones Parisienses an. MDCXXXVI. & ultima ann. MDCLXXII. & Panvinius in *Epit. Pontif. & Cardinalium* in *Eugenio IV.*

167. Idem refert Julianus ipse Cardinalis ad Eugenium epistola quadam recenter publicata [f], quòd scilicet, cùm in Bohemiam exercitum adversus Hussitas ducturus esset, ne Concilii res interim omitteretur, hos duos suo loco deputaverit. Corrigendum tamen ibi est Joannis cognomen, quod minus rectè *Pilombar* fuit editum. Constat verò ex actis ejusdem Basileensis Concilii [g] Bohemis invitatis ad Ecclesiasticam unionem in amplissimo congressu isto de articulis secum controversis disputantibus, singulos designatos Concilii patres tam theologiæ, quàm canonum doctores, qui articulo cuique proposito ac propugnato, fidei regulam, aut saltem Ecclesiæ totius consensum antiquissimum rationibus suis vallatum opponeret.

f In *Historia Pragmat. fanctionis* parte 2. pag. 125.

g In editione ultima Parisiensi ann. MDCLXXII. & seqq.

168. Quod quidem exsequutus fuit anno MCDXXXIII. Joannes Polemarius, ex iis unus, cujus, ut de civili dominio clericorum, cui Bohemi obnitebantur, dissereret, partes fuere; tribus diebus strenuè docteque Petri Payne [h] Angli, qui per triduum quoque ipse auditus fuerat, argumenta evertens, atque rem totam explicans. Oratio, seu disputatio hæc cum titulo *Responsionis ad quartum articulum Bohemorum de temporalitate Ecclesiæ, sive quòd licet Ecclesiæ habere temporalia*, edita primùm Ingolstadii anno MDCIII. fuit ex MSS. codicibus ab Henrico Canisio *Antiq. lection.* quarto volumine, atque inde in recentioribus Conciliorum editionibus [i].

h Alias *Rayne.*

i In ultima Parif. laudata tom. 12. columnâ 1334.

169. Absoluta disputatione visum est patribus opportunum destinare in Bohemiam legatos, qui cum gentis illius cœtu Pragæ coacto Concilii nomine coràm agerent, ut controversiæ finis imponeretur. Venit inter hos Pragam Polemarius, qui post Episcopos duos, Constantiensem in Normannia, & Augustensem, primus in actis laudatur ante alios non Episcopos; ipseque aliorum nomine orationem ad Bohemos habuit, ut ex Joanne Cochlæo lib. 6. *De historia Hussitarum* constat. *Venimus* (inter alia dixit) *ad vos ambasiatores numero decem pro parte S. Concilii, quorum tres sunt de Francia, quinque verò sunt Teutonici; unus Episcopus Augustensis, & reliqui de diversis partibus. Ego verò inter omnes minimus de partibus Hispaniæ regni Aragoniæ, civitate Barcinonensi, adhuc per quadraginta sex diætas distante* &c.

170. Cumque Bohemi hoc patrum officio, unionisque desiderio tractabiliores facti, quatuor articulorum declarationem peterent, eaque petitio ad Concilium remissa fuisset, in mandatis habuere Polemarius, & alii tres ex legatis, Basileensium patrum mentem, & quam postulaverant articulorum declarationem, iis significare. *cujus rei gestæ seriem* (ait idem Cochlæus lib. 7.) *nemo meliùs explicat, quàm orator Concilii Joannes de Polemar Hispanus, in ea oratione, cujus initium est*: Magister scimus quia verax es. *quam in secundo suo in Bohemiam adventu Pragæ habuit ad Bohemos*. Meminit idem nostri Joannis alibi [k]. Qui quidem præterea scripsit libellum ad Sigismundum Imperatorem ante Concilium Basileense inscriptum *De procuranda decisione piæ sententiæ asserentis B. Virginem conceptam fuisse sine macula*.

k Lib. I.

171. Cujus rei auctor est, ut ajunt, Joannes Ludovicus de Schonleven [l] ab Hippolyto Marraccio Congregationis clericorum regularium matris Dei, nostro quondam Romæ, dum viveret, amico, viro utique pio, totque Marianorum monumentorum cumu-

l Lib. 4. *orbis veterani* §. 14.

latore indefeſſo in *Bibliothecæ Marianæ* quadam *appendice* [m] laudatus. Scripſit etiam ad Joannem abbatem monaſterii Scotorum ordinis S. Benedicti Viennenſis *De abſtinentia carnium*, inſignem tractatum, uti appellat Trithemius, cujus initium eſt: *Surgunt in judicio filii*. A quo & eidem tribuuntur ſermones, & quæſtiones, aliaq; multa ſibi nondum comperta, quę in gymnaſio Viennenſi ſcripſit Sigiſmundi Imperatoris tempore. Quem utiq; *doctoris Decretorum inſignis, tamque in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus literis notabiliter docti, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſtici, vitaque & converſatione præclari* laudibus ornat. Similiterque Eiſengreinius Sermonum meminit *non minus doctè quàm eleganter* ad populum habitorum: quem & plura alia proficua Eccleſiæ Dei poſteritatis ait memoriæ conſecrâſſe.

172. Alter Hiſpanus hujuſmet Baſileenſis Concilii decus maximum JOANNES fuit, ſive à patria, ſive proprio gentis cognomine, SEGOBIENSIS vulgò nuncupatus, cujus res inter nos & in propria patria obſcuræ, in hoc autem ampliſſimo Eccleſiæ totius conventu clariſſimæ in paucis fuere. Planè hominis fama invitavit ætate noſtra quoſdam familiarum nobilium Segobiæ urbis illuſtratores, ut aliis [n] eique de Contreras audit, alius [o] eique *de Segobia* Joannem adſcriberent. Non rectè autem Joannem de Villa-vitioſa, & archidiaconum Ovetenſem cognominavit Ciaconius in *Vitis Pontificum* [p], cùm nonniſi archidiaconus de Villa-vitioſa, quæ ſaltem dignitas eſt in Ovetenſi Eccleſia, non ab ſtirpe, ſic appellatus fuerit. Quo munere ornatum oſtendunt acta ipſa Concilii Baſileenſis ſeſſione 38. §. 3. & Æneas Sylvius lib. 2. de ejuſdem *Concilii geſtis* [q].

173. Corrigendos quoq; monemus, Franciſcum Tarraſam, qui Joannem Segobricenſem, fortè ut Segobricæ urbi Valentini regni adſcriberet, vocare maluit [r]; Onuphrium Panvinium, & Genebrardum, qui unius literæ inverſione Segonium pro Segovio, quomodo eum Æneas Sylvius vocare amat, aut ipſi, aut operæ poſuerunt. Sororium ſuum (ſive de ſororis viro, ſive de fratre, aut fratris filio intelligas) Didacum Ferdinandi de Ubeda ipſe alicubi laudat [s]. Canonicus autem Toletanus audit in editionis *De conceptione* opeis titulo, quod mihi non aliunde notum eſt. Natum quidem anno ſæculari fuiſſe MCD. hiſtorico Segobienſis urbis minimè credo; cùm aliud recordetur is prælii cum Turcis infeliciter ſuis diebus, ut ait, commiſſi, quo captus fuit Joannes Burgundiæ Dux; quod quidem prælium anno ſuperioris ſæculi ſexto ſupra nonageſimum contigiſſe auctores produnt [t].

174. Doctor erat theologus Salmanticenſis, atque adhuc apud nos morabatur anno hujus ſæculi triceſimo primo, quo quidem ſuper duobus fidei noſtræ articulis, Trinitate & Incarnatione Chriſti, diſputationem cum Mauro quodam, qui Medinam à Campo dictam, Caſtellæ oppidum, ubi tunc Joannes II. Rex degebat, Granatenſis Regis legatus venerat, ſe habuiſſe, comite uſum ſororio ſuo, quem diximus, juriſperito, eo ipſo loco docet, ubi ejus meminit.

175. Paullò pôſt indicto Baſileæ Concilio, eò ſe Joannes contulit Salmanticenſis academiæ nomine, & juſſu Joannis II. Regis: & cùm poſt celebratas ſeſſiones quamplures inter Eugenium Pontificem & Conciliares Patres malè convenire cœpiſſet, reſque eò perducta eſſet, ut Concilium falsò exiſtimans jure id poſſe, Papam citaverit, & ceſſantem citationi deferre, contumacem eum declaraverit; huic primùm ſeſſioni quę viceſima octava fuit, Kalendis Octobris anni MCDXXXVII. celebratæ, interfuiſſe geſtæ rei teſtes in ejuſdem Concilii actis referuntur *Venerabiles & circumſpecti viri domini, & magiſtri Ægidius Camineti in medicina Pariſienſis, & Joannes de Segobia in theologia magiſtri Salmanticenſis, almarum univerſitatum ſtudiorum generalium in dicta ſancta ſynodo Ambaſiatores, Guilielmus Kreber* &c.

176. Et quamvis Eugenius literis ſuis Concilium Ferrariam transferre procuraverit, nihilominus Baſileæ eò demum fuit perventum, ut ad Eugenii exauctorationem, & alterius Papæ electionem Concilium procedere non dubitaverit. Quæ electio ut ritè perficeretur [u], deſtinari triginta duos ex patribus, qui ſuffragia ferrent, totiúſque Concilii vices obirent, placuit. Sed primò tres tantùm electi ſunt, quorũ fuit inde de ſingulis unum, duos, aut tres alios, deindeque omnibus his hoc modo electis eligendi cæteros uſque ad ſupra dictum triginta duorum numerum facultas data. Ex tribus autem illis, ſive, ut appellat Æneas Sylvius [x], *Triumviris*, unus fuit noſter Joannes de Segobia archidiaconus de Villa-vitioſa in Eccleſia Ovetenſi, unà cum Thoma abbate de Dondraina ordinis Ciſtercienſis, & Thoma de Courcellis canonico Ambianenſi, theologi omnes magiſtri.

177. Ab his utique reliqui omnes ſunt electi; quorum è numero ex Hiſpanis fuere (neque extra rem eſt, quum illuſtres literis viros celebramus, eorum hic meminiſſe, qui cum aliis virtute ac meritis exiſtimationeque digni tunc apparuere, quibus de tanta re, hoc eſt de ſupremo eligendo, ut credebant, Eccleſiæ capite, reſtituendiſque Eccleſiæ illibato ſuo decore & antiqua pace arbitrium concrederetur) ex Epiſcopis Otto Dertuſenſis, Georgius Vicenſis, & Ludovicus Viſenſis in Portugallia; ex monachis Benedictinis Petrus S. Cucufatis in Barcinonenſi diœceſi, Antonius Arulanum in Elnenſi, abbates; ex canonicis cum Joanne noſtro Ovetenſi Bernardus de Boſco Ilerdenſis, & Raymundus Albioli Turiaſonenſis Eccleſiarum.

178. Iſti vero omnes Epiſcopi Cardinalatu poſtmodum fuere à Felice V. tunc ab iis electo remunerati. Otto quidem Dertuſanus, cognomento de Moncada, Georgius de Ornis Vicenſis; cujus inſcripti nomine ſermones tres anno MCDXXXVIII. habiti MSS. aſſervantur in bibliotheca Baſileenſi, Spizelio teſte [y], Ludovicus de Amaral Viſenſis, Portugalliæ Regis legatus, de cujus rebus geſtis

[m] Non mea editionis Romanæ anni MDCXLVIII. ſed alterius poſterioris.

[n] Colmenares in *Hiſtoria de Segobia tit. de los Eſcritores*

[o] *Memorial, ò libro del linage de Segovia* nondum publicatum, ut credimus, Pellizeri.

[p] Tomo 2. editionis Romanæ ultimæ col 942.

[q] Errant editiones hujus operis; nam quædam *de Eccleſia Metenſi*, uti & Contelorius in *Cardinal.* at illa quam ſequimur, ex *Hiſt. Pragmaticą* habet *de Eccleſia Ovetenſi*, quomodo & in Pariſienſi ultima Conciliorum fuit excuſum, & apud Panvinium legitur. Retinuit tamen verum Eccleſiæ nomen editio Colonienſis Gymnici an. MDCVI.

[r] *De Regibus Hiſp.* in *Joanne II.*

[s] *Adverſus Alcoran.* conſider. 4.

[t] Vide Marchant in *Flandria deſcript.* lib. 3. in *Joanne Digeano Burgundiæ Duce*.

[u] Baſil. Concilii ſeſſ. 38 §. 3. Æneas Sylvius lib. 2. *De geſtis Concil. Baſileenſis*.

[x] Lib. 2. *De geſtis Baſil.*

[y] In *ſacris bibliothecar. illuſtrium arcanis* pag. 11.

gestis latè atque eruditè pro more suo Antonius Macedus in *Lusitania* egit *Purpurata*[z]. Sed priores duo, quum Felix Eugenio decessit, & sublatum schisma fuit, honore spoliati sunt; tertius jam priùs obierat. Horum trium, & aliorum electorum Hispanorum virtutes Joannes noster in declaratione eorum, quam apud Æneam Sylvium[a] patribus fecit, sigillatim enumerat.

z Pag. 169.

a Lib. 2. De actis Basil.

179. De Segobiensi nostro ut jam dicamus, maximaque in confessu isto privati hominis existimatione & auctoritate, aliquot colligemus data ei ab Ænea Sylvio, qui tunc à secretis erat patribus, & ea quæ vidisset, literis tradidit, summarum laudum testimonia. *Theologiæ peritissimum* primo libro *De gestis Basileensibus* vocat, cùm de responsione ejus ad Nicolaï de Tedeschis, abbatis Panhormitani nuncupati, quandam orationem agit[b]. Deinde. *Inter tot tamen strepitus* (ait[c]) *turbulentasque vociferationes non defuit spectato & optimo viro Joanni Segobio ex gymnasio Salmantino theologo audientia; quoniam & illum Conciliares avidi audiebant, quasi ex suis unum; & alii virtutem hominis, summamque bonitatem etiam inviti venerabantur. Tanta est enim virtuti innata auctoritas, ut etiam in hoste colatur: verumque Virgilianum illud in eo fuit:*
Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum quẽ
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.
Omnes namque, ut assurrexit Joannes, silentium tenuerunt. Ille autem postquam desiderari sua verba cognovit, sic exorsus est &c.

b Pag. in edit. Pragmatica 566.
c Pag. 754.

180. Initio item libri secundi[d], *summâ scientiâ virum* appellat; & quum de datis futuro conclavi, in quo eligendus erat judicio eorum Pontifex, cibariorum legibus refert, *Regidus* (ait[e]) *hujusmodi legum non solùm observator, sed custos etiam fuit Joannes Segobius, qui non aliter violare alienas leges exhortuit, quàm suas proprias apud Romanos Arrius Restio; de quo illud memoriale fertur, cum foris, quoad vixit, postea non cœnâsse, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset.* Idem Sylvius, *venerabili & doctissimo magistro Joanni de Segobia theologo excellenti sanctissimi domini nostri Felicis ad dictam Bituricensem oratori* direxit epistolam, quâ eum de coronationis Amadei, seu Felicis, Basileæ nono Kalendas Augusti MCDXL. peractæ solennibus certiorem fecit. Atque hæc edita est in ejusdem *Pragmaticæ* editione post *Gesta Basileensia*, unde etiam liquet missum eum Felicis oratorem ad conventum Bituricæ in Gallia hoc ipso anno habitum hac re super, ut electionis & Concilii res tueretur; in qua legatione comitem certè habuit alterum ex Trium-viris Thomam de Courcellis Gallum[f]; cujus tamen muneris infelix iis fuit exitus; cùm Carolus Rex VII. eò veniens displicere sibi quæ facta fuerant, Eugenioque veteri Papæ adhærere se velle declaraverit. Planè cuncta ferè gravissimi hujus negotii, sed maximè ambigui, & in quo pro utraque parte & rationes & homines decertabant eximiæ auctoritatis, momenta Reges ejus temporis, pro virili quisque, ad ea quæ utiliora sibi essent, dirigere videbantur.

d Pag. 807.
e Pag. 817.
f Ex elencho Cardin. Conteiani, & Auberio, Oldoino De vitis Pontif. ultima editione Ciaconiana.

181. Destinatus quoque fuit earundem partium defensor cum aliis ad conventum Moguntiæ ab Imperatore indicendum anno MCDXLI. tunc recèns creatus à Felice Cardinalis tituli S. Callisti ut ex Historiæ Basileensis hujus Concilii, quæ auctorem habet Augustinum Patricium Senensem, quamque Philippus Labeus in Parisiensem ultimam Conciliorum editionem contulit, cap. 113. 117. & 118. constat. Cùm enim Bituricis adhuc ageret, creatus fuit Joannes à Felice Cardinalis tituli S Mariæ Trans-tyberim (Augustino Patricio S. Callisti, uti diximus) die XII. Octobris hoc ipso anno MCDXL. Cui quidem honori postea renunciâsse eum comperta res est, cùm discisso schismate Felix & ipse Pontificatui renunciavit, & Nicolaum V. tota acclamavit Ecclesia. *Joannes Segobiensis* (Joannes Nauclerus ait[g], qui hoc ipso vixit sæculo) *homo Hispanus, moribus & doctrina illustris, qui Amadeo Pontifice Cardinalatûs præeminentiam acceperat, & deinde unioni consentiens, à Nicolao Pontif. Max. dimisso Cardinalatûs titulo Cæsareensi Ecclesiæ præfectus fuit, monasterio contentus modico.*

g Chronol. Vol. 3. ad ann. MCDXXXIX.

182. Eadem Æneas Sylvius vetus amicus in *Europa* sua, qui cùm Amadei renunciationis in cap. 38. quod *De Sabaudia* inscriptum est, meminisset, nullum alium ex his, qui ejus electioni se immiscuerunt, quem elogio afficeret, præcipuum habuit, *moribus & doctrina illustrem* vocans, & *qui summos theologiæ præceptores doctrinâ æquaret*. Jacobus Philippus Bergomensis in *Supplemento*[h] Sabellicus Enneadis 10. lib. 3. Franciscus Tarrafa *De Regibus Hispaniæ* in *Joanne II.* & alii. Unde neque Joanni Pinedæ Jesuitæ doctissimo, qui de Joannis nostri rebus quicquam, ut mox dicemus, elucubravit, in dubium verti debuit, an Cæsar-augustæ fuerit antistes factus, Cæsaream de ista urbe intelligenti. Siquidem Cæsareensem Episcopatum ipsi collatum, aliquem nempe ex his, qui ita in partibus infidelium vocantur, prædicti omnes auctores constanter produnt, nec vita solitaria, quam in parvo monasterio, sive, ut ait Tarrafa, in altissimorum Hispaniæ montium secessu, sibi elegit, cum Cæsar-augustanis infulis bene conveniunt.

h Ad ann. MCDXLIII.

183. Quisnam verò hic locus fuerit, tempúsve ejus obitûs, non ita constat; uti planè certum est in privato isto secessu non inutiliter sibi posterisque, ut paullò pòst dicemus, eum vixisse, atque sanctè diem suum obiisse. Quibus evincitur falsum ab aliquo fuisse S. Antoninum, dum Joannem Segobiensem non modò Prædicatorum sodalem credidit, sed & statim ab allectione sua in Purpuratorum senatûs patres, vitâ functum affirmavit. Sed jam ad scripta. Collegit hic.

184. I. *Concordantias biblicas vocum indeclinabilium*; quas post antiquiores Hugonis Cardinalis, qui ad id operâ usus dicitur quingentorum monachorum, *Grammaticas*, & S. Antonii Patavini *Morales concordantias*, quòd hæc indeclinabilium pars deesset à nostro elaboratas, in Germania à Petro de Langendorf, & Joanne Frobenio de

de Hamelburg, præmiſſa dedicatione Joannis Brant ad Joannem Geyler & Keiſerſperg, editas vidit Joannes Henricus Hottingerus, ut ipſe refert in *Bibliothecarii* ſui lib.1. cap.5.ⁱ & MSS. exſtare in Baſileenſis urbis bibliotheca Theophilus monet Spizelius in *ſacris bibliothecarum illuſtrium arcanis detectis* [k].

i Pag. 172.

k Pag. 21.

185. Meminere quidem operis Xyſtus Senenſis, Alph. Ciaconius, Poſſevinus, & diſtinctè magis Michaël Angelus de S. Romulo Franciſcanus in prologo ad *Concordantias ſacrorum bibliorum Hebraicorum* Fr. Marii de Calaſio his verbis: *Joannes de Segobia vir planè doctus, canonicus Toletanus, in Concilio Baſileenſi, cùm ei ante negatam Eugenio obedientiam cura demandaretur cum Græcis diſputandi circa proceſſionem Spiritus ſancti, & ex ſcripturæ patrumque locutionibus illarum præpoſitionum* per *&* ex, *ſenſus omnes & acceptiones eſſent indagandæ, totumque evolveret, & attentiùs legeret Biblicum volumen, omnes dictiones indeclinabiles conjunxit, Gualtero Lonau ſuo ſibi adſtipulante ſacellano, eaſque alphabetario ordine digeſſit; quibus poſtea ſuis locis ſecundum ſyllabicam ſeriem concordantiis declinabilium inſertis prodiere auctiores & locupletiores: ut non immeritò ob hoc, aliaque, quæ receperunt augmenta, in editionibus recentioribus* Concordantiæ majores *inſigniantur*. Hoc ille.

186. Cui Segobienſis operæ neſcio quid additum à Gaſpare de Zamora Jeſuita Hiſpalenſi hoc noſtro ſæculo fuerit, editis Romæ anno MDCXXVII. *Concordantiis ſacrorum Bibliorum, duobus alphabetis, altero dictionum variabilium, invariabilium altero* (ut legitur) *abſolutiſſimis*. Cui fortè obvenit, ob ignotum Segobienſis antea jam exantlatum laborem, quod olim mihi, cùm juvenis in ſcholaſtico pulvere adhuc verſarer, in colligendis *Pandectarum nominibus*, antequam in Antonii Auguſtini abſolutum hujuſce rei commentarium incidiſſem.

187. II. *De proceſſione Spiritus ſancti ex Filio* liber: ad diſputandum cum Græcis, cui rei à ſancta Synodo Baſileenſi deputatus fuerat, ut ipſe inquit in præfatione operis ſtatim laudandi ad D. Joannem Cardinalem de Cervantes, cujus familiaris erat. quod ipſe loco iſto apertiſſimè teſtatum reliquit.

188. III. *De ſumma auctoritate Epiſcoporum in univerſali Concilio*. Ad predictum Cardinalem directus liber in Concilio Baſileenſi, & Joanni de Segobia adſcriptus in bibliotheca urbis Baſileenſis exſtat, auctore laudato jam Spizelio *De bibliothecarum arcanis* [l]. & in regia Eſcorialenſi MSS. librorum.

l Pag. 21.

189. IV. *De actis Concilii* ejuſdem *Baſileenſis* duo volumina eidem noſtro Ciaconius tribuit [m], ſive potiùs auctores *De vitis Pontificum*. Hoc enim modo, nec aliter tutò allegari poſſunt, poſtquam in editione ultima Romana ſic Auguſtinus Oldoïnus cum Ciaconianis ſua confudit, ut quænam hujus, quænam iſtius ſint, niſi collatis prioribus editionibus vix appareat. Habemus hujuſce rei potiorem aliis teſtem Auguſtinum Patricium Senenſem canonicum, qui an. MCDLXXX. Jacobi Amanati ſeu Piccolominæi Cardinalis Papienſis juſſu *Summam Conciliorum* Baſileenſis, Florentini, & aliorum ejus temporis, compoſuit, quæ hodie jam Conciliorum Pariſinæ ultimæ editionis Labbeanæ volumine 13. legi poteſt [n]. *In hujus Summæ capite* 143. *Quæ hactenus* (inquit auctor) *de rebus geſtis Baſileenſis Synodi perſcripſimus, ex longa hiſtoria & maximis duobus codicibus exſcerpſimus, nihil omnino prætermittentes rerum publicarum, ſed ſummariè omnia atque integra fide ſumus proſequuti. Hos quidem codices ipſi Baſileæ vidimus magnâ diligentiâ ut Sibyllarum libros à civibus ſervatos; quorum exemplum à reverendiſſimo domino Cardinali S. Marci, rerum Eccleſiaſticarum diligentiſſimo perſcrutatore nuper habuimus. Horum ſcriptor & auctor fuerat Joannes Segobienſis natione Hiſpanus, qui deinde à Baſileenſibus Cardinalis S. Calliſti eſt appellatus: vir quidem magno ingenio & multa doctrina præditus, & qui in ſua pertinacia uſque ad extremum vitæ ſuæ etiam diſſoluta illa multitudine ſemper permanſit. Camerariatûs officium geſſit.* Hæc Patricius.

m In Felice V.

n Col. 1418.

190. V. *De immaculata Virginis Deiparæ conceptione*. ſive extenſiùs, *ſeptem allegationes, & totidem aviſamenta pro informatione PP. Concilii Baſileenſis anno MCDXXXVI. circa ſacratiſſimæ Virginis Mariæ immaculatam conceptionem, ejuſque præſervationem à peccato originali in primo ſuo animationis inſtanti.* Opus hoc Petrus Alva & Aſtorga Franciſcanus ex MS. Eccleſiæ Hiſpalenſis, cujus exemplum Matriti reperit, aliiſque, ut ipſe ait, Gallicis, & Belgicis, anno MDCLXIV. in folio apud Balthaſſarem Vivien Bruxellis edidit. Duplex quidem opus idem continet, quem deſcripſimus, titulus. *Allegationes* enim ab *aviſamentis* ſeries, ac tenor utrorumque diſtinguit apertiſſimè. *Allegationes* tantùm continet codex Hiſpalenſis, quem è pulvere extractum, D. Petri de Caſtro & Quiñones Archiepiſcopi tempore, Joannes Pineda Societatis Jeſu, vir doctiſſimus, recognovit, notitiaque Joannis Segobienſis auctoris eruditâ locupletavit. *Aviſamenta* verò Pariſiis in Fucana, ut ait, bibliotheca Petrus Alva invenit.

191. Et quidem Segobienſis *Allegationes* has, ut ex prooemio earum conſtat, in conſeſſu PP. oppoſuit *Aſſertionibus* Joannis de Monte-negro, S. T. magiſtri, ex ordine Prædicatorum, & Lombardiæ Provincialis, qui contrà nitebatur. Joanni verò Segobienſi poſtmodum anno MCDXXXVII. Joannes de Turre-cremata ſuum illum *De veritate conceptionis beatiſſimæ Virginis tractatum* repoſuit, qui editus apud Antonium Bladum an. MDXLVII. Romæ fuit. quod in ipſius tractatus par.1. c.8. is admonet, ubi mentionem facit ex adverſo loquuti Segobienſis, cum *Venerabilis S. Theologiæ profeſſoris & magiſtri Joannis de Segobia compatriotæ ſui* elogio. In eodem Concilio Baſileenſi, ut ipſe refert in præfatione jam laudata libri *De proceſſione Spiritus ſancti* ad Cardinalem ſuum Jo. Cervanteſium, plures alios compoſuit *tractatus*, publicas fecit plures *Allegationes*, & inter alias *De materia communionis ſub utraque vel altera tantùm ſpecie*, cum Bohemis diſputans.

192. VI.

192. VI. *De mittendo gladio spiritûs in Sarracenos*. Nempe zelo propagandæ ad Machometanos etiam fidei ardens noster in monasterio illo, quo se inclusisse suprà diximus, vocatis ex Hispania legis Arabicæ magistris (ut Æneæ Sylvii in *Commentario* suo, quem anno MCDLVIII. scribebat de Europæ statu sub Frederico III. Imperatore, verbis utar) *librum, quem vocant* Alcoranum, *& in quo Mahometis pseudo-prophetæ non tam mysteria quàm deliramenta continentur, in nostram linguam de novo convertit, & ineptias ejus veris ac vivis rationibus & argumentis explosit*. Eadem Nauclerus, Bergomensis, Franciscus Tarrafa, & Joannes Eisengreinius, præter noviores. Hunc autem posuisse titulum operi, quod aliàs *contra Sarracenos tractatum* Alphosus Spina *Fortalitii* auctor vocat o, ex eodem libro constat. Nos certè MS. olim vidimus, sed aliqua parte mutilum, penes amicum olim, dum viveret, atque in Ecclesia Hispalensi Portionarii munere fungeretur, nostrum Martinum Vasquium Siruela, virum eruditissimum; cujus operis capitum summarium, quod integrum est, ne totus labor pereat, infrà subjungemus.

o Lib. 1. in 4. examine fol. 13.

193. Prologus ita concipitur: *Præfatio Joannis de Segobia Cæsareensis Archiepiscopi summatim quędam explicantis de lege Machumeti, & avisantis de mittendo gladio spiritûs, accendendoque gladio divini amoris in corda Sarracenorum, & eorum conversionem in sacramenta catholicæ Fidei, à qua multum retrahit eos juxta legem suam Christianis falsò imponentes adoratores esse plurium deorum, quia Patris, Filii, & Spiritus sancti, quos vocant Dei participes, seu socios: ac quòd impossibile est Deum hominem esse. Super his autem describuntur* XL. *considerationes* (in elencho deinde earum describendo, XXXVIII. dumtaxat sunt, deesse tamen videtur aliquid) *insertis intelligentiis duodecim, De mysterio Trinitatis, & de Incarnationis sacramento, septem advertentiis, annexa illis duodecim expositione primæ partis Symboli Athanasii, & bis septem declaratione pręvia, quid propriè sit auctoritas*.

194. Sequitur elenchus capitum quæ summam integri operis continent, isque ut ex veteri scriptura, quomodo potuit, translatus.

195. I. *Consideratio*. *Quòd per divini verbi expositionem intelligendum sit ad conversionem Sarracenorum Episcopis ac doctoribus fidei catholicæ in ea re existimaturis exemplum doctrinamque exsequentibus ejus, quam gentibus insinuandam esse voluit usque ad sæculi consummationem*.

196. II. *Consideratio*. *Explicat bellorum caussas per Sarracenos continuandorum semper in Christianos, manente lege Machometi, id ipsum multifariè, multisque jubente modis*.

197. III. *Consideratio*. *Pro guerrarum cessatione avisamentum continet, si videatur ex parte Christianorum persequendum, ut per confessionem publicam fidei, quæ persępè est de necessitate salutis, defendatur honor Christi, Ecclesiæ, pręlatorumque ejus in omnem partem, sive boni, aut mali sint, in lege Machometi turpissimè diffamatorum, & virtualiter omnium Christi fidelium, qui tanquam legis variatores & idolatrę in ea designantur*.

198. IV. *Consideratio*. *Narratis summariè collationibus nonnullis habitis cum Sarraceno quodam ambasiatore Regis Granatæ, notat quòd sit compatiendum cęcitati Sarracenorum, ex solo defectu intelligentiæ imponentium Christianis plurium adoratores esse deorum, & negantium Incarnationis mysterium, scilicet, quòd multi eorum attentè audiunt sobriè expositam veritatem*.

199. V. *Consideratio*. *Quòd non satis esse putatur ad exponendam fidei catholicæ veritatem Sarracenis mitti duodecim viros, ut Apostolos Christi in paupertate, cùm pro temporalibus caussis ad eos mittantur ambasiatæ magnificæ, & quòd adeptio terræ per eos inhabitatę vi armorum pluries facta hactenus fuit minimè permanens, à tribus annis id ipsum probante experimento in quam multis enumeratis passagiis Christianorum*.

200. VI. *Consideratio*. *Ex effectu ostendit quàm brevi tempore velut infinita multitudine belligerantium exundaverit lex Sarracenorum, cujus indulto semper ac magis augetur: & an deceat pietatem Christianæ fidei illis primum exponere caussas belli, & si, aut quomodo hactenus exstitit factum*.

201. VII. *Consideratio*. *De spe multitudinis convertendę Sarracenorum, eorum lege plurimas quę inseruntur, affirmante veritates catholicę fidei, quantum verò ad mores virtutesque plurimas in Evangeliis contentas persuadente*.

202. VIII. *Consideratio*. *Septenario divisis numero erroribus in Alcorano contentis, duos principales exponit de mysterio Trinitatis & Incarnationis: & quare Machometo non fuit difficile illos introducere sub colore auferendę idolorum culturę, vexantibus adhuc Ecclesiam erroribus Arianorum & Nestorianorum tunc vigentibus*.

203. IX. *Errores describit in lege Machometi contentos, quantum ad legem matrimonii, quam vocat castitatem, quamplurimum laxatis habenis pro saturanda libidine*.

204 X. *Recitat exhortationes, præceptaque multiplicatissima sectæ Machometi, ut Sarraceni pugnas prædasque semper continuent, indulgentiam concedentis plenariam omnibus interemptis, & interemptoribus Paradisi quoque celsiore promisso gradu prę aliis benefacientibus*.

205. XI. *Designat mendosas excessivè laudes libri Alcoran, aliosque multos absque nexu contentos errores*.

206. XII. *Prout in Alcorano describitur, recitat Paradisum ultimamque beatitudinem per Machometum Sarracenis promissam in voluptatibus dumtaxat corporeis, & delitiis consistentem*.

207. XIII. *Consideratio*. *Alloquitur pręlatos Ecclesię, doctoresque catholicę fidei, ut subveniant tam infinitę multitudini hominum Christi sanguine redemptorum, quorum cęcitas manifestiùs agnoscitur ex promissa illis beatitudine, latâ portâ, & spatiosa patente via in divinis eloquiis, ad exponendas veritates catholicæ fidei, errores sectę Machometicę exsufflantes*.

208. Se-

208. Sequuntur intelligentiæ duodecim ad exponendum Trinitatis mysterium proximè pertinentes.

209. I. *Intelligentia ad exponendum mysterium Trinitatis, quòd sicut duplex est loquutio oris & cordis, ita duplex est verbum, ad ejus esse quatuor conditionibus requisitis.*

210. II. *Intelligentia. Quia omnis cognitio est per similitudinem rei cognitæ, quòd cognitio ipsa ab specie rei cognitæ, & intellectu procedens, est magis propria similitudo rei cognitæ, quàm ejus species; quodque omne ens intellectuale agnoscit se per suam propriam similitudinem, ac Deus quoque.*

211. III. *Intelligentia. Quòd Verbum Dei ab eo productum seipsum cognoscente est duntaxat Dei similitudo, non verò creaturarum: quodque non est aliud quàm ipse Deus.*

212. IV. *Quòd licèt Verbum Dei idem sit quod Deus, nihilominus quà est similitudo Dei, imago quoque ejus, quòd inter Verbum Dei & ipsum Deum necesse est intelligi distinctionem, quia Verbum non à se dicitur, sed ab alio, nec imago aut similitudo est respectu sui, sed alterius.*

213. V. *Intelligentia. Quia Verbum Dei, quod est imago, similitudoque ejus, à Deo procedit tanquam vivus à vivente, estque sibi similis omnino, immo id quod ipse Deus; quod igitur processio hæc nativitas dicitur, Deusque Pater, & Verbum verissimè est filius ejus.*

214. VI. *Intelligentia, explicitè declarans quare non verbum hominis vel angeli, sed Dei Verbum dicitur Filius, ejusdem quoque naturæ cum Patre, totam divinam substantiam, omnesque divinas habens perfectiones: & quare nullatenus esse aut dici creatura potest, deque stupore Sarraceni his auditis.*

215. VII. *Intelligentia. Quia inter Deum patrem ejusque Verbum infinitus est amor mystieus ab utroq; procedens, quòd hic amor est Deus Spiritus sanctus; quodque hujusmodi tres, Deus, Verbum ejus, & Amor sint tres personæ coæternæ sibi & coæquales.*

216. VIII. *Intelligentia, commemorans quædam ex prædictis palam facio, quòd necesse* [n] *est intelligere in Deo tres esse personas impermutabilis ordinis, quodque non plures quàm tres.*

n Sic videtur scriptum abbreviatè, ut sensu constet.

217. IX. *Intelligentia exemplariter manifestans quamvis singula proprietatum personas divinas constituentium unum idemque omnino sint cum deitate, nihilominus quòd suam servent rationem alteri comparata proprietati, intelligi facit personas invicem esse distinctas, distinctionem hanc minimè impediente immensitate divinæ essentiæ, sed corroborante.*

218. X. *Intelligentia, explicatione particulari declarans apertiùs constitutionem distinctionemque personarum divinarum, & quomodo longissimè exsidat ratio compositionis ab eisdem habentibus omnimodam similitudinem, æqualitatem, consubstantialitatem, identitatem, atque circuminsessionem, ut una sit in altera.*

219. XI. *Intelligentia apertissima demonstrans ratione, quòd tres divinæ personæ tres Dei esse non possunt, aut tria principia rerum; sed quòd sunt una tantùm & prima caussa, & primum principium.*

220. XII. *Intelligentia, licèt in Filio & Spiritu sancto sit potentia generandi, ac in Spiritu sancto spirandi: quare non potest generari alius Filius, nec spirari alius Spiritus sanctus? & quòd licèt Deus sit omnipotens, non potest alium facere Deum, quia repugnat Deum esse creatum aut factum.*

221. *Conclusio duodecima præcedentium intelligentiarum exponens doctâ speculatione descripta in Symbolo Athanasii, quantum ad mysterium Trinitatis, de quo sentitur quadrifario gradu* [o] *sp. celsiori.*

o Ita scriptum aut super, aut semper, fortè.

222. *Præfatio in septem advertentias de mysterio humanæ redemptionis declarans radicitus differentiam inter auctoritatem & intelligentiam veritatis & quomodo nisi credatur divinis verbis, nunquam intelliguntur, verbis autem hominis quòd non creditur, nisi primò intelligantur; quodque Sarracenis non credentibus auctoribus canonis sacri exponenda sunt mysteria fidei ratione.*

223. *Conclusio duodecim intelligentiarum & præloquium septem animadvertentiarum sequentium.*

I. *Animadvertentia de sacramento Incarnationis. Ad quem finem homo conditus sit suæ conditione naturæ monstrante, quod ad percipiendam æternam beatitudinem debet æternum summumque semper cognoscere & amare.*

224. II. *Animadvertentia, quòd homo factus est à Deo magna perfectus virtute, ut suæ naturæ conditione aptior esset beatitudinem adipisci quàm ab ea deficere.*

225. III. *Animadvertentia, quòd omnis homo veniens in hunc mundum non est talis qualis primus homo fuit à Deo conditus, sed est in dispositione contraria, ad malum inclinatus magis quàm ad bonum.*

226. IV. *Animadvertentia, quòd inclinatio ad malum provenit omnibus hominibus propter peccatum primi parentis Adæ justissimè à Deo eum tota sua damnati progenie, ut, quia cùm in honore esset non intellexit, jumentis compararetur, legi mentis repugnante lege membrorum.*

227. V. *Animadvertentia describens quid peccatum, quidve satisfactio sit; declarat seriositis gravitatem cujusvis damnabilis culpæ, præsertim quæ fuit primi parentis, pro qua nec ipse aut quivis filiorum ejus satisfacere potuit.*

228. VI. *Animadvertentia, quòd ad satisfactionem pro peccato originali decuit divinam pietatem supplere impotentiam hominis, & sic Deum fieri hominem, ut satisfaceret qui debuit homo, & qui potuit Deus: Filius utique, non Pater, aut Spiritus sanctus: & quòd differens sit confessio mysterii hujus per Judæos, Christianos, & Sarracenos. Subjungitur autem lucida speculatione quòd Deus potuit assumere naturam humanam in unitate personæ.*

229. VII. *Animadvertentia, quòd sufficiens, immo & superabundans, pretium fuerit redemptionis humanæ mors spontanea Filii Dei, & quod per maxima fiducia est Christi fidelibus de assequenda æterna gloria; quia sibi datus est Filius Dei; quia & ejus participant sacramenta; quia observant mandata Dei; & quia tenent apud se omnem integritatem divinæ doctrinæ.*

230. *Regressus ad considerationes priores, de Sarracenis specialiter alloquentes.*

XIV. Con-

XIV. *Consideratio. Quòd gentilibus nulla fuit, estque Judæis spes æternæ vitæ, præmaximè autem Sarraecnis divinam multifariè despicientibus doctrinam, & abjicientibus à se disciplinam Domini.*

231. XV. *Quòd nulla etiam spes est Sarracenis divina mandata non observantibus, sed circa illorum quædam erroneè sentientibus, dum eorum secta contraria divinis præceptis quàm persæpè & in magnis casibus jubet.*

232. XVI. *Consideratio nullam spem Sarracenis suffragari; quia nulla habentibus sacramenta specificatis allocutione & confessione in lege Machometi contentis, deque jejunii qualitate omni plena sorditie.*

233. XVII. *Exposito, quid est Jesum dissolvere, ostendit quòd supra omnes alias hæreses Machometi Jesum dissolvit, ejus deitatem omnino negans, necnon mediatoris officium, quod sibimet tribuit Machometus, tanquam semen sit Abrahæ, in quo benedicendæ sunt omnes gentes; & quomodo præteriens redemptionis mysterium commendat dumtaxat beneficium creationis.*

234. XVIII. *Quòd ut sectatores sui viverent in lege naturæ, nec tenerent legem gratiæ, aut Scripturę, profundissimâ nequitiæ usus astutiâ, Machometus finxit, datam sibi fuisse, quam commendat, Abrahæ legem, & quòd Abrahæ divina tribuit Scriptura falsò illorum quædam exponens replicatissimè mandat.*

235. XIX. *Consideratio inserit verba libri Alcoran per Machometum recitata de lege Abrahæ super aliquibus eorum positis glossis vilificantibus textum.*

236. XX. *Exponit, quare in legibus humanis prior ad posteriorem trahitur, non autem è converso; utque videatur si ita est in divina lege explicat substantias differentiasque legis naturæ ad legem Scripturæ, & hujus ad legem gratiæ sub paucissimis verbis declarat differentias.*

237. XXI. *Ostendit quàm à recta ratione exsidet ad priorem trahi posteriorem legem Dei; & declarat speculativis exemplis Christum non solvisse sed adimplevisse Moysis legem; quantaque sit cæcitas apud Sarracenos utentes circumcisione post eam, quam fatentur, adimpletionem fœderis; & quomodo ex divinis Scripturis probari non potest legem aliquam specialem datam fuisse Abrahæ.*

238. XXII. *Quòd legem Abrahæ observandam Machometus præcepit, ut solvat Jesum, negans ipsius excellentias, quarum specificantur quædam; quòdque præsertim negat redemptionis mysterium, judiciariamque auctoritatem Christi, cujus invidiâ Sarraceni audire nequeuntes laudes, quas Christo exhibet Christiana religio, conantur extinguere nomen Christianum.*

239. XXIII. *Quòd laudes de Machometo scriptæ in libro suo sunt quadrifariam; aliæ personam ejus concernentes, aliæ singulariores virtutum actiones; tertiæ quale de ipso, dum viveret, commune fuit judicium, & postremò quæ miracula fuit operatus. Duo prima genera primò exponuntur, quibus innotescit qualis fuit spiritus loquens ad eum, permaximè ex tenore multiplicium, quæ illi fecit, juramentorum.*

240. XXIV. *Consideratione describitur de vita & actionibus Machometi; qualiter pervenit ad principatum, & quid de his constat, teste libro suo, deque probatione Machometo facta per spiritum suum in expugnationibus aliorum, & quomodo illi defecit circa purgationem infamiæ.*

241. XXV. *Præmittens quomodo sæpè Machometus affirmat opera naturæ, artisque & fortunæ miracula esse, notificat decem alias excusationes descriptas in libro Alcorani, quare Machometus non faciebat miracula.*

242. XXVI. *Designat miracula quæ in libro Alcorani facta narrantur, quadruplici differentia inter illa sistente; quia aut tantùm dicuntur confusè, ut intelligentia haberi non possit, aut rationem habent miri seu mirabilis, non verò miraculi, aut dicunt pollicitationem, non autem exhibitionem, aut sunt invisibilia, per homines nusquam visa.*

243. XXVII. *Recitat miraculum unum de septem dormientibus, quod Machometi spiritus sibi attribuit fecisse ad probationem resurrectionis futuræ, illud referens, ut moris sui, cum fabulis multis; quòd vero nulla fides attribuatur verbis Libri subjunguntur dicta quatuor constantia ex ejus tenore, & deducitur specialiter, quòd spiritus Machometum alloquens fuit Belzebub, qui ut suum, ita hominum peccata, Deo tribuit, errore hoc in lege Machometi tanquam pro fide commemorato persæpè.*

244. XXVIII. *Docta speculatione palam faciens quod fuit peccatum Luciferi, caussam refert quare ex lege Machometi tantopere spiritus ejus visus est negare Filii beatissimæ Virginis deitatem ab ipso Lucifero concupitam permaximè: quantùm verùm distet Judicii dies multipliciter primò varians: tandem Machometus exhortatur patienter indurare, quia ejus spatium est quantum quinquaginta millia annorum.*

245. XXIX. *Inquirens facti caussas, quare Machometi secta tam in brevissimo tempore convaluit, utrùm ratione legis fuerit principatus Sarracenorum, sive è converso: ostendit ex auctoritate Machometi totam ipsam pendere legem in his sistentem verbis duobus, quòd Deus est unus, & quod Machometus est nuncius ejus; quodque in collationibus utrimque habendis per Christianos agendum est ut Sarracenis probatio omnis incumbat Machometum Dei fuisse prophetam.*

246. XXX. *Consideratio commemorat viginti & unam rationes, quæ pro magna parte haberi possunt ex lege Machometi. Quare secta ejus acceptata fuit, accepitque, & accipit in dies multiplicationem, quarum ultimæ septem, ut quibusdam videri possit, pungunt magis.*

247. XXXI. *Consideratio explicat seriò responsionem primarium quatuordecim rationum, notificans qualitatem dogmatis Machometi, & quomodo bona ex gratiæ opera absque recta fide non valent, quodque manifestè reperitur acceptio personarum in lege Machometi, peccata, quamvis minima* [p], *aliis verò suis cultoribus etiam maxima, non imputante.*

248. XXXII. *Consideratio respondet, quatuor ex septem rationibus ultimis allegatis, quare secta Machometi continuò mansit in majori propagatione, & quòd magna dignum est admiratione quomodo id sit factum absque gloria martyrii Christianorum inter rationes alias, quia putatum est non cōtrariari* [q] *doctrinæ Evangelicæ, quam*

[p] Immo, peccata, quamvis minima aliis, suis verò cultoribus etiā maxima &c.

[q] Sic legitur.

præ cæteris Sarraceni odio habent; & quare non est apud eos multitudo librorum divini aut juris humani, aliaque multa referantur.

249. XXXIII. *Consideratio ad tres ultimas respondet quæstiones. Quoniam verò major est victoria Sarracenorum, quò major illis succedit victoriarum prosperitas, opportunè illis subveniendum esse. Et quòd terrore belli vix aut nunquam infidelium fit conversio, sed exhortatione doctrinaque; super quo narrantur exempla ex libris Regum, & de Bohemis tempore nostro. Item specificantur multæ rationes quare ab initio per Ecclesiam non* [r] *tam fuit diligentia pro secta Machometi reducenda, sive exstirpanda tanquam hæresi.*

[r] Forsan facta fuit.

250. XXXIV. *Consideratio epilogationem addendo designat modos quatuor, quibus cogitari potest de conversione Sarracenorum, vel aliàs de subversione sectæ Machometicæ; explicans minùs convenire duos primos, vel nulla interveniente diligentia Christi fidelium, exspectando à Deo fieri miraculum, vel mittendo prædicatores, nullo consensu habito illorum.*

[s] An subversionem.

251. XXXV. *Consideratio de via belli tertia pertractat, si gladio anathematis sunt feriendi Sarraceni, specificatis constitutionibus quatuor, à quibus excludit sententia excommunicationis. De responsione ad bellorum caussas eos moventes in Christianos pluribus parte hac se offerentibus. Quodque Machometus, ut placeret Arabibus, præcepit, velut essent à Deo, prædas, quibus ab initio intenderunt, & hoc probatur.*

252. XXXVI. *Consideratio multifaria ratione arguit Sarracenos adoratores esse principis mundi hujus, cujus nuncius fuit Machometus, si non confiteantur alium esse creatorem mundi, alium eorum legislatorem. Explicantur autem* XII. *in quibus vera religio consistere nequit, & quomodo Belzebub quando peccavit ab initio, phantasma proprium arbitratus fuit esse Deum.*

253. XXXVII. *Consideratio prosequitur quartum membrum, quòd opportunum sit per modum tractandæ pacis intendere ad conversionem Sarracenorum, severitati parcendo ob multitudinem eorum, ignorantiamque ipsorum instruendo, & sic notitiâ veritatis uniendo animos, violenta pace nunquam firma manente. Cùm verò eadem sint principia essendi & conservandi, quamvis hoc Machometi secta non servat, quod decet religionem Christianam, uti originem accepit per verbum Dei vivi, sic semetipsam cōtinuare, & sibimet subdere orbis nationes, talibus armis sibi concessis.*

254. XXXVIII. *Consideratio, quia per Dei verbum generantur filii ejus, abjiciendos fore Sarracenos ex hac permaxima dignitate, ex cujus declaratione intueri possunt felicitatem eis promissam non esse veram; & quòd intelligendo participes, sicut lex accipit eorum, Christiani non sunt reputandi increduli. Respondeturque ad rationes legis eorum, negantes Deum habere filium, Christianis secundum intellectum eorum etiam negantibus Deum non assumpsisse personam hominis.*

255. Desunt, ut videtur, summaria duarum *Considerationum*, tricesimę nonę & quadragesimę, si error non est in numero isto in capite seu prętatione operis assignato.

256. Circa hanc, de qua suprà diximus, Alcorani conversionem ex Arabico in Latinum sermonem, observatione non indignum est Petrum Toletanum, sive Robertum Ketenensem Anglum, jussu Petri Cluniacensis abbatis in Hispania tunc morantis circa annum MCXXX. priorem aliam fecisse, aut forsan duas Alcorani translationes', quibus habitis Petrus ipse Cluniacensis opus suum adversus hanc sectam scripsit. Sed cùm translatio Ketenensis, quę exstat, plures defectus habeat (de quo jam nos in Petro Toletano lib.8. cap.5. aliqua) desiderandum esset alterius hujus interpretis conversionem prodire in lucem integram; cujus Suratta prior cum Roberti & Hermanni interpretatione edita est, ait Huetius, adjungens: *quæ an Joannis Segobiensis, alteriúsve sit, aliorum esto judicium*. Hęc ille posteriore libro *De interpretatione*.

257. Exstat quidem inter Vaticanos codices MSS. is qui numero 2923. signatus est, cujus, quia ad hoc Segobiensis nostri opus pertinet, descriptionem quandam facere lubet. Incipit scriptura: *Reverendissimo in Christo patri & venerandissimo domino domino Ecclesiæ Cardinali Senensi, præceptori ac specialissimo benefactori suo*. Deinde post nuncupationem: *Omnimoda cum humilitate* &c. subscribitque epistolę huic sive prologo. *Servitor ac supplex discipulus Joannes de Segobia Cæsarcensis Archiepiscopus*. Data epistola fuit: *ex prioratu Esthon, Manzianensis diœcesis .... Maji anno MCDLVIII.* Epistola longiuscula est ad Cardinalem Senensem, quem Franciscum Ammanatum intelligas, Cardinalem Senensem vulgò appellatum. In fine est *Summarium capitulorum in epistola contentorum*. Sequitur folio 35. responsio ejusdem Cardinalis ex Inspruck XXIX. Decembris. Subscribitque filius N. Cardinalis manu propria. Sequitur folio 39. alia epistola ad quendam, ut apparet, Ducis Burgundię subditum, quem refert scripsisse adversus Alcoranum quoddam opus sermone vernaculo, jussu ejusdem Ducis, quod transferri in Latinum idem præceperat; gratulaturque ei quòd eâdem, atque ipse, curâ distineretur. Refert item ei Cardinalem N. mandâsse ad se librum quem ediderat *De pace fidei habenda cum Judæis, Sarracenis, Arabibus, Persis, Armenis, & multis aliis discedentibus à Christianæ religionis cultu*, &c. Tum opus sequitur, quod ipsum idem esse cum superiùs laudato existimamus. Folio tamen 145. inscriptum legitur: *Allegationes libri Alcorani de peccatis primi parentis facientes mentionem*. quam epigraphen non vacat nunc cum summariis jam suprà positis conferre. Folio item 157. *ex plurimis in ea contentis primi errores legis Machometi excerpti de libro legis ipsius Alcorani nominati*. Et 164. *Tituli documentorum & speculativorum inquisitionum*. Et folio 186. *Præfatio Joannis de Segobia Cæsar. Archiepiscopi in translationem noviter editam ex Arabico in Latinum, vulgaremque Hispanum, libri Alcorani per Sarracenos reputati legis divinæ*, &c. Cujus præfationis exemplum penes me habeo ex laudato codice excerptum.

258. His iisdem cum Basileensibus patribus

tribus Romanæ controversię immiscuit se,& conatus fuit calamo Eugenii Papæ tueri partes JOANNES DE CASA-NOVA, quem *Theologum* vocat *insignem* Alphonsus Ciaconius in *De Vitis Pontificum & Cardinalium* sub Martino creatorum volum. 2. pag. 864. Unde novimus Aragonensem hunc patriâ fuisse,genere nobili, & sodalem Dominicanorum Barcinonensium ab anno hujus sęculi tertio.Cùm ad confessiones sacramentales Aragoniæ Regis (Alphonsi Magni ut credimus) audiendas deligi meruisset in juvenili adhuc ætate, evocatus fuit Romam ad magisterium sacri Palatii administrandum, quo tempore, flurente Basileensis Concilii æstu, scripsit adversus hunc conventum

259. *De potestate Papæ supra Concilium*, aliaque multa, ut ajunt, theologicæ doctrinæ. Factus è Magistro sacri Palatii Bosanus in Sardinia, mox Elnensis in Catalonia, Episcopus, octavo tandem Novembris die anni MCDXXX. à Martino V. obtinuit annumerari patribus purpuratis, quamvis ab Eugenio post quinque menses pileum receperit. Decessisse eum fama est primâ Martii MCDXXXVI. Florentiæ, aliàs Barcinone; quorum prius è monumentis Vaticanis, & cœnobii S. Marię Novellę Florentię urbis constare ait Ciaconius; inde tamen corpus ejus ad Barcinonensem Dominicanorum domum non diu postea translatum fuisse.

260. Patribus autem Concilii Basileensis, aut saltem iis qui gestis in eo rebus se immiscuerunt, annumerandus etiam venit ANDREAS DE ESCOBAR Benedictini ordinis, Megarensis Episcopus. Ita enim legitur inscriptus duplici commentario, quod in bibliothecę Vaticanę codicibus 4067. & 4117. cum aliis de Basileensi Concilii rebus, continetur. Primum est

261. *Tractatus copiosus contra quinquaginta Græcorum errores, sanctissimo domino nostro Eugenio IV. legitimo & indubitato Pontifici....... intitulatus, de Græcorum errantibus, & ipsorum erroribus*. Incipit: *Tractatus optimus in nomine Domini Jesu Christi à paupere Episcopo Megarensi ordinis S.Benedicti in theologia magistro Andrea Hispano de Scobar compositus & collectus, &c.* In fine repetit: *Tractatus iste de Græciæ errantibus ad studium juris Ecclesię valde utilis & necessarius completus fuit & recollectus ex multorum doctorum thesauro anno Domini nostri Jesu Christi MCDXXXVII. die xv. mensis Decembris Bononiæ.*

262. Hic ille annus fatalis fuit Ecclesiæ paci, quo postquam dissidentes Eugenius IV. Pontifex & Basileenses Patres, nullo modo convenire potuerunt in idoneo aliquo Italiæ loco, Græcis Episcopis,quò cum nostris concurrere possent, communibus votis designando; res eò tandem fuit deducta, ut Eugenium Basileam vocatum, nec venientem, Basileenses tanquam contumacem declaraverint, unde prætensa deinde exauctoratio fuit sequuta. Tunc temporis Bononiæ aderat Andreas noster, ut vidimus, ubi & Eugenius. Inde forsan & aliud emisit opus hujus tituli, quod codex Vaticanus 4117. manu exaratum servat: *Gubernaculum scilicet Conciliorum per dominum Andream Episcopum Magorensem* (lege *Megarensem*) *editum, & domino patri & domino Cardinali legato transmissum.* Incipit: *Ad perpetuam Conciliorum generalium memoriam, & ipsorum reformationum facienda- rum ac statutorum in ipsis ordinandorum avisamenta nonnulla corrigenda, addenda, minuenda per vos pater, reverendissime domine Juliane de Cæsarinis tit. S. Angeli Cardinalis dignissime, & nunc in sacro Concilio de consensu universalis Ecclesiæ catholicæ, & sanctissimi domini nostri Papæ Eugenii IV. præsidens, justissimè tibi stabo t tractatum præsentem*, &c. t Forsan dabo.

263. Quod quidem scriptum ad eum fuisse datum anno circiter MCDXXXI. quo ab Eugenio IV. datæ Juliano partes fuere ut Basileensi Concilio pręesset u, existimare possumus, eò quòd in fine scripta hæc notula sit, diversæ quidem manus, sed ejus antiquitatis quam ipse præfefert, nempe: *Hunc librum emit magister Joannes de Turrecremata Basileæ anno MCDXXXII. Martii decimâ*. At hoc opusculum potuisset utique conciliaribus aliis adjungi, quæ Philippus Labbeus & Gabriel Cossartius, Jesuitę doctissimi, in *Apparatu ad sacrosancta Concilia* novæ luci edidere. u Raynaldus hoc anno,num. 17.

264. Idem, ut credimus, Andreas Hispanus est cujusdam tractatus *De decimis* auctor, qui in magnę collectionis *Tractatuum doctorum*, voluminis xv. partem secundam conjectus fuit.

265. Necnon & alterius commentarii *De forma & modo confitendi peccata sacerdoti*, qui sub nomine *A. Episcopi Megarensis* Daventriæ MDIV. in 4°. atque item sub *Andreæ Hispani* Argentorati MDVIII. excusus fuit. Andreæ Scobaris *Lumen confessorum* MS. exstat in bibliotheca Ambrosiana. Legimus apud Possevinum *Antidotario animę* Nicolai abbatis de Bogardis præfixum, Norimbergæ, ut credimus, apud Hieronymum Holsel MDVIII.

266. In bibliothecæ Antonii Augustini Tarraconensis antistitis catalogo Andreæ de Dati Hispani Episcopi laudatur tanquam in ea servatus liber hujus tituli: *Quædam notabilia deprompta ex libro inscripto*: Lumen confessorum, *De restitutione*: quæ aut nostri Andreæ sunt, aut ab ejus hoc opere per alium excerpta. Attamen idem nuper laudatus Possevinus ex uno tres Andreas fecit, primum Hispanum, Benedictini ordinis Episcopum Megarensem, deinde Civitatensem, mox Ajacensem, postremò Cardinalem ac Pœnitentiarium & decretorum doctorem, ut ipse de se fateri ait in nuper dicto *De modo & forma confitendi* tractatu: quod totum confirmatum adjungit (id quod certum est) à Joanne Trithemio lib. 2. *De viris illustribus S. Benedicti* cap. 136. & lib. 4. cap. 43. Secundum Andream Hispanum, cui iterum tribuit eundem tractatum: tertiumque Andream Megarensem Episcopum, cujus tractatum de Græcis errantibus, & item alterum, *Gubernaculum Conciliorum* nuncupatum, manu exaratos, & in bibliotheca Sirleti, quæ fuit mox Ascanii Cardinalis Columnæ, exstantes lau-

dat. Nos pro eodem habemus; nec tamen Cardinalem aliquando fuiſſe creatum admittimus; cùm ejus creationis nuſquam habeatur mentio, neque Trithemius, neque Arnoldus Uviou, aut ex his Balthaſſar Porreñus de Cardinalibus Hiſpanis agens, quando, ſive à quo Pontifice creatus is fuerit, exprimere potuerint. At ſi Epiſcopus Civitatenſis fuit, quod ad Hiſpanam Eccleſiam non facilè referimus, videtur idem eſſe auctor cujuſdam commentarii, quem reperiri inter MSS. libros theologicos Baſileenſis bibliothecæ docet nos Theophilus Spizelius in *Sacris bibliothecarum illuſtrium arcanis retectis* [x] cum hac epigraphe: *Civitatenſis Epiſcopi Chronica recollectio 24. ſchiſmatum in Eccleſia factorum à tempore Felicis II. anno CCCLIV. uſque ad Benedictum XIII. anno MCDXVII.* in folio.

x Pag. 29.

CAPUT V.

JOANNES EXIMINI CERDAN *Juſtitia, ut vocant, Aragoniæ regni, juriſconſultus.* PAULLUS DE S. MARIA *Burgenſis Epiſcopus. Quædam de ejus genere, dignitate, rebus geſtis, habitiſque in matrimonio filiis. Additiones ejus ad Nicolai Lyrani* Poſtillas, *&* Scrutinium Scripturarum, *quædamque ejus nomen præſeferens hiſtoria.* ALVARUS GARSIA DE S. MARIA *ejuſdem Paulli filius.* ALPHONSUS DE ALPHAMA *Carmelitarum ordinis.* EDUARDUS *Portugalliæ Rex.* THOMAS MIERES *Gerundenſis.* JOANNES FRANCES *&* JOANNES FRANCES BOSCAN *hiſtorici Aragoniæ regni.* MARTINUS DIDACI DE AUX. JACOBUS ROIG *Valentinus poëta.* ANONYMUS *ſcriptor vitæ Ferdinandi Portugalliæ Infantis Septæ in captivitate martyris. Hic forſan eſt* JOANNES ALVARES, *qui de eodem argumento ſcripſit.* HENRICUS *Infans Caſtellæ magiſter ordinis S. Jacobi.* PETRUS *Portugalliæ Infans.* JACOBUS MARQUILLES *juriſconſultus Catalanus.* GUNDISALVUS GARSIA DE S. MARIA *Paulli Burgenſis Epiſcopi filius. Ejus geſta & ſcripta.*

267. AB anno proximi retrò ſeculi nonageſimo, uſque ad hujus viceſimum tertium, ſumma illa poſt Regem poteſtate Juſtitiæ, ut vocant, Aragoniæ, functus fuit JOANNES EXIMINI CERDAN, Dominici Cerdani filius, cui in magiſtratu ſucceſſit, cùm fiſci advocatum priùs egiſſet. Huic laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, in agendo induſtriam, in conficiendo maturitatem, ac in præcavendo conſilium, inter alias dotes & innumeras laudes, Hieronymus Blancas, clariſſimus Aragonenſium rerum poſt Suritam hiſtoricus, de rebus ejus geſtis, in commentario de iis & elencho Juſtitiarum attribuit. Cui tandem muneri ceſſit, ne Alphonſi Regis ſecum irati majorem adhuc indignationem provocaret.

268. Vixit tamen ſub aliis tribus Juſtitiis. Anno enim quinto ſupra triceſimum Martino Didaci de Aux, qui Franciſco Zarzuelæ, qui Berengario Bardaxino, qui noſtro Joanni ſucceſſerant, nobilem ſcripſit paullò ante mortis tempus epiſtolam maximarum rerum plenam, & interdum etiam jocoſam, in qua ſeriem, immo hiſtoriam cōprehendit omniū qui ante ſe hunc magiſtratum geſſiſſent; quę licèt abſque temporum deſignatione, atque ideo non ita luculenter hoc argumentum pertractaverit; ea tamen unica ad illum diem genus hoc ſcribendi ornavit, dignaque viſa eſt, quam publicarum legum volumini earundem compilatores annecterent. Diſertè, ut ſolet, de hac atque ejus auctore Cerdano laudatus jam Hieronymus egit Blancas, cui epiſtolæ, & alter Hieronymus Surita lib 8. cap. 38. ornatiſſimum præcipuæ fidei teſtimonium perhibuit. Necnon & in *Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus geſtarum* ad annum DCCCXLIV.

269. Exſtat hujus temporis Hiſpana interpretatio Valerii Maximi, addo & Lucani, niſi ſefellit nos qui vidiſſe librum affirmavit ſic notatum: *Eſte libro de Valerio Maximo eſcrivio Diego de Lobrañan, criado de Alfon Gonzalez de Leon contador del Rey, por mandado del dicho Alfon Gonzalez, en la muy noble ciudad de Sevilla, año del Señor de MCDXXXIV. años.* In eodem volumine ſe vidiſſe Lucani etiam verſionem idem nobis aſſeruit.

270. Eodem hujus ſeculi anno triceſimo quinto, ætatis ſuæ octogeſimo tertio, diem vidit extremum magnus ille, quem de Hebræorum obſtinatione Chriſtiana fides triumphum reportavit, PAULLUS à patria urbe BURGENSIS dictus. Proſapiam hic referebat inter Judæos Hiſpanos ad Leviticam tribum, quod innuit ipſe alicubi [y], dum verba illa *Tribui Levi non mandata eſt poſſeſſio, quia Dominus eſt poſſeſſio ejus*, ad Alphonſum filium ſermonem dirigens, ſibi & ſuis attribuit. Filiorum jam aliquot parens, egregieque in literis philoſophorum ac theologorum inſtructus, eminentiſſimuſque inter legis Moſaïcę magiſtros habitus, lecto, ut fama eſt [z], S. Thomæ doctoris angelici *De legibus* tractatu, quæ Summæ pars eſt theologicæ, divinoque illuminatus veræ lucis radio, collegit prudens in tenebris ſeſe ad illum uſque diem ambulâſſe, neque ullam aliam præter Chriſtianam legem in via ſalutis ſectatores ſuos dirigere, atque tunc primùm *de portis mortis* (juxta pſalmum [a]) *fuit exaltatus, ut in portis filiæ Sion*, ſeu in judicio natæ de Judaïſmo Eccleſiæ, omnes Dei laudationes annunciaret. Cujus converſio innumeros ejuſdem originis viros & mulieres, exemplum tanti apud eos viri ſequutos, ad Eccleſiæ gremium pertraxiſſe dicitur.

y In dedicatione *Addition. ad Nicolaum Lyranum.*

z Garibay lib. 15. cap. 48. Bellarminus & Labbeus *De ſcriptor. Eccleſ.*

a Pſal. 9.

271. Poſtquam verò unà cum filiis, matre, & fratribus, in Eccleſia Burgenſi anno ætatis ſuæ quadrageſimo, ſæculi autem ſuperioris nonageſimo, ſectæ ſuæ ſacro lavacro exceptus renunciâſſet, cognomento ſibi SANCTÆ MARIÆ cooptato, ut indicaret ad Leviticam deiparæ genitorum familiam originem familiæ ſuæ pertinere [b], Chriſtianiſmi quàm optimè inſtruendus myſteriis, Pariſios uſque veniſſe dicitur, ibique doctoris pileum ſuſcepiſſe,

b Notat Fernandez *Annales de Placencia* lib. 1 cap. 27

pisse, postmodumque in Romani Pontificis Avenionensi curia eximiam ab habendis ad populum sacris concionibus laudem ac meritum reportasse. Nactus interim in eadem Burgensi Ecclesia eum, quem *de Treviño* vocant, archidiaconatum, Carthaginensi paullò pòst Ecclesiæ præficitur, indeque ad Burgensem translatus, in celsissimo dignitatis, & apud Henricum III. & Joannem II. ejus filium Castellæ ac Legionis Reges existimationis & gratiæ fastigio usque ad mortem positus, vixit.

272. Prioris quippe horum electione nominatus fuit ex his unus, qui supremam ejus, cùm fato functus esset, voluntatem exsequi deberent, necnon & inter eos, quibus Joannis filii, nondum biennis, custodiam usque ad pubertatis annos habendam commisit, quem & Cancellarium, ut vocavit illa ætas, majorem ejusdem principis jam creaverat. Ad hæc Ferdinandus Infans, defuncti Henrici Regis frater, & Joannis ex eo nepotis tutor, anno hujus sæculi XI. Aragoniam profecturus ad capessendum regni hujus sibi delati regimen, eundem Paullum cum aliis regiam vicem ejus gesturis delegit [c]. Erat quippe magni consilii, profundæque vir prudentiæ, ac secretorum retinentissimus; quas ejus dotes cujusvis boni ac prudentis Regis demerendæ gratiæ valdè opportunas, Ferdinandus Petri Guzmanius, Joannis II. chronographus, disertè in elogio ejus commendat [d].

273. Planè in hujus historia frequens, & quoties de comitiis omnium regni statuum agitur, præcipua mentio nostri habetur. Cujus utique gloriç accessit quòd pares sibi sortitus est filios olim in matrimonio procreatos, Gundisalvum scilicet Placentinum & Seguntinum præsulem [e], qui Constantiensi Concilio Alphonsi Aragoniæ Regis legatus interfuit; Alphonsum, quem in Burgensi Pontificatu successorem vivus habuit [f], eundemque Concilii Basileensis maximum ornamentum; Alvarum Garsiam de Sancta Maria rerum Joannis Regis ex parte scriptorem. Petrum quoque de Carthagena, cujus & hastiludii ab eo Burgis coram eodem Rege fortiter depugnati Ferdinandus idem Guzmanius in *Historia Joannis* meminit [g]. Cùm verò Ecclesiç suæ Burgensi per vicennium præfuisset, quo locum daret Alphonso filio, huic muneri renunciavit, Aquilejensi suscepto Patriarchatu; quod quidem ab æquali scriptore, & qui ejusdem Alphonsi Episcopi familiaris fuit, proditum [h], ita interpretari debemus, ut datum fuerit ei hoc munus titulo tenus; cùm in catalogo Patriarcharum hujus Ecclesię [i] nulla legatur Paulli Patriarchæ memoria. Quam quidem renunciationem, dum haberetur Basileæ Synodus generalis, ibique Alphonsus degeret, factam, ex eo credimus quòd in historia toties laudata tunc cùm Ecclesiarum Compostellanæ, ac Segobiēsis decanum tantùm ageret, eò missus cum aliis Joannis Regis referatur legatis; in libris verò de ejusdem Concilii gestis Æneæ Sylvii, Burgensis Episcopus, quoties occurrit de eo loquendi occasio (& occurrit sæpiùs) appellatur.

c Hist. eadem Joann. II. cap. 165. anno XI.

d In libello Generaciones de los Reyes cap 26.

e Anno XIX. cap. 272. anno XXI. cap. 314. anno XXV ca. 68

f Ibidem.

g Anno XXV. cap. 68.

h Anno XXXIV. cap. 243.

i Italiæ sacræ tomo 5. in principio.

274. Sed ne sacrarum Scripturarum exquisitæ suæ, quâ pollebat, doctrinæ in Hebraïcis fontibus haustæ fructum invidisse posteris videretur, & *Postillas* (sic illa ætas de Latinis lusit vocabulis) Nicolai Lyrani, ejusdem originis viri, Minorumque ordinis clarissimi sideris, ad omnes veteris ac novi Instrumenti libros perpetuas fundamentum vigiliis suis biblicis delegisset, elucubravit ipse

275. I. *Additiones notabiles ad has Postillas Nicolai de Lyra in totam Scripturam*. ad Alphonsum filium, de quo nuper loquuti sumus; quibus corrigere nonnulla, & supplere alia postillatoris sese commodùm posse existimavit. Et hę quidem additiones cum iisdem *Postillis* editæ leguntur, prçcipuè in editione Lugdunensi anni MDXC. & eis, quç sequutę sunt, *Bibliæ magnæ cum scholiis seu glossis diversorum*. Attamen & simul prostant subjectę Paullinis additionibus portiones ex *Defensorio Lyrani*, quod Matthęus, aliàs Matthias Doringus, seu Toringus, ejusdem sęculi Franciscanus sodalis, provincięque Saxonię minister, pro Lyrano decertans contra Paulli Burgensis additiones, composuit, parum modesto usus titulo, & ut Averroïs contra Argazelum stylum imitaretur, *Correctorii corruptoris Burgensis*. Tribuuntur & Paullo

276. II. *De cœna Domini* liber. Necnon & alius

277. III. *De genealogia Jesu Christi*.

At majoris operę est, & clarius, in eoque genere, quod contra Judęos Evangelii tuetur fidem, opus prçstantissimum, quod sequitur,

278. IV. *Scrutinium* scilicet *Scripturarum*. aliàs dialogus, quem hoc nomine laudat *Fortalitii fidei* auctor, quòd dialogus verè sit, duobus libris continuatus, quorum prior est polemicus contra Judæorum errores, dialogistis *Saulo* & *Paullo*; hoc est, Hebræo, & ex Hebręo Christiano; posterior autem didascalicus inter magistrum Joannem & discipulum: quo primus secundum instruit de iis quæ discipulus in scrutinio Scripturarum mira, declarationeque digna reperisset. Hujus operis editio princeps in Sapientiæ Romanæ bibliotheca est, Mantuana scilicet apud Joannem Schallum MCDLXXV. in folio. Aliam habet bibliotheca quæ fuit Lucæ Wadingi Romani Franciscanorum Hibernorum collegii, absque tamen loco & anno, bene antiquam. Huic notam apposuit typographus hujus hexastichi non parum arguti sensus:

Anser Tarpeji, custos Jovis, unde quòd alis
Constreperes, Gallus decidit, ultor ades.
Udalricus Gallus, ne quem pascantur in usum
Edocuit, pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die quantum non scribitur anno,
Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.

Tetrastichon Joannis Antonii Campani est in celebrem tunc temporis typographum Udalricum Han, qui Romam hanc artem ex Germania detulit, Jacobo Wimphelingio teste, in *Epitome rerum Germanicarum*, quem laudat Jacobus Metelius *De vera typographiæ* origi-

origine parænesi [l]. Distichum verò ultimum suis editionibus veluti notam infigere Udalricus is consuevit.

279. Hunc dialogum à Paullo compositum post additiones ad Lyrani postillas anno Christiano MCDXXXIV. ætatis suę LXXXI. hoc est paullò ante mortem, docet inscriptio jam laudatæ Udalrici Galli editionis. Recognitum verò ac restitutum à Christophoro Santotisio Augustiniano ejusdem Burgensis urbis, adjunctâ etiam Paulli Vitâ, fideliter ex vetustissimis historiis, ac ipsiusmet Patriarchæ scriptis collectâ, Burgis prodiit ex officina Philippi Juntę anno MDXCI. Servari autem hos libros omnes manu auctoris exaratos, sive, ut ajunt, originales, in cœnobio Dominicanorum S. Paulli ejusdem urbis, quod ipse sumptibus suis non parùm ampliavit, Ægidius Gundisalvi Davila in *Theatro Burgensis Ecclesiæ* prodidit.

280. Sed & vernaculæ opus linguæ, sive verè sive falsò, ei tributum observavimus. Exstat quippe à nobis visus codex MS. cum hoc titulo:

V. *Suma de las Coronicas de España, hecha por el christianissimo y gran varon el Obispo D. Pablo*. Principium tale est: *Los que escrivieron el departimiento de las tierras*. In fine, post absolutum Chronicon, nomen suum transcriptor iis verbis subjecit, quæ nisi de auctore jam ab initio ipso nos docuisset, ambiguum relinqueret, ipsine deberemus an alii adscribere [m]. *Hic liber* (ait Latinè loquens ex Hispano) *scriptus in nobili urbe Burgensi, Castellæ capite, & absolutus Septembri mense anno Nativitatis Dominicæ MDLXXI.* (immo MCDLXXI. ut mihi stylus persuadet proprio idiomate ad oram videndo) *quem librum cum consilio, advisatione, & auxilio divino scripsit Ferdinandus Martinez de Burgis notarius olim publicus ejusdem urbis, qui quidem* [n] *Jo. Martini obiit sodalis in monasterio S. Dominici de Benfica non longè ab Ulyssipponensi urbe in Portugalliæ regno*. Deficit historia in Ferdinandi Castellæ Infantis in Aragoniæ Regem electione, qui fuit hujus sæculi decimus tertius. In qua id ante alia singulare, notaque valdè dignum est, quòd Bernardi de Carpio fortissimi viri res gestas, non ut cæteræ historiæ nostræ, Alphonsi Casti, sive secundi, sed Alphonsi tertii, sive Magni, regno æquales collocat.

281. In bibliotheca locupletissima Raphaëlis Fricheti Fresnæi Galli, cujus catalogus in manibus omnium est, MS. similiter fuit, *Compendio de la Chronica del Obispo D. Pablo, que trata de las cosas de España desde el año de trecientos y quarenta y tres hasta mil y quatrocientos y cinquenta y quatro*. Quam quidem, sive eandem cum superiore historiam, sive deductum ex ea compendium, aliquot annis, à decimo tertio usque ad quinquagesimum quartum, locupletavit aliquis, Alphonsus forsan Paulli filius, qui biennio pòst obiit. Paullus enim qui potuit huc pertingere, ante vicennium fato functus? Clarissimus verò dignitate vir, doctrinaque, & cunctis virtutibus sacro antistite & consiliario regio dignis, atque item liberalitate & munificentia in pauperes, & pia alia opera, quorum memoriam historici nostri literis suis ad posteros transire fecerunt, obiit tandem Burgis in sede sua Augusti die XXIX. anni MCDXXXV. ætatis suæ LXXXIII. sub inscriptione ista tumulatus in majori cappella cœnobii S. Paulli ejusdem urbis:

Hic quiescit corpus reverendissimi patris
Domini Paulli miseratione divina Episcopi
Burgensis, magistri in theologia, archicancellarii,
Atque consiliarii sereniss. dom. nostri Regis
Joannis hujus nominis secundi. Qui venerandus
Pontifex hanc Ecclesiam cum sacristia &
Capitulo suis sumptibus ędificavit, additiones
Ad postillam mag. Nicolai de Lyra, & librum
Qui dicitur Scrutinium Scripturarum, *ad fidelium*
Eruditionem, & infidelium impugnationem
Composuit. Et post hæc, & multa alia opera
Liberatus de corpore mortis hujus profectus est ad
Omnipotentem Deum senex & plenus dierum
xxix. Augusti anno Dom. MCDXXXV. ætatis verò
Suæ LXXXIII. clementia divina illum in gloria
Sua collocare dignatus. Amen.

282. Huic Paullo unum ex filiis ejus conjungimus, quòd incertum sit nobis, quo potiùs loco sit laudandus, ALVARUS GARSIAS DE SANCTA MARIA is est, cujus in referenda summi viri mascula prole nuper meminimus. Quem Joanni Regi Castellæ à secretis fuisse, & Joannis Infantis, Ferdinandi & Alphonsi Aragoniæ Regum filii, & germani fratris. Quæstorem sive rationibus præpositum Hieronymus Surita lib. 13. *Annalium Aragoniæ* cap. 37. refert. Quo loco, & alibi [o] ad Alphonsum venisse eum cum aliis, ait, Castellæ ac Legionis urbium procuratoribus, Burgensium nomine, ut ejusdem Alphonsi in Castellani ditionem cum exercitu ingressum communibus officiis & protestationibus moraretur. Verè enim is in magna olim floruerat gratia Ferdinandi priùs memorati, qui ex Castellæ Infante in Aragoniæ Regem cooptari promeruit; quem & in hoc regnum sequutus, lateriique ejus adhæsisse dicitur in *Prologo historiæ Joannis II. Regis*, quem Laurentius Galindi Carvaxalius confecit, & ad Carolum V. Imperatorem direxit.

283. In hoc eodem prologo scripsisse ait Alvarum historiæ prædicti Joannis Regis principium ab Henrici exorsus parentis obitu, usque ad vicesimum hujus sæculi annum, sive regni ejus decimum quartum. Quę quidem historiæ pars potissimùm, aut vix nisi Ferdinandi Infantis, nuper laudati, res in tutela Joannis Regis, atque inde in capessendo Aragoniæ regno enarrat gestas. Atque exstant quidem in ea, quæ in vulgus emanavit, Joannis II. Regis historia, prologus, & capita viginti quinque nostri Alvari, eas res continentia, quæ ante mortem Henrici

l Editionis Parisinæ ann. MDX. pag. 10.

m Este libro se escrevio en la muy noble ciudad de Burgos, cabeza de Castilla, y acabóse en el mes de Setiēbre año del nacimiento de nuestro Señor Jesu Christo de mil y quinientos y setenta y un años, el qual libro con el consejo, avisacion, y ayuda divina escrevio Fernan Martinez de Burgos, escrivano publico que fue de la dicha ciudad, el qual Juan Martinez fino fraire en el monasterio de S. Domingo de Benfica, cerca de la ciudad de Lisboa, en el reyno de Portogal.

n Sic legitur pro Ferdinando Martini.

o Cap. 36. ejusdem lib.

Regis tertii Joannis hujus parentis contigere.

284. At illa, quibus inchoâsse eum, ac per aliquot annos prosequutum fuisse Joannis Chronicon suprà monuimus, supererant ea quidem, cùm Carvaxalius prædictus ad memoratum Joannis Chronicon à se recognitum præloquutus fuit. Ibi enim refert recordari se Ferdinando V. Regi cognomento Catholico, Castellanorum & Aragonensium Regi, oblatum à quodam equite istud Alvari commentarium, quasi Ferdinandi Aragoniæ, non Joannis Castellæ Regis, verè esset Chronicon. Subjungit verò ibidem historiam hanc Alvari Garsiæ usque ad annum sæculi vicesimum tantùm ab eo perductam anonymum quendam ad usque quintum supra tricesimum continuâsse; quem Joannem fuisse Menam, poëtam ejus ævi clarissimum, fama est.

285. De tribus aliis hujus Helenę procis, Petro Carrillo Albornozio, & Lupo Barriento, ac Ferdinando Perezio Guzmano, dicendi locus alius nos manet, dummodo interim hic notemus, horum postremum Guzmanum, cui tota nunc *historia Joannis II. Regis Castellæ* adscribitur, Alvari Garsiæ commentaria & aliorum ita sua fecisse, ut nullum jam illarum partium, quæ cujusque eorum fuere, vestigium deprehendere valeamus. Et hanc auctorum sub uno nomine misturam fesellisse magnum virum Suritam existimo; quandoquidem de Alvaro Garsia loquens dicto cap. 37. lib. 13. *Annalium*, fuisse eum Alvaro de Luna Comestabili addictissimum, rerumque ab hoc gestarum magnum chronographum, affirmat. Cùm verè is annum decimum quartum regni Joannis, qui decimus quintus ætatis ejus fuit, Carvaxalio auctore, non prætergressus, neutiquam potuerit de Alvaro Comestabili narrare alicujus momenti rem; cujus hominis, nedum gestorum ejus, toto hoc tempore *historiæ Joannis* auctor vix meminerit. Quare alium ab Alvaro Garsia fuisse eum oportet (anonymum illum forsan continuatorem) quem Surita rerum ab Alvaro Luna gestarum auctorem laudare voluit. Immò descripsit quoque Alvarus Garsias *Henrici III. Regis* tempora, uti ex aliis Stephanus Garibajus lib. 15. cap. 48. refert: quod opus nunquam sese ait vidisse. De aliis Paulli Burgensis Episcopi filiis, Alphonso & Gundisalvo, suis locis mentio à nobis habebitur.

286. In Lusitania per eosdem annos floruit Alphonsus de Alfama, Carmelitarum ordinis vicarius generalis, præter merita propria eo nomine memorabilis, quòd magni illius Lusitanorum Comestabilis Nonnii Alvari Pereirę post suspensum à se in Ulyssipponensi Carmelitarum templo fatalem illum tot palmarum gladium, sæculo renunciantis, sacramentum religiosam vitam in eodem ordine profitendi, factus ex munere tantæ rei spectator & auctor, susceperit. Scripsisse verò eum ajunt *super Cassiani collationes* librum unum, cui titulus: *doctrinale patrum*. necnon & *De ordinis sui progressu* libros 2. Ulyssippone natus dicitur.

287. Eidem Lusitaniæ annus sæculi tricesimus octavus, circa quem versamur, funestissimus fuit, Tingensis in Africa superioris anni cladis malum cumulante Regis Eduardi obitu. Joannis I. ac Philippę Lencastrię hic filius, Visensi in urbe ferè cum sæculo in lucem editus: quinque tantùm annis regno prefuit, cùm secundum jam super tricesimum agens patri successisset. Multas ei animi & corporis, mentis nimirum, doctrinæ, præsertim philosophorum, cupidæ, justitiæ ac religiosorum rituum curiosissimæ, pulchri etiam aspectus & magnarum virium, atque item maximæ in equestribus cunctis exercitationibus dexteritatis, summæ adhæc in loquendo venustatis & eloquentiæ, dotes, Lusitanorum historiæ attribuunt [p]. Bonis suis felix, nisi adversata ei omnia essent, continua ferè toto regno pestis, infelix bellum, mors denique apud Tomaris cœnobium XIII. Kalend. Octobris immatura.

288. Scripsit in philosophia morum non contemnenda vulgaris Lusitaniæ suæ linguæ opuscula, scilicet [q] *De consiliario fideli*. [r] *De bono regimine justitiæ*. Cujus libri fragmenta aliquot haud parvi momenti se vidisse in codice admodum antiquo Lusitaniæ magnus historicus Bernardus Brittus ait [s], necnon & [t] *De misericordia*. Quæ tria idem Brittus laudat. Auctor autem historiæ hujus Eduardi Regis, quæ cæteras superiorum Regum sequitur, ac Roderici Pinæ vulgò existimatur opus, secundum illum *De regimine justitiæ* Latinè ab eo fuisse formatum commentarium refert, cujus aliquam portionem in domo Ulyssipponensi, uti vocant, supplicationis suæ adhuc tempore superfuisse ait. Aliud verò *De fideli consiliario* Reginæ conjugi nuncupatum, vernaculæ certiùs linguæ adscribendum, vel hoc uno nuncupationis indicio existimamus. Tertium præter hos duos laudat librum laudatæ historiæ auctor, *De re equestri*, sive *equitandi arte*.

p Brito in *elogiis Regum Portugalliæ*, vulgaris linguæ. Vasconcelos in *Anacephalæosi Reg. Lusit.* Mariana lib. 28. cap. 11. Garibay lib. 15. cap. 9.

q *Do fiel Conselheiro*.

r *Do bom governo da justiça*.

s Ubi proximè.

t *Da misericordia*.

289. Thomas Mieres, Catalanus, Gerundensis, jurisconsultus sui temporis primarius, Alphonso V. Regi Aragoniæ à consiliis, regiique patrimonii in Catalonia advocatus fiscalis, publicavit anno sæculi XXXIX. *Apparatum super constitutionibus curiarum generalium Cataloniæ*. Quod opus ornavit postea Sigismundus Despujol *indice singularum materiarum doctorum practicorum Cataloniæ, in quo latebræ, quæ in Thomæ hoc Apparatu existebant abditæ, demonstrantur*. Editus dicitur hic Apparatus Barcinone MDXXXIII. duobus tomis, rursusque MDCX. in folio. Scripsisse quoque fertur *De homagio & oppressionibus*.

290. In Catalonia vivebat, ut fama est, his annis Joannes Frances Barcinonensis natu, qui vernaculo gentis idiomate, quod Lemosinum vulgus vocat, copiosè ac verè *historiam Regum Aragoniæ atque Comitum Barcinonis* composuit: quæ in schedis adhuc latet paucis visa. Hanc tamen laudat Joannes Franciscus Andreas Ustarrozius Aragoniæ regni chronographus in libro *Coronationum Regum Aragoniæ* [u], quem cum notationibus suis

u *Nota marginali pag.* 40.

ſuis foras emiſit; eamque cccx. capitibus comprehenſam deſinere tandem ait in Alphonſi IV. coronationis ſolennitate; quam ante centum & ultrà annos, hoc eſt MCCCXXVIII. Cæſar-auguſta urbs regni princeps omnium ſuperiorum magnificentiſſimam vidit; de qua Hieronymus Surita lib.7.cap.1. *Annalium Aragonenſium* agit, laudato dumtaxat rei auctore Raymundo Montanerio, æquali ejus temporis, non autem Joanne noſtro, quem forſan non viderat. Iccircò idem Uſtarrozius [x] hunc Joannem Francès diſtinguit ab alio ejuſdem nominis, JOANNE FRANCES BOSCAN, optimæ fidei hiſtorico, cujus quidem veras *relationes* Suritam in iiſdem *Annalibus* laudare ait.

[x] In Elencho auctorum quibus MSS. uſus fuit in *Coronationum* opere.

291. Matriti penes Marchionem Mondexarenſem liber exſtat MS. qui hanc hiſtoriam continet. Cujus tamen titulus hic eſt: *En nom de noſtro Senyor Jeſu Chriſt Salvador, e Redentor &c. Com ſia coſa natural que tota perſona deſige ſaber e hoir nobles fets, per rahò daſio Jo. Franceſc natural de Brtha comès à dictar e ordenar queſta obra. La tal es appellada, libre de les nobleſes dels Reys, sò es dels nobles fets e valenties, e cavalleries que feren en fets darmes &c. Comens aſſi à parlar del primer Rey que avia fò al mon, lo tal avie nom Ambrot, ſenyor de Troja &c.* Patriæ nomen auctoris iiſdem literis quibus ſcriptum eſt deſcripſimus, quibus vix videtur Baroino urbs notari. Convenit autem cum relatione Andreæ Uſtarrozii, quòd hæc hiſtoria uſque ad inaugurationem Alphonſi Regis IV. Jacobi II. filii extenditur.

292. Anno hujus ſæculi quadrageſimo fama fert in carcere demortuum Setabitanæ urbis regni Valentini, ob contumaciam muneri Juſtitiæ Aragoniæ contra fidem Regi Alphonſo præſtitam, non cedendi, MARTINUM DIDACI DE AUX, qui ante ſex annos id obtinuerat. Rem narrat ex Martini Pertuſæ ſcriptis conſulendus Hieronymus Blancas in *Aragonenſium rerum commentario*. Ubi de Juſtitiatûs hoc munere §.42. *Induſtriâ is valuit* (ut ejuſdem verbis de eo quod ad rem noſtram pertinet Auxium laudemus) *& uſu complurium negotiorum multum. Præterea is vir fuit, qui ex comitiali decreto regni noſtri Scita, quæ Sala-nova, Hoſpitalis, & alii veteres, eorum obſervatores collegerant, undique tanquã floſculos carpens, coëgit in genera, in illudque redegit, quod nunc ſub* Obſervantiarum *nomine connexum exſtat legibus noſtris volumen. Qua in re eorum omnium diligentiam ſuperavit; auctoritate verò longè operam vicit; quandoquidem huic ejus labori is magnus cumulus dignitatis acceſſit, ut publicarum legum inſtar publica ipſa lege ſanciretur: ſic fecit quod quiſque eorum fecit, & quod omnibus defuit explevit.* Hæc ille.

293. Ejuſdem temporis æqualem Valentia urbs jactat JACOBUM (*Jaime* vulgus vocat) ROIG, poëtam vernaculâ ejus regni, quæ eadem Lemoſina eſt, linguâ facetum & ingenioſum; qui profeſſione medicus hanc artem exercuit apud Mariam Reginam Alphonſi V. Aragoniæ ac Neapolis Regis magni conjugem.

294. Scripſiſſe dicitur, alia inter metrica, genere quodam verſificandi, quod *Cudolada* Valentini vocant, librum adverſus fœminas, cui inſcripſit *Conſejos*. quod opus & auctorem laudat Gaſpar Eſcolanus *Hiſtoriæ Valentini regni & urbis* lib.3.cap.14.§.4. & lib.4. cod. 4.§.10. Auguſtinus item Morlà in *Emporii juris* præfatione, in qua agit de viris doctrinâ & ſcriptis in ea urbe claris, adjungens, converſum jam in Caſtellanam linguam legi poſſe hunc poëtam. Planè edita Barcinone Jaümii Roig opera anno MDLXI. in 4°. in catalogo quodam librorum bibliothecæ regiæ Eſcorialenſis olim legimus.

Anno XLIV. hujus ſæculi obiit in Africano carcere Ferdinandus Portugalliç Infans, cujus Vitam ANONYMUS ferè æqualis in ſcriptum redegit. Vidimus eum in Vaticano codice, ex manuſcriptis 3634. cum hoc titulo: *Incipit martyrium pariter & geſta magnifici ac potentis Infantis dom. Ferdinandi magnif. ac potentiſs. Regis Portugalliæ filii, apud Fez pro fidei zelo & ardore & Chriſti amore*. Incipit: *Diebus iſtis noviſſimis pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis* &c. E regione hujus tituli viſitur Ferdinandi imago, ex vivo, ut credere par eſt, deducta: ſcriptura enim æqualis ejus videtur temporis.

295. Hujus forſan auctor eſt JOANNES ALVAREZ presbyter militaris de Avis, Ferdinandoque à ſecretis. Nam huic inſcriptam legimus *A vida do ſanto Infante D. Fernando*, quam à Hieronymo Lopez, Joannis Regis III. Portugalliæ familiari (*eſcudeiro* vocant) acceptam Ulyſſipponenſis quidam typographus anno MDXXVII. in lucem emiſit. Niſi quòd hæc Luſitanè, ſuperior verò illa ſcripta ſit Latinè.

296. Anno quinto ſuper quadrageſimum, XV. die Julii, Calatajubii deceſſit HENRICUS Infans Aragoniæ, Alphonſi V. magni germanus frater, Ferdinandi Caſtellæ Infantis, deindeque Aragoniæ Regis filius, magiſter ordinis S. Jacobi, poſtquam unà cum Joanne Rege Navarræ fratre ad Ulmetum Caſtellæ veteris prœlio victus atque fugatus fuiſſet. *Vir magni quidem* (ait Mariana noſter [y]) *ſed inquieti animi, neque otium patientis*, & qui magnas turbas, dum vixit, Caſtellæ Regi Joanni II. fratrum, Aragoniç & Navarræ Regum, ac propriis viribus, dedit. Fama fert, atque editi libri fides confirmat, delectatum eum fuiſſe in vertendis in vulgarem ſermonem veterum Mythicorum fabulis, quibus per allegorica myſteria non mediocris ſecretioris philoſophiæ theſaurus comparatur. Liber exſtat huic adſcriptus cum hoc titulo: *Quatro libros de las fabulas de Eſopo, las extravagantes, otras de la translacion de Remigio, las de Avriano, las collectas de Alfonſo y Poggio, como largamente ſe dize en el prologo*. Editus fuit Burgis per Fredericum Aleman MCDXCVI. in folio.

[y] Lib. 22. cap. 2.

297. Anno MCDXLVIII. die XX. Maji menſis occiſus in prœlio diem ſuum obiit PETRUS Portugalliæ Infans, Joannis I. Regis filius è Philippa Lencaſtria Regina, idemque Alphonſi V. ex fratre Eduardo nepotis ſocer. Hic duobus ſupra triginta annis natus ne

otio

otio, & vitiis otii affectis, juventutem marcescere, atque aciem virtutis absque aliquo stimulo,quod cotis vice esset,hebetari sineret, orbis terrarum magnæ partis aggressus peregrinationem, post visitatum sanctum Domini nostri sepulchrum Hierosolymis, magnique Turcarum Imperatoris atque Ægyptiorum Soldani aulas, Italiæ, Germaniæ, Daciæ, quod tunc temporis vigebat, Angliæ, Navarræ, Castellæ regna, magni ubique habitus: omnes enim harum Reges, sive propinquitate sive amicitia obnoxios habebat, multorum denique hominum, ut cum poëta loquar, mores vidit & urbes, pace belloque (nam & hoc exercuit) æquè bonus, tandem Alphonsi Regis generi ex fratreque nepotis indignationem malis consiliariorum artibus in se convertens, bello tueri se opus habuit: quo quidem optimus Princeps strenuè sese defendens in acie occubuit.

298. De hoc multis agit Portugalliæ Regum historicus antiquus in Chronico Joannis I.cap.99. & Alphonsi V.cap.21. Hujus nomine scripta est Lusitaniæ vernaculo sermone historia Infantis Petri, *que anduvo las siete partidas del mundo* nuncupata, quæ quidem in Castellanum translata, cùm pueri essemus, vix è puerorum manibus cadere solebat: multis licèt fabulis potiùs illins sæculi genio, quod hujusmodi inventionibus delectabatur, quàm veritati conformata. Cujus quidem historiæ hic memoriam relinquere, quo tempore in vivis esse desiit Petrus Infans,cùm veri auctoris ignoretur ætas, opportunum existimavimus. Exstant quoque, quę non vidimus carmina sive de eo sive ab eo scripta, quæ edita cum hoc titulo novimus: *Las coplas del Infante Don Pedro de Portugal, con glosa*.

299. Jacobus (vulgò Jaime) Marquilles, jurisconsultus Catalanus, circa hæc tempora egregiam illustrandis legibus patriis navavit operam. *Usatica* hæ audiunt, à Gothicis originem ducentes, ad quæ post Jacobum de Monte-Judaïco, Jacobum, & Guilielmum de Valle-sicca, Jacobumque Calicium, præsumpsit non absque fructu se novum commentarium ex iis, quæ illi præoccupâssent, & quæ adjungere proprii laboris poterat, se confecturum. Quare eum cæterorum Cataloniæ doctorum parentem Hieronymus appellat Pujades [1].

[1] In Histor. Catal.

300. Presbyter hic, & civis Barcinonensis urbis, Vice-cancellarium egit Martini Regis, ut ipse alicubi testatur [2], postquam in gymnasio Ilerdensi Scita utriusque juris edoctus, baccalaureatûs,quod in præfatione commentarii sui ipse notat, insignia reportâsset. Extat hic, *Manna Jacobi de Marquilles super Usaticis Barcinonæ* inscriptus, & in hac urbe ab Joanne Luschner Alemanno ann. MDV. in folio editus. Publicavit hunc cum magno auctoris elogio Joannes Andreas Riquerius jurisconsultus, ac regiæ curiæ Barcinonensis judex, Petro Cardonæ Urgellensi Episcopo, & principatûs Cataloniæ Cancellario nuncupatum. Sed audire ipsum Marquilles de se loquentem, ut ferebat sive hominis, sive ætatis, quâ vixit, genius, juvat librum suum dirigentem. *N. & N civitatis Barcinonensis consiliariis Jacobus Marquilles presbyter minimus in decretis baccalaureorum, civis & incola civitatis cujus suprà, & in octogenaria ætate cum uno constitutus, nullumque obtinens beneficium, nisi quandam in Barcinonensi Ecclesia cappellaniam valoris septem librarum cum dimidia Barcinonensium, vel circa*. Quasi hoc scire omnes quicquam interesset.

[2] In Usaticum · Princeps namque vers. Ea propter: & in Usatic. Potestatem, quæst. ultima.

301. Post alia subjungit: *Prædictum librum* Usaticorum *dominis Jacobo de Monte-Judaïco, Bertrando de Seva, Jacobo de Valle-sicca, & Jacobo Calis, & aliis dominis & doctoribus, & ipsorum dictis me adhærendo, nihilque eis detrahendo, tremebundè assumpsi glossandum*. Absolvitque his proœmium: *Regnante victoriosissimo principe & Rege Aragonum, Comiteque Barcinonæ, dom. Alphonso IV. die Martis secundâ mensis Aprilis anno à Nativ. Domini MCDXLVIII regnique ipsius domini Regis XXXIII.* Hæc in jure.

302. Cæterùm scripsisse eum quoque opus *Genealogicum* circa annum MCDL. è tabulariis publicis atque aliis authenticis instrumentis, *casas solariegas de Cataluña*, hoc est, *De Cataloniæ nobilibus familiis*, inscriptum, nonnusquam legimus.

303. Gundisalvus Garzias de Sancta Maria, Paulli Burgensis Episcopi filius è legitimo toro natus, Alphonsi ejusdem urbis præsulis, & Alvari Garsiæ germanus frater, non indignum ea se stirpe summorum virorum fœcunda, & Regum apud quos vixit, Joannis Castellæ, & Alphonsi Aragoniæ gratiâ præstitit. Cùm enim esset apprimè ornatus non tantùm Latinè pronunciandi peritiâ, sed & juris doctrinâ atque historicæ rei cognitione, Alphonso Aragonensi, quem diximus, adhærens, præcipuus habitus ab eo fuit, qui alios inter sex ad Concilium Constantiense tollendi schismatis causâ coacti legatus mitteretur. Quo loco in electione Ottonis Cardinalis Columnæ, qui Martinus dictus fuit quintus, ad summum Pontificatum unum è sex Hispanicæ nationis suffragium habuit: quod ex Hieronymi Suritæ *Annalium Aragonensium* lib.12.cap.63.& 66. constat. Interfuisse idem Concilio Basileensi refertur, aliaque munera regia obiisse. At in Ecclesiasticis plura obtinuit: Berovicæ priùs archidiaconatum in Ecclesia Burgensi, atque inde infulas Asturicensis, Placentinæ, Seguntinæque hoc ordine sedium, extinctus in hac ultima XVII. Decembris MCDXLVIII. quod in sepulchro ejus ad S. Paullum Dominicanorum Burgensis urbis, è regione sepulchri Paulli parentis extructo dicitur, in *Theatro Seguntinæ Ecclesiæ* Ægidii Gundisalvi Avila videndo.

304. At Gundisalvus ad nos pertinet. Scripsit enim Latino stylo *Aragoniæ Regum historiam*, sed cujusnam temporis non ait Hieronymus Surita lib.12.cap.55. in fine.

305. Miratus sum cùm legerem in Notis quas ad librum coronationum Regum Aragoniæ scripsit Joannes Franciscus Andreas Ustarrozius ejusdem regni chronographus,

phus, vir exquiſitæ induſtriæ, pag. 4. laudatam Aragonenſem hiſtoriam Gauberti Fabricii de Vagad Ciſtercienſis, atque hujus hiſtoriæ Latinum interpretem Gundiſalvum Garſiam à S. Maria. Cùm verè Gaubertus quinquaginta annis poſt Gundiſalvi obitum ſuum opus evulgaverit. Alium ergo oportet Gundiſalvum Garſiam eſſe; eum nempe qui recognovit Fabricii hiſtoriam, cujus hominis in ejuſdem initio & fine, atque item navatæ ab eo hujus operæ, mentio fit. De quo nos in altera Bibliothecæ priùs edita parte, & in additionibus ad eandem in hac altera parte antiquioris ævi.

CAPUT VI.

FERDINANDUS LOPEZ. *Quorumnam Regum Portugalliæ Vitas ſcripſerit. Damianus Goëſius laudatur.* PETRUS DE CAVALLERIA *Cæſar-auguſtanus*. JOANNES RODRIGUEZ DEL PADRON. DIDACUS DE VALENTIA. ANTONIUS DE CASTELLANOS *hiſtoriæ rerum D. Alvari de Luna ſcriptor*. ALVARUS *ipſe* DE LUNA. MARCUS GARZIA. ALPHONSUS MARTINEZ A TOLETO *archipresbyter de Talavera*. DIDACUS DE S. PETRO *poëta*. FERDINANDUS GOMEZIUS DE CIVITATE-REGALI *Joannis II. Regis medicus*. JOANNES SANCII A MENDOZA. JOANNES DE LUCENA. GUTERIUS GAMIZ. JOANNES SERRA. ANONYMUS *poëta*. JOANNES ALPHONSUS DE BAENA. *Cantionaria ſyſtemata* (*vulgò* Cancioneros) *inter nos plura*. LEANDER DE MURCIA *Mercenariorum ordinis*. GUILIELMUS DE LOARTE. GUILIELMUS SANCHEZ DE MENDOZA. DIDACUS DE HERRERA. PETRUS DIAZIUS DE TOLETO *Senecæ vulgaris interpres*. PETRUS TAFUR. LUPUS DE ESPEJO. PAULLUS *Luſitanus*. ANONYMUS *ſcriptor* Breviarii hiſtoriarum Caſtellę Regum.

306. LUSITANORUM Regum, qui ab initio naſcentis Portugallię nominis imperiiíque, uſque ad noſtrum vixere ſæculum, hiſtoriam reſque geſtas poſteritas forſan deſideráſſet, niſi hoc vixiſſet, inſtrumentaque omnia huic operæ neceſſaria cùm à natura tum ab Eduardo Rege, qui anno triceſimo octavo vitâ functus fuit, accepiſſet, FERDINANDUS LUPI, ſeu LOPEZ, ejuſdem gentis homo, quem [b] turris *do Tombo* (ita vocant) ſive archivi regii Ulyſſipponenſis archicuſtodem, atque Infanti Ferdinando, Eduardi Regis germano fratri, à ſecretis intimis [c] fuiſſe ajunt.

b *Guardamòr da Torre do Tombo.*

c *Eſcrivaõ da puridade.*

307. Hunc verò eas formâſſe omnes hiſtorias, quas ſingulorum regni ejus ab Alphonſo I. Regum Luſitani manu tantùm exaratas in ulnis & manibus diu habuere, compendio earum contenti, quod Eduardus Nonnius de Leone juriſconſultus Eborenſis, regius idem ſenator, amoliendo ex earum prolixitate delicatorum faſtidio edidit, jure quidem exiſtimat, atque aliis perſuadere Damianus Goëſius, Emmanuelis Regis chronographus, diligens æquè diſertuſque, contendit. Hic in hujus Regis hiſtoriæ par. te 4. cap. 38. dum magnâ diligentiâ judicioque de Portugalliæ Regum omnibus hiſtoriis, earumque auctoribus cenſet, multa certè adducit huic rei confirmandæ; quorum momenta hic inſinuare haud quidem eric extra rem agere. De hiſtoriis loquimur Alphonſi Regis primi (nam Henrici Portugalliæ Comitis, Alphonſi patris, exſtitiſſe aliquam, Luſitanis incertum eſt) Sancii I. Alphonſi II. Sancii II. Alphonſi III. Dionyſii, Alphonſi IV. Petri, Ferdinandi, Joannis I. atque Eduardi, ſub quo Ferdinandus Lupi forſan diem ſuum obiit. Quas diſtinctè appellare opus fuit, eò quòd in aſſerendo uno omnium auctore altera alteri opem fert & conjurat amicè.

308. In primis Ferdinandum noſtrum fuiſſe curæ huic impoſitum ab Eduardo adhuc principe, cùm Joannes genitor etiam nunc in vivis eſſet, ut literis Eduardus fuit & bonis artibus non perfunctoriè deditus, conjectari rectè poſſumus ex eo quòd Gomezius Joannis (Gomezeanes vulgus appellat) de Zurara in *Chronico Septenſis urbis* cap. 3. refert Ferdinandum hunc ſcilicet multùm ac diu vagatum fuiſſe juſſu Eduardi toto regno, ut publicis chartophylaciis excuſſis, epitaphiiſque Eccleſiarum & monaſteriorum exceptis, bene de iis doctus ad eum rediret; eundemque Eduardum in Caſtellæ quoque regnis multa inſtrumenta conquiri feciſſe. Quę quidem cura veterum regni monumentorum eo ſtudio promota, niſi eò, quò credimus, tenderet, inutilis prorſus futura fuit; nec ullius uſus in conficienda tantùm Joannis Regis, quam Ferdinandum habere auctorem in confeſſo eſt, hiſtoriâ, ſuperſtitum quidem, non demortuorum teſtimoniis in latebris jam antiquorum tabulariorum deliteſcentibus comprobanda: quod prudenter Goëſius expendit.

309. Exſtare etiam ſubjungit ipſe antiquum librum Portorii, ſeu vectigalium Ulyſſipponenſis urbis, cujus quodam verſu ſcriptum legitur: *Ferdinando Lupi turis do Tombo archicuſtodi aſſignatam à Rege ſummam fuiſſe quingentorum regalium* (Reaes) *ſingulis menſibus, dum viveret, ſuper Portorio Ulyſſipponenſi, ob magnum laborem ab eo exantlatum, deindeque exantlandum, in formatione Chronici rerum à Portugalliæ Regibus geſtarum*. Quoquidem documentu idoneè ſatis addictum eum vixiſſe huic rei gerendæ comprobari nemo ambiget.

310. Ut verò ad rem propiùs veniamus, ac ſingulas conſideremus hiſtorias, in ejus, quæ Petri Regis eſt, prologo, proſequuturum ſeſe illum ordinem auctor ait, quem in primo prologo ſibi præſcripſerat; hoc eſt, ut in primis ejus, de quo acturus eſt, Regis mores, vitæque formam referat. Quod quidem niſi ad generalem totius hiſtoriarum ſyſtematis proœmium referas, vix eſt ut aliquem idoneum ſenſum habeat. In hoc etiam Petri Chronico tribuit ſibi auctor Alphonſi IV. ibidemque Joannis I. hiſtorias. In Chronico Ferdinandi cap. 39. refert ſe ad eandem

Al-

Alphonsi IV.& cap. 83. ad eum locum, ubi eventum quendam temporis Sancii II. *Cappelli* cognomento, in literas retulit. Quòd si Sancii hanc, & Alphonsi illam idem scripserit, nonne & intermedias duas Alphonsi III. Dionysiique? Planè ex Joannis historia, quam nullus non Ferdinando adscribit, id ipsum quod intendimus, non semel evincitur. Cap. 50. hæc verba habet ex Lusitano Latina: *Juxta id quod loco suo scripsimus, ubi de diminutione monetarum à Ferdinando Rege facta loquuti sumus*. Quæ ad hujus Regis historiam utique respiciunt à se confectam. Cap. 58. magis adhuc apertè, *Eo modo* (inquit) *quo in principio hujus operis nonnullorum virorum nobilium mentionem fecimus, qui operam suam Comiti Henrico in expellendis à regno nostro Mauris navaverunt, similiter nunc in secundo isto volumine quorundam recordabimur, qui intuendo ab hostibus eodem regno comites Magistro fuere*. De Joanne loquitur, qui ex Avisiensis ordinis Magistro sibi ad Portugalliæ regnum viam vi aperuit. Unus ergo idemque est integri hujus, seu omnium Regum Chronici, ab Henrico, hujúsve filio Alphonso, ad Joannem usque, quod in volumina duo se divisisse laudatis verbis significat auctor Ferdinandus Lupi, Joannis historiæ certus scriptor.

311. His tamen omnibus historiis sub eandem scriptoris manum, Goësii judicio, non temerè remissis, observandum tamen est de prima Alphonsi primi, penultima & ultima Joannis primi & Eduardi Regum, non solidè id ipsum in confesso esse. Alphonsi etenim primi historiam, quæ quidem non eodem ac aliæ stylo exarata est, Eduardus, Galvanus, Emmanuelis Regis jussu, schedis & vigiliis usus, ut creditur, Ferdinandi Lupi, sive reformavit, sive in compendium redegit: quam quidem MS. asservari ad S. Crucis Conimbricæ, in Bibliothecæ hujus altera parte, quæ jam dudum prodiit, cùm de Galvano dicendi occasio esset annotavimus. Quod quidem ipsum non in hac solùm, sed & in cæteris quoque subsequentium Regum historiis facere, ut fecit postea Eduardus alter Nonnius Leonius, de quo nuper diximus, Galvanus meditatus forsan fuit; cùm audiamus in bibliotheca excellentissimi Comitis Vill-umbrosani Ex-præsidis supremi Castellæ Consilii MS. codicem *Historia do reyno de Portugal por Duarte Galvaon* inscriptum Matriti exstare.

312. De altera verò Joannis primi ut jam dicamus, publicata ea quidem fuit statim atque res Portugalliæ post quadragesimum hujus, quod excurrit, sæculi annum ad Brigantinam domum conversæ sunt; cujus partem primam vidimus anno MDCXLIV. ad Antonio Alvari Ulyssippone in folio editam, quam sequuta est forsan posterior pars. Ea disertè adscribitur Ferdinando Lupi, ut ex hac inscriptione quam subjecimus, manifestum fit. *Chronica del Rey D. Joam I. de boa memoria, e dos Reis de Portugal o decimo. Primeira parte, en que se contem à desenzam do reino à te ser eleito Rey, ofrecida à Magestade del Rey D. Joam o quarto nosso sẽnor de miraculosa memoria. Composta per Fernan Lopez*. Manu exaratum exemplar tribus comprehensum tomis habet Matriti bibliotheca Vill-umbrosana.

313. Nondum tamen certum est ejusdem esse auctoris integram hanc historiam, cùm Gomesius Joannis de Zurara, Alphonsi V. historicus, qui quidem juvenis Ferdinandum noscere potuit, non obscurè scriptum cap. 3. laudati jam commentarii vulgaris linguæ [d] *De Septe urbis Africæ expugnatione* reliquerit, Goësii testimonio, non ultra hujus Septæ urbis tempus, hoc est annum MCDXV. Ferdinandum fuisse res Joannis gestas prosequutum. Ipsi tamen Goësio certius videtur non alii quàm Ferdinando totam deberi hanc historiam; quinimmo nec dubitare se ait Eduardi Joannis filii etiam illam, quæ superiorem consequitur, ejusdem esse; si tamen quædam exceperis à Gomesio eodem Joannis addita, ut breviorem Eduardi rerum commentarium locupletaret; cui Spartæ ornandæ Rodericum Pinam tertium accessisse ait. Nihilominus tam Ferdinando Lupi quàm Zuraræ recentiores tribuunt ejus gentis homines [e] totum historiæ Joannis Regis corpus tribus voluminibus comprehensum.

[d] *Da Tomada de Septa.*

[e] Toscanus in *Paralelis* cap. 28. & 44.

314. PETRUS DE CAVALLERIA Cæsar-augustanus circa annum MCDL. tractatum quendam scripsit, *Zelum Christi contra Judæos, Sarracenos, & infideles* nuncupatum; cujus exemplum à se repertum cum alio Savonensi contulit doctus vir Martinus Alphonsus Vibaldus Toletanus, auctor *Candelabri aurei* moralis, scripti famigeratissimi, ac primus in lucem prodire curavit, glossis adjunctis affatim eruditis, apud Baretium de Baretiis typographum Venetum anno MDXCII. in 4°. ut in altera parte jam diximus, cùm de Vibaldo sermo nobis esset.

315. JOANNES RODRIGUEZ DEL PADRON, Gallæcus, cognomen ab oppido hujus appellationis in regno isto, ut videtur, sortitus, in Joannis II. Regis aula bonam vitæ partem vanis amoribus colendis carminéque celebrandis, qua versificatoria arte plurimùm valuit, contrivisse dicitur. Perterritus tandem violenta Mazię sibi persamiliaris morte, quam ei ardentissimi cujusdam amoris obstinatio peperit (cujus quidem cadaver, ne id ex occasione taceamus, in cappella Catharinæ martyri dicata castelli oppidi *Arjonilla*, provinciæ Bæticæ, regnique Giennensis sepultum hac inscriptione dignoscitur: *Aqui jace Mazias el enamorado*. Quod in *Annalibus Ecclesiæ Giennensis* [f] annotatum reliquit posteris Martinus Ximena) perterritus, inquam, amici eâdem viâ deerrantis casu, cujus Joannes de Mena ejus temporis poëta meminit [g], ac in se reversus, laïcum statum, morésque insaniæ impensos pro religiosa vita commutare voluit, & Franciscanorum sacramento in patria addictus, magno inter eos virtutum omnium, viro hujus conversionis dignarum, exemplo vixit, ædificandoque ibi ejusdem instituti monasterio facultates suas elargitus est. Hanc vitæ, tum profanæ, tum religiosę, periodum, Joannis Roderici nostri, cùm

[f] Pag. 171.

[g] In *laberintho, orden.* 3. *de Venus*. copla 105. & ibi Ferdinandus Pincianus in glossa.

Gun-

Gundisalvus Argote de Molina in lib. 2. *Nobilitatis Bæticæ* h, tum Lucas Wadingus *De scriptoribus ord. Minorum* agens, descripsere; quorum ultimus vic. ndus est sub nomine Joannis de Heribon, quo item nomine, familiæ forsan, idem fuit appellatus.

h Fol. 272.

316. Varia scripsit carmina, & in iis *Infernum amoris*.

317. Item aliud opus *Cadira de honor*, hoc est, *sedem seu cathedram honoris*, ut interpretor, quod laudat Ferdinandus Mexia in suo *Nobiliario* lib. 1. cap. 45.

318. Necnon & genealogicum opus, quod vulgò ei attribui solet, *Compendio de linages* dictum, nisi alius sit ejusdem nominis, quod valdè suspicor.

319. Sub eodem Joanne II. & Alvari de Luna Comestabilis Castellæ, cui quidem Joannes totus obnoxius fuit, clientela DIDACUS DE VALENTIA vixit; de quo nil aliud novimus quam ejusdem Alvari auspiciis jussuque librum edidisse vulgaris linguæ *Arbol de batallas* inscriptum, è Gallico tamen Honorii Bonet conversum, qui quidem Honorius dicavit opus hoc suum, de sacris, ut videtur, Bibliorum historiis conceptum, ut in translatione legimus, *Ala santa corona de Francia, en la qual el dia de hoy por la ordenanza de Dios reyna Carlos sexto en este nombre.* Hoc est, *sanctæ coronæ Franciæ, in qua hodie Carolus hujus nominis sextus divina ordinatione regnat.* Doctorem se ibi auctor Decretorum, ac *de Lalo* (ita sonat Hispana scriptura) priorem vocavit. Verus libri Gallici & auctoris titulus: *L'Arbre des batailles fait & composè par Maistre Honorè Bonet docteur en Decret, & Prior de Challon, à l'honeur de Dieu, & en faveur du Roy Charle le bien aimè.* Latinè appellatur hæc dignitas *Prior Catalaunensis*, Maresio *de Joanna Papissa* pag. 11. qui ait habere se hunc librum MS. & compositum ante CCC. annos

320. Nil magis in historia Castellæ Regum decantat fama, duratque ad posterorum documentum, quàm Joannem II. addictum, plusquam deceret, majorem vitæ partem vixisse, ac nihil non detulisse Alvaro à Luna Aragonensi, quem Castellæ Comestabilem, S. Jacobi ordinis Magistrum, sexagintaque oppidorum & arcium toparcham, magnâ omnium aliorum Castellæ Magnatum injuriâ, nec minori invidiâ, creaverat. Hunc ipsum, variante fortuna vices, anno hujus sæculi quinquagesimo tertio Pincianum municipium in foro suo, Regis ejusdem sententiâ, decapitatum vidit. Cujus quidem rerum gestarum historiam cum hac inscriptione: *Chronica del Condestable Don Alvaro de Luna* edidit nescio quis, absque nomine tamen auctoris, Mediolani anno MDXLVI. in folio. Quam apud Marchionem Aeropolitanum olim Matriti vidimus.

321. At hujus Chronici auctorem ANTONIUM DE CASTELLANOS, hominem aliunde ignotum, rebus tamen, quas descripsit, æqualem, paullòve inferiorem, ut ex stylo apparet, fuisse affirmatè nos docuit hujusmodi monumentorum cognitione multum vir subactus D. Josephus Pellizerius, regius historicus Philippi IV. & Caroli II. non uno loco i, hujus historiæ hunc architectum laudans. An autem hæc sit eadem cum ea quæ sine nomine auctoris MS. servatur in bibliotheca Vill-umbrosana Matritensi, exscripta, ut ibidem annotatur, ex codice bene antiquo castri sive arcis villæ de Cornago, nondum affirmare possumus.

i *Memorial por la grandeza de los Condes de Miranda* fol. 17. & in libro nuncupato *Informe de los Sarmientos* fol. 83.

322. Eidem tamen ALVARO DE LUNA tribuitur liber *De las claras mugeres Hebreas, Gentiles, y Christianas*. sive *De claris mulieribus Hebræis, Ethnicis, atque Christianis*. in exemplo hujus operis MS. quod in supellectile sua libraria ditissima excellentissimus Comes Vill-umbrosanus servat. ubi & annotatur anno MCDXLVI. *en el real sobre Atienza*, idest, in obsidione Atienzæ oppidi, publicatum fuisse.

323. Magis quòd ad hunc eundem Alvarum pertinet, quàm quod hujus temporis esse noscamus, laudandus venit nunc liber, *Defensa contra la conjuracion de D. Alvaro de Luna* qui in bibliotheca Olivariensi olim exstitit, ut ex ejus catalogo constat, apposito *Baccalauri Marquillos* auctoris nomine: cujus quidem veram fuisse appellationem MARCUM GARZIA, cui munus, *Alcade mayor de Toledo*, in ejusdem catalogi MS. ora notatum voluit, aliquis non ineruditus homo, qui totum, quantus ille est catalogus, marginalibus hujuscemodi animadversionibus locupletavit.

324. Hujusmet Regis Joannis cappellæ minister fuit, & archipresbyter *de Talavera* (quod municipium est in agro Toletano nobilissimum) ALPHONSUS MARTINI A TOLETO, cujus exstat liber non parum utilis admonendæ juventuti, & ab amasiarum laqueis servandæ, hoc titulo insignis, in editione Lucroniensi MDXXIX. in folio Michaëlis de Eguia: *Compendio breve y muy provechoso para informacion de los que no tienen experiencia de los males y daños que causan las malas mugeres à los locos amadores, y de otras cosas annexas à este proposito, nuevamente añadido y impresso.* Hoc est, *Breve compendium, sed valdè utile, ad informandos eos, qui damna nondum experti sunt, quæ insanis amantibus inhonestæ inferunt fœminæ.* Prodiit iterum Hispali anno MDXLVII. in 8°. ex officina Andreæ de Burgos. Opus hoc à quibusdam *Corvacho* appellatum novimus.

325. Eundem quoque auctorem habuit liber *Atalaya de las Coronicas*, sive, *Specula Chronicorum*, nuncupatus, quem inter libros nostri olim, dum viveret, amici, religiosi viri Fr. Ludovici Emmanuelis de Espinosa domûs B. Virginis de Monte-serrato Matritensis abbatis, ejusdemque illustrissimi Dom. Joannis Emmanuelis de Espinosa Tarraconensis præsulis, germani fratris, manu exaratum contrectavimus. Possedit olim (idem, an aliud?) exemplum Didacus Colmenares Segobiensium rerum historicus, quod penes Marchionem de Cabregas nunc esse monuit nos in *Dissertationibus* suis *Ecclesiasticis* k Acropolitanus olim, hodie jam Mondexarensis, Marchio. Alphonsus hic duorum istorum ope-

k *Dissertaciones Ecclesiasticas por el honor de los antiguos tutelares, contra las ficciones modernas*. par. 1 disertacion 2. c. 4. §. 12.

operum scriptor magis notus est *archipresbyteri de Talavera* dignitate, quàm proprio suo & familiæ nomine.

326. In poëtarum temporis ejusdem Joannis Regis, sub quo maximè apud nos huic arti sese dedere ingeniosi homines, aliquo numero fuisse dicitur DIDACUS DE S. PETRO decurio Vallis oletani municipii, cujus ad eundem Regem directum exstare opus metricum, *De los llantos* inscriptum, versibus dodecasyllabis ferè jam antiquatis, nulliusque inter nos hodie præ hendecasyllabis ab Italia acceptis pretii, D. Josephus Pellizerius alicubi[l] affirmat. Hoc idem hominis nomen præ se fert prosaïcum opus, *Carcel de amor*, hoc est, *Carcer amoris* dictum, & ad Didacum Ferdinandi, quem *Alcayde de los donzeles* vocat, directum, cujus quidem Antuerpiensem Martini Nucii anni MDXCVIII. editionem laudare possumus. At neque alium à Vallis-oletano decurione & poëta hunc esse, confirmari potest è nuncupatione ipsa. Didacus enim Ferdinandi à Corduba, Comarensium Marchionum progenitor, hujusmet ætatis, quam percurrimus, domicellorumque, seu puerorum regiorum magister præfectusve, quod munus *Alcayde de los donzeles* vulgus appellabat, is videtur, cui librum inscriptum voluit auctor.

[l] *Origen de la casa de los Sarmientos de Villa mayor fol. 20.*

327. Hujus toties dicti Regis medicus fuit FERDINANDUS GOMEZIUS DE CIVITATE REGALI, nescio an à municipio cognomine Castellæ novæ sortitus appellationem; qui & perpetuam sibi à baccalaurei scholastico honore inditam voluit adhærere notam, in aula regia quatuor supra quadraginta & ampliùs annorum spatio medicinam fecit, ob urbanum ac verè aulicum ingenium in paucis cùm Regi, tum ejusdem proceribus charus. Joannem hic Menam poëticâ per id tempus laude clarissimum, cujus & ipse haud expers fuit, eundemque regium historicum res gestas ejus temporis conscribentem, crebris literis, quo Regis obsequeretur jussibus, in iisque veris eventuum narrationibus, quos apprimè callebat, instruere consuevit.

328. Quæ quidem literæ unà cum aliis ad alios missis inter cimelia præteriti istius ævi, chalcographicæque artis recèns tunc natæ, paucissimorum hodie manibus teruntur. Elegantes quidem ipsæ (quæ illius temporis elegantia erat) facetiis partim, saleque innoxio aspersæ, cæteroqui rerum tot annis in turbulentissimo regno gestarum illustrem summam verè continent. Burgis has prodiisse docet libri frons anno MCDXCIX. sic inscripta: *Centon epistolario del Bachiller Fernan Gomez de Ciudad-real, fisico del muy poderoso e sublimado Rey D. Juan el segundo de este nombre*. Neque aliam existimo eam editionem anni MDC. in 4°. ejusdem Burgensis urbis, quam notatam inter libros Raphaëlis Tricheti præsefert ejus bibliothecæ catalogus, immo errorem in designando numero admissum fuisse. Nihilominus sublesti aliquid in ea editione ab eo, qui intrusis eò familiæ suæ, aliàs nobilissimæ, cognomine notatis aliquot viris, eam magnificare voluit, commissum, atque ut antiquitatem repræsentaret, veterum characterum alicubi repertorum, aut de novo fusorum, habitu eam vestitam fuisse, sunt inter nos equidem qui valdè suspicentur.

329. Colligemus nunc quonndam, qui sub eodem Joanne II. Castellæ ac Legionis Rege, anno MCDLIV. fato functo, floruere; nec de eorum obitu quicquam certò affirmari potest, nomina & literarum monumenta.

330. JOANNES SANCII A MENDOZA, quem familiarem hujusce Regis appellatum invenimus, laudari solet ex opere haraldico & genealogico hujus tituli: *Discurso de armas y linages*. qui MS. exstat.

331. JOANNES DE LUCENA, eidem Joanni Regi à consiliis, scriptum reliquit vulgari sermone opus *De vita beata*, commutantibus verba duobus dialogistis, eximiis quidem virtute & proficuâ doctrinâ viris, Alphonso Burgensi, Episcopo *de Cartagena* dicto, & Enneco Lupi à Mendoza, sanctæ Julianæ [m] Marchione, ac disquirentibus in quonam vita hominis beata consistat: quod ferè post sæculum prodiit typis editum Medinæ Campi ex officina Petri de Castro anno MDXLI. in 4°.

[m] *Marques de Santillana*

332. GUTERIUS quidam GAMIZ per hæc tempora scripsisse dicitur *la historia del Conde de Buelna D. Pedro Niño*: cujus ipse signifer fuisse dicitur, quam usq; ad an. MCDXLVI. perductam, hoc est ad mortem Beatricis Portugalliæ fuisse legimus in libro indice *Bibliothecæ Vill-umbrosanæ* Matritensis fol. 106. in qua asservatur ejus quoddam exemplum.

333. JOANNES SERRA Valentinus notum se posteris, atque à nobis scriptores persequentibus Hispanos commendandum, reddidit, scribens hoc ipso tempore, aut circiter, librum quendam *De controversia trium animæ potentiarum, invicem de præstantia disceptantium* inscriptum, ac Dominico S. R. E. Cardinali S. Crucis in Hierusalem nuncupatum, qui MS. asservatur inter Vaticanos codices. Hic est Dominicus Capranica, celeberrimus hujus temporis sub Eugenio IV. Nicolao V. & Callisto III. summis Pontificibus, cunctisque virtutibus ornatus, ac literatorum Mæcenas, idemque ipse doctissimus sacri senatus pater, cujus res gestas luculenter habemus à Ciaconio, & qui Ciaconium continuaverunt, inter Cardinales Martini V. descriptos [n]. Obiit is anno hujus sæculi quinquagesimo octavo: Nicolaus autem Papa, sub quo liber scriptus fuit, quóde agimus, anno quinquagesimo quinto.

[n] Ultimæ editionis Rom. an. MDCLXXVII. tom. 2. col. 857.

334. ANONYMI poëtæ carmen extat Joannis quoque tempore scriptum *De las fazañas de Hercules*, sive *De laboribus & expeditionibus Herculis* versibus vernaculis dodecasyllabis, cujus fragmentum in bibliotheca suorum operum Valentiæ MDCLXXI. edita D. Josephus Pellizerius regius historicus, tanquam totius operis specimen, publicavit [o].

[o] Fol. 119.

335. JOANNES ALPHONSUS DE BAENA, nescio quis, compilavit, aut ipse auctor fuit, systematis cujusdam variorum carminum, quod *Cancionero Español recopilado en tiempo del Rey D. Juan*

D. Juan el segundo por Juan Alonso de Baëna, in codice chartaceo MS. regiæ Escorialensis bibliothecæ inscriptum exstat. Sed ex occasione hic adjungam, in eadem bibliotheca, juxta meum ejusdem catalogum, sub titulo *Poëtas y grammaticos en Castellano de à folio de mano*, unà cum jam laudato Baënæ, ut sic dicam, Cantionario, tres alios ejusdem cum eo nuncupationis, hos scilicet, reperiri,

336. *Cancionero Español, que comienza:* Este jamas perdiò su reposo.

337. *Cancionero de devocion, que empieza:* Diversas virtudes y vicios.

338. *Cancionero de devocion de una obra larga continuada.*

339. LEANDER DE MURCIA cognomen fortasse ab urbe patria habuit. Hujus viri fama, qui sodalis fratrum D. Mariæ de Mercede in Murciæ urbis cœnobio, dum rerum Joannes II. Castellæ Rex potiretur, vixit, extincta ferme apud nos est, cùm & libri ab eo conscripti atque ea ipsa hominis fama inter exteros etiam nunc duret. Insignem habuisse cognitionem literarum proditur, floruisseque eà poëticæ artis facultate, ut in consuetudinem proverbii de eo venerit, vel vivere in Leandro, vel suscitatum à Leandro Virgilium fuisse. Eruditionem quoque cum pietate conjunxisse, qui, ut sibi viveret, conditionem honestissimam docendi Latinas literas Ferdinandi Castellæ Infantis, Joannis Regis patrui, filios repudiaverit. Scripta hujus prosa versaque oratione hæc memorantur:

340. *Christias*. hoc est, *Vita Christi*.
Distichon morale.
Annales sacri.
Anagrammatum varietas.

Hæc omnia desumpsimus ex *Historia ordinis Mercenariorum* Alphonsi Ramonis lib. 10. cap. 11. ne hic desiderarentur. Cæterùm vellem ab eo adduci hujus hominis, atque horum ejus operum, idonea documenta.

341. Ejusdem ordinis GUILIELMUS (vulgò GUILLEN) DE LOARTE, Aragonensis, qui diu Granatæ commoratus, opus instituti sui agens, Regi priùs valdè charus, postea verso in odium amore, quod Mauros quosdam nobiles ad Christi fidem convertisset, ab eodem Rege in carcerem detrusus fuit, durissimeque tractatus. Nec nisi post mortem ejus solutus vinculis libertatem obtinuit. Reversus Pinciæ, in monasterio ordinis, quoad vixit, continuit se, asperrimè corpus tractans, ac religiosissimè in omnibus agens. Scripsisse dicitur quosdam, qui periere, tractatus, & in primis *De obligatione Principis Christiani ad redimendos eleemosynis suis captivos, qui à Mauris detinentur*. Historia ordinis Mercenariorum lib. 10. cap. 19. Lanuza *Hist. Aragon.* lib. 4. prioris partis cap. 36.

342. JOANNES SANCHEZ DE MENDOZA in familia ejusdem Regis Joannis fuisse dicitur, scripsisseque nescio quid *De armas y linages*.

343. DIDACUS DE HERRERA in montanis Burgensibus natus, ad S. Bartholomæi Salmanticæ olim sodalis, atque inde monachus Hieronymianus in Melioratæ Ulmeto propinqua domo: cujus vitæ sanctitatem historici hujusce ordinis enixè laudant, scripsisse dicitur inter alia, quorum periit memoria, cùm theologus & philosophus esset eximius, memoriaque ad miraculum singulari,

In libros metaphysicorum Aristotelis commentaria.

In Boëthii libros De consolatione

glossam quandam. Obiit, cùm esset iterum domus suæ præfectus, floruitque hoc eodem tempore sub Joanne II. Rege. Præter Hieronymianos Vegam lib. 2. cap. 23. & Seguntinum parte 2. lib. 4. cap. 7. vide Vergaram in *Historia collegii S. Bartholomæi Salmanticensis* pag. 97.

344. PETRUS quoque DIAZIUS DE TOLETO circa hæc tempora, ejusdemque Regis auspiciis, de literis antiquis mereri quadantenus voluit, Seneca in manus sumpto, quem nondum iis communicatum, qui Latinè nescirent, civibus suis ægrè ferebat. Sed, quæ erat illius ævi infelicitas, cùm nondum critica sagacitas vera opera antiquorum auctorum ab suppositititiis, subque magno aliquo nomine sese venditantibus, distinxisset, pro Senecæ germanis libris eos propemodum Hispana donavit civitate, qui in Senecæ sacrarium profani violentique irruerunt; non quidem aliàs viro probo doctoque, attamen Cordubensi illo sopho indigni.

345. Sed antequam huc accedamus, præmittere opus est, Petrum hunc nostrum proverbia vulgaris linguæ amplissimi ejus temporis Hispaniarum Magnatis Enneci Lupi à Mendoza, Marchionis de Santillana, excellentissimorum Ducum Infantatûs progenitoris, de quo infrà erit nobis tractandum, quæ carminibus auctor complexus fuit, scholiis quibusdam unicuique eorum subjectis exposuisse. Præloquitur his Petrus ad Henricum principem, sese hanc glossam genitoris ejus Joannis Regis præcepto ductum confecisse. Ubi & refert, iisdem auspiciis jussuque *Proverbia Senecæ* jam olim se in Hispanum sermonem vertisse. Multis quidem prudentibus documentis hæc plena glossa est; sæpe tamen ob ignorantiam rerum & hominum veterum deficiens.

346. Polycratum sæpe uti auctorem laudat, quæ operis Joannis Saresberiensis compellatio est. Elimandum quoque in *Historia Romanorum* citat, qui Helinandus forsan est, Gallorum historicus. Armenii etiam Bononiensis in libro *De Florica Fidei Argivi uxore*, nescio cujus testimonio utitur. Brasenum quendam in septenario Atheniensium, sive Græciæ sapientum, collocat. Pompejum ait in Numantino prœlio in campis Philippicis à Cæsare victum. Platonem Stoïcorum magistrum magnum vocat. De officiis librum Senecæ tribuit, ac fortasse alia, viro forsan jurisprudentiæ dedito (nam & doctor in his monumentis audit) ad amœna hæc historiæ divertenti condonanda.

347. Hæc autem duo proverbiorum, quibus lucem noster commodare voluit, systemata

mata Marchionis Sant-Julianæi alterum, ut sic dicam, glossatum, Pseudo-Senecæ alterum Hispanè conversum, simul prodiere Antuerpiensibus typis anno MDLII. in 8°. hac inscriptione: *Proverbios del Marques de Santillana, glossados por el doctor Pedro Diaz de Toledo.* unaque *los proverbios y sentencias de Seneca*. Hæc eadem Senecæ proverbiorum interpretatio vulgaris cum aliis ejusdem libris similiter conversis simul prodiit Medinæ, ut credimus (liber enim nunc ad manus non est) anno MDLV. in folio ex officina Adriani Ghemart. Quæ collectio hæc continet. Primò *los proverbios*. Sed ii Publii Syri & Laberii Mimi sunt, ut in rebus Senecæ annotavimus, multorum, qui aliàs crediderunt, & in his Joannis Saresberiensis, errorem arguentes.

348. Annotat in præfatione hujus libri auctor sese non hunc dumtaxat Senecæ, sed & alium ejusdem librum, quem *De las costumbres y hechos* appellat, vernaculo interpretatum sermone; necnon & ex Aristotelis philosophia morali (ethicorum libros intelligo) testimonia quædam ex Latina ex Arabico versione desumpta; quo quidem ostenditur illo tempore non è Græco Aristotelem, sed è Græco-Arabico Latinum fuisse habitum. Sequuntur II. epistolæ, *las epistolas.* Sed ex CXXIV. quibus hodie fruimur, quinq; tantùm & septuaginta, & alio, quàm nunc eduntur, ordine. III. *De la vida bienaventurada*. IV. *De las siete artes liberales*. qui non liber, sed epistola est Senecæ octogesima octava. V. *De las amonestaciones y dotrinas.* qui Senecæ non est. Incipit: *No hay cosa tan mortal à los ingenios humanos como la luxuria* &c. VI. *De la providencia de Dios*. inversis tamen capitibus. VII. *Libro segundo de la providencia de Dios*. cùm unus tantùm exstet Senecæ. Non tamen scimus quem intellexerit, cùm ista solùm inscriptione contentus, ad quorundam fragmentorum interpretationem sese convertat, quæ ex Senecæ operibus aliquis antiquus racemator decerpserit. Pertinet autem ad auctoris laudem quod sequitur, hactenus pertingere hanc compilationem, quam primam sive priorem vocat, *Senecæ dictorum è nostra* (ut ait) *magna dictorum ejus atque doctrinæ compilatione deromptam*. VIII. *Fragmentos de las declamaciones*. quas quidem fortè existimavit esse ejusdem Senecæ, cùm patris Marci sint. Hactenus hæc sylloge.

349. Petrus Tafur, Cordubensis eques, *Itinerarium* quoddam reliquit scriptum; quo quidem adhuc in schedis servato Ambrosino Morales usus fuit, dum in opusculo *De genealogia S. Dominici*, quod in finem *historiæ* suæ *Hispanæ* conjecit, Bononiensis urbis, atque in ea corporis ejusdem Dominici asservati, insigniumque Guzmanicæ domus sepulchro inscriptorum meminit. Familiarem eum Joannis Regis II. fuisse ibidem ait. Hunc & consulebat Gundisalvus Argote de Molina; siquidem in libris suis, quos ad manum habuit, cum *Beticæ nobilitatis* conficeret commentarios, Petrum Tafur laudat.

350. Lupus de Espejo Oriolanus Nicolao V. Pontifici sese commendavit ad eum directâ epistolâ ex Neapolitana urbe anno hujus sæculi quinquagesimo tertio, præambulâ opusculi, quod appellavit: *Propositionem adversus quosdam curiosos detractores Ecclesiæ, quia possidet, & super statu ejus* facta coram eodem Papa. Incipit: *Loquebar de testimoniis tuis* &c. In epistolæ principio ferè ostendit patriam, ac de se aliqua. *Et ut confitando respondeam, Beatiss. Pater, alicui fortè me in promptu argumenti quod injustè detraho de his quæ non sentio, noverit ipse reprehensor quòd in ea natus fuerim, quæ non tunc, sed nunc est civitas Oriola* (facta scilicet post natalem auctoris annum civitas) *pulchra, fertilis, amœna, de regno Valentiæ, & ibidem usque ad duplex septennium educatus, demum inter coætaneos nostros in adolescentia nostra in studiis nostrarum regionum totius Hispaniæ in arte componendi metra cujuscunque generis per dactylos & spondæos & ceteros pedes, de quibus facit mentionem Hieronymus in prologo super Job, non tantùm primus, sed solus fui, non tamen sic eleganter, quia in Italia fui supremus, aut nullus* &c. Inscripsit sese epistolæ: *Humillimum servulum & devotum Lupum de Espejo*.

351. In fine sunt hi versus, quasi compendium operis:

Pars prior hortatur quòd sacras quisque loquatur
Semper Scripturas, clerus & ipse magis.
Pars quæ secunda gemit laicorū murmur iniquum
Ecclesiam contra, ne bona possideat;
Ecclesiæ & Petri Papæ quoque tractat honorem,
Atque potestatem triplice lege probans.
Tertia pauca tenens, multa excellentia tangit
Alphonso Regi munera cessa Dei.
Quarta parum dixit, fidei nisi robur, & altas
Ecclesiæ vires. Sic citò claudit opus.

Vidimus ejusdem Lupi de Espejo Italico sermone scriptam

352. *Historia de' primi Rè delli regni de Napoli e d' Aragona*. ad Alphonsum de Aragonia Calabriæ Ducem, quod interpretor, Alphonsum Ferdinandi filium, qui post patrem regnavit. Librum servant Carmelitani PP. excalceati hospitii Romanæ urbis sanctæ Annæ sacri.

353. Hoc eodem tempore Paullus Lusitanus, congregationis S. Joannis Evangelistæ canonicorum regularium in Portugallia, scripsit hujusmet suæ congregationis Chronicon, quod Cardosus vidit, atque eo utitur in Hagiologio Lusitano die XII. Martii *, unde vixisse anno hujus sæculi LVIII. suspicari possumus. * Pag. 150.

354. Sub eodem Rege Joanne II. natum fuit opus historicum incerti auctoris, quod continebat Breviarium, seu abbreviationem (hoc enim verbo auctor usus forsan fuit) historiarum omnium Castellæ Regum. Quam vidisse videtur Hieronymus Surita, eam laudans in prologo ad opus suum, ante paucos annos publicatum, *Emendationum & animadversionum ad Chronica regia D. Petri Lupi ab Ayala*.

CAPUT VII.

De ALPHONSO TOSTATO *Abulenſi Epiſcopo. Inſignes animi ejus dotes & doctrina. Ferdinandi Pulgaris elogia laudantur. Adventus in curiam Pontificiam, ubi propugnatæ quædam theſes*, Apologetici *argumentum ei præbuere, & occaſionem Joannis Turre-crematæ ſcripto. Collatus eidem ab Eugenio Pontifice Abulenſis Epiſcopatus. Immenſa vis & alacritas ingenii in commentando, mirabiliſque ejus memoria. Biblicorum operum editiones. De die mortis Chriſti ſententia Toſtati ſequaces habuit. Propoſitionum ejuſdem a Turre-cremata impugnatarum congruus ſenſus. In Euſebium commentaria vernaculæ linguæ, & alia.*

355. DUO ſequuntur ordine temporis, qui ſub eodem Joanne Rege clariſſimi vixere, quantumvis poſt ejus obitum, Henrico IV. jam rerum domino, diem ſuum intra eundem annum obierint. Quibus ſingula dabimus capita. Prior eſt ALPHONSUS TOSTATUS, notior Europæ integræ, quàm peculiari egeat laude, niſi deberemus hic nos præſcriptis operi legibus obtemperare. *Madrigal* Caſtellæ oppidum patriam habuit, à quo maluit quàm à proprio cognomine, cùm in ſtudiis literarum celebrari cœpiſſet, appellari. Unde vel *Alphonſum Toſtatum*, vel *Alphonſum de Madrigal*, vel *Abulenſem*, ab Epiſcopatu hujuſce urbis, quem geſſit, vocatum offendimus.

356. Anno MCD. aut circiter Alphonſum noſtrum genitori ejuſdem nominis honeſtæque familiæ Maria de Ribera mater edidit. Grammaticis literis, ſtatim atque compos rationis factus, Arevali, inter Franciſcanos fratres, philoſophiâ atque theologiâ Salmanticæ inſtructus, adjunxit in eadem ampliſſima Academia canonici ac civilis juris prudentiam, linguarum Hebraïcæ Græcęque notitiam, liberalium cæterarum artium doctrinam. Capaciſſimum quippe omnium ingenium, quocumque transferres (ut Senecę utar verbis) idem poterat.

357. Factuſque brevi tempore totius encyclopędiæ opum dives, giganteis veluti paſſibus cæteros omnes ejus gymnaſii doctos, atque aliàs antiquiores magiſtros poſt ſe relinquens, & magiſterii pileum vigintiquinque natus annos promeruit, & unus, veluti gerens omnium vices, adeptus fuit, ut ex cathedra memoratas iſtas ferè omnes, ſive ſcientias ſive artes, publico ſalario (triplici ajunt disertè alii) ornatus ſimul doceret; geſtientibus omnibus illo uti magiſtro, quem, ut Livium Patavinum è Gadibus uſque olim aliquem, viſuros æquè tunc pleroſque doctrinâ claros homines, tam noſtrates quàm exteros, Salmanticam veniſſe fama eſt ab æqualibus ad poſteros fidis utique literarum monumentis propagata. i

358. Planè inter alia exſtat Ferdinand Pulgaris, quem ſęculum hoc idem protulit' elogium Toſtato dictum, ſobrium quidem ac prudentię plenum moderationiſque, ut cętera ejuſdem, catholicorum Regum Ferdinandi atque Eliſabethæ chronographi, ſimul jam olim edita. In quo gnarus ille humanæ debilitatis, vix audet eo uti, ut contendat Alphonſum noſtrum omnium ſcientiarum perfectam cognitionem conſequutum; credere ſe tamen ait, in artium ac theologiæ, necnon philoſophiæ utriuſque, naturalis atque moralis, aſtronomiæ inſuper, & aſtrologiæ, doctrinâ nuſquam gentium tempore ſuo ęqualem habuiſſe.

359. Admiſſus interim ad collegium S. Bartholomęi (*ad laurum* Poſſevinus addidit, ignoto aliis hujuſce domus cognomento) quod ante aliquot annos Didacus de Añaja Maldonado, vir clariſſimus, Hiſpalenſis antiſtes, in eadem academia, virorum undique eminentiſſimorum promptuarium futurum, exſtruxerat, ei aliquando pręfuit rector, inter pręcipua & ſingularia hujus ſodalitii ornamenta nunquam non accenſendus. Cujus quidem viri famę ut ſecundaret Eugenius IV. Pontifex, canonicatum & ſcholaſtriam Salmanticenſis Eccleſię, penes quam dignitatem ultimò dictam jus eſt omne academicum, ei contulit; quod ille munus integerrimè rexit & conſtantiſſimè. At quòd vaſti & ſubtiliſſimi ingenii viribus eò forſan penetraverit, quod aliis arduum & imperviium videretur, quorundam incurriſſe dicitur in curia ipſa Papæ Romani cenſuram; quæ à viris utique non mediocris doctrinæ ſcriptis etiam confirmata eò uſque percuſſit conſtantem hactenus de magno literarum corypheo exiſtimationem; ut juxta aliquos rerum ejus auctores, & neceſſe habuerit quam primùm eò ſeſe conferre, & in conſpectu hujus Eccleſiæ totius compendii, Eugenio priùs difficili, tandemque propitio, nominis ſui cauſſam dicere, palamque atque editis ſcriptis defendere.

360. Veniſſe tamen eum non ea neceſſitate ad Pontificem, ſed cùm aliàs veniſſet, in Senarum urbe, in qua Eugenius morabatur, theſes quamplures ex theologia oſtentationis cauſâ diſputandas propoſuiſſe, quarum aliquæ cenſuræ priùs dictæ ſubjacuere, veroſimilius eſt, & narrationi *Defenſorii* libri magis conſonum; à quo nec diſcedit Joannes Mariana lib. 21. cap. ultimo, & Raynaldus *Annal. Eccleſ.* tom 8. ad annum MCDXLIV. [p] Quo quidem anno id exiſtimat contigiſſe, cùm potiùs proximè præcedenti contigerit, ut poſtea videbitur; in eo tamen explicatione etiam indigens, quòd Abulenſem Epiſcopum jam eo tempore Toſtatum vocat, qui in privato adhuc ordine numerabatur. Planè Joannem Turre-crematam Hiſpaniæ civem, & ex ordine S. Dominici aſſumptum, poſtea S. R. E. Cardinalem, parium inter ſe doctrinæ ac dignitatis famæque hominem, adverſarium inter alios habuit.

361. Numerantur & alii duo, Anconitanus & Rhegienſis antiſtites. Anconitanus autem hujus temporis Joannes Caſarellus Romanus [q], Rhegienſiſque Guilielmus Logotheta [r] ejus urbis civis fuere. Quibus omnibus, & curiæ integræ approbare is tandem conatus eſt ſe quidem ſubtiliter paradoxeque,

[p] Num. 24.

[q] *Ital. ſacra* tomo 1. col. 114.

[r] Ejuſdem operis tom. 9. col. 446.

xeque, nec tamen à catholicæ, aut contra perpetuam Ecclesiæ persuasionem, quicquam in publica ista disputatioue propugnâsse. Attamen propositiones ejus, de quibus statim agemus, acri censione notatas docet antagonista Turre-cremata in tractatu super his MS. qui inter Vaticanos libros servatur.

362. E Roma Basileam transiisse, idque anno sæculi quadragesimo, hoc est, ante hoc tempus, quod à nonnullis dicitur, vix credimus; nuper dictâ ibi in Concilio Eugenii IV. exauctoratione, ac Felicis exaltatione, hoc est, indicto bello in Eugenium; quem, qui Basileensibus communicaret patribus, damnare quodammodo videretur. Quamquam non diffitear eos in præcipuo themate, quo quasi fundamento Eugenio adversantes nitebantur, Alphonsum, ut ex aliquo ejus testimonio liquidum est [s], secundantem habuisse. Crederem potiùs Basileam cum aliis Hispanis theologis venire potuisse, indeque Romam circa annum MCDXLIII. ut inde alii, & inter eos Joannes ipse de Turre-cremata, recesserunt.

s Parte 2. Defensorii.

363. Est & qui è publicis monumentis Tarraconensis Scalę-Dei monasterii Carthusianorum confirmare velit [t], in Hispaniam reversum, ac strictioris vivendi normæ desiderio tactum in ea domo sese Carthusianis sodalem dedisse; tribus tamen ferè elapsis mensibus huic instituto renunciare opus habuisse, ut regiis expostulationibus, nec minùs publicorum negotiorum, quibus sese subtraxerat, necessitati obsequeretur. Ascitus enim fuerat à Joanne Rege in consilium suum, majorque cancellarius, & abbas Pincianæ collegiatæ Ecclesiæ dictus.

t Valls in libro vulgaris linguæ ......

364. Tandem, ne pontificali dignitati vis quodammodo injuriaque ultrà fieri videretur, idem Eugenius Pontifex rogatu Joannis Regis Abulensis urbis antistitem Alphonsum Tostatum in locum Alphonsi Fonsecę ad Hispalensem Ecclesiam translati, anno MCDXLIX. renunciavit. Quo munere per sexênium piissimè atque integerrimè functus, naturæ tandem concessit in oppido suæ diœcesis *Bonilla de la sierra* dicto, III. die Septembris MCDLV. ętatis suæ anno LV. cùm ante aliquot menses publicis novi Regis Henrici hujus nominis IV. coronationis comitiis interfuisset [u]. In quo quidem assignando ætatis anno, nimis à vero abeunt qui quadragenarium eum obiisse ajunt [x].

u *Hist. Regis Joannis II.* ad hunc annum.
x Bellarminus, Labbeus, Possevinus.

365. Statura fuit mediocri (Pulgaris ait jam laudatus) crasso quidem corpore, sed aptè formato, grandi capite robustoque, hoc est, virili vultu, eoque breviori collo subnixo. Quibus autem viribus ingenii memoriæque ad pertingendum literarum omniũ apicem, nomenque suum in eminenti quodam loco, quò quidem eniti datum fuit paucissimis, collocandum accesserit, perpetuoque usus fuerit, monumenta ipsa ab eo relicta immensæ molis, neque imparis doctrinę, clamant. Quæ quidem si annorum quinquaginta quinque, quos vixit, diebus componas, nisi fallit curiosorum hominum [y], qui jam olim supputaverunt, calculus, singulis eorum dierum tria non minùs expansæ chartę folia Tostatum exaravisse integra oportet, sive, ut adstrictiùs dicam, ferè quinque aut sex omnino, pueritiæ si demas adolescentięque planè discendi, non docendi, aut scribendi, annos, stupendo ad posterorum omniũ, sive documentum, sive æmulationem, exemplo.

y Vide præfationem collegii ipsius S. Bartholomæi ad *Commentum Eusebianum* Tostati.

366. Memoriâ item viguit felicitatis tenacitatisque vix credendæ, adeò ut quæcumque semel etiam legisset, veluti è fidelissimo deposito statim & quandocumque reddiderit. Mira prorsus res traditur Gundisalvi de Ajora catholicorum Regum historici fide confirmata [z], Bononiæ eum libri cujusdam usum, ut legeret, quin tamen exscriberet, à possessore adeptum, legisse quidem illum semel atque iterum eâ animi contentione, ut domum veniens facilè integrum è memoriæ penu depromptum schedis commiserit. Quo quidem Charmidam illum apud Plinium lib. 7. cap. 24. laudatum ex æquo provocari, quis non videt? Recensentur alia ejusdem documenta rei cum Cyri, Cineæque, Scipionis, aut Mithridatis, quorum idem recordatur ibidem auctor, conferenda. Hujusque non ultimum amplissimæ indicium est ejus memoriæ, quòd in sic vasta librorum ab eo relictorum mole nil contradictorium, aut, in quo à se ipse abierit, reperiatur: quod in præfatione ad Eusebianum ejusdem commentum sodales Bartholomæani collegii admonent. Alia notavit Bovosius statim laudandus.

z Referunt Joannes de Guzman in *Rhetorica*, Vergara in *Hist. collegii S. Bartholomæi* pag. 89. Ægid. Gonzalez in *Theatro Eccl. Abulensis*.

367. Et hae tanta opus quidem ei fuit memoria, ut tot libris sic doctè copioseque de tot gravissimis, tam sacrarum quàm profanarum rerum atque historiarum quæstionibus à se subtiliter inventis, acutissimè atque nervosissimè tractatis, cumque admiranda soliditate & perspicuitate resolutis, unus homo tam immaturè rapiendus disputare posset. Hac tanta, inquam, opus ei fuit memoria, ut de re quacumque disputare posset, Gorgiæ illius rhetoris exemplo, qui se in auditoriis (si fides aliqua est antiquitatis) qua quisque de re vellet, interrogari permittebat [a], locumque dare, ut de se prædicaretur:

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne,

Atque item *admirabilem theologum, universalemque scientiarum oceanum* ab aliquo magnæ doctrinæ viro, *scriptorum mole, cognitione antiquitatis, multiplici eruditione ad miraculum clarum*. à Joanne Mariana [b] *virum multiscium, cujus numerosa & variis de rebus, tùm sacris tùm profanis, edita volumina Didymo illi Alexandrino parem faciunt*, ab Alvaro Gomezio [c], ab aliis aliter audire.

a Quintilianus lib. 2. *Institut. orat.* cap. ultimo.
b Lib. 21. cap. ult.
c Lib. 5. *De rebus gestis Francisci Ximenii Cardinalis*.

368. Prętermitti neutiquam debet Alphonsi Garsiæ Matamori elogium, qui *ex tam infinita doctorum hominum* (ait) *multitudine, quantam hæc ætas habuit, nemo citra controversiam ad Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis laudem aspiravit; cui si alio, quàm suo sæculo, vivere contigisset, neque Hipponæ Augustinum, neque Stridone Hieronymum, nec alium quempiam ex illis proceribus Ecclesiæ antiquis nunc invide-*

invideremur. Excellentis vir ingenii fuit, & admirandæ memoriæ, divinæ etiam ſapientiæ, & antiquitatis peritiſſimus; dignus fortaſſe qui poſt quatuor Eccleſiæ doctores cum Iſidoro & Thoma ile quinto loco certaret. Quòd ſi purior quædam ſplendidiorque conſuetudo loquendi ſuis temporibus fuiſſet, non dubito quin poſteriores omnes in ſui admirationem eſſet converſurus. Hęc ille in *Apologetico* ad rem digniſſimè. Raynerii Bovoſii canonici regularis elogium, de quo infrà dicemus, lectu non minùs dignum eſt.

369. Sed jam ad ſcripta, quæ quidem aſſervata olim in monaſterio Hieronymianorum S. Mariæ *de Guadalupe*, & in Salmantino gymnaſio MSS. uti Ferdinandus Pulgaris refert, nos hìc recenſebimus ex editione Veneta anni MDCXV. apud Ambroſium Dei, quæ viginti quatuor voluminibus, induſtriâ Paullini Berti Lucenſis, Ordinis eremitarum S. Auguſtini congregationis Lombardiæ, *vetuſtiſſimo* (ut ait) *originali configurata, ac tribus indicibus inſignita, ſcilicet quæſtionum, conceptuum ad prædicatorum uſum, & ſententiarum ſacræ Scripturæ ab auctore expoſitarum*, Latina omnia noſtri opera hactenus edita comprehendit. Quibus præmittitur Raynerii Bovoſii canonici regularis congregationis S. Salvatoris de auctore atque ejus editione ad lectorem pręfatio. Sequuntur opera:

370. I. Tomus. *Commentaria in Geneſin.* Quibus præit *Commentarius in epiſtolam Sancti Hieronymi ad Paullinum*, qui *prologus* audit *Galeatus*, & *in præfationem* ejuſdem *in Pentateuchum*.

II. *In Exodum*. Duabus partibus.

III. *In Leviticum*.

IV. & V. *In Numeros*. Duabus partibus.

VI. *In Deuteronomium*.

VII. & VIII. *Super Joſuē*. Duabus partibus.

IX. *Super Judices & Ruth*.

X. *Super primum librum Regum*. Duabus partibus.

XI. *Super 2. & 3. Regum*.

XII. *Super quartum Regum*.

XIII. *Super primum Paralipomenôn*.

XIV. *Super ſecundum Paralipomenôn*.

371. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. hoc eſt ſeptem non minùs volumina, in *Euangelium Matthæi*, quorum ſextum anno MCDXLVI. abſolvit, ſeptimū MCDXLIX. Intereſt enim vel minuta de viris ſummis hæc notari. Quæ ſunt omnes ferè hiſtoriales libri veteris Teſtamenti, & copioſiſſima novi ab Euangeliſta Matthęo ſcripta hiſtoria, quos quidem ad literam (ut ajunt) relinquens, aliis moralia explanare conatus fuit.

372. XXII. Tomus continet opuſcula, quę hactenus edita ſunt, nempe:

I. *Defenſorium trium propoſitionum*, quod emiſit anno MCDXLIII. videlicet Senis in curia Eugenii IV. coram magna prælatorum, & eruditiſſimorum virorum frequentia, viginti & unam concluſiones à ſe propoſitas publicè, uti antea diximus, per biduum defendit, quarum quatuor parum ſanę quibuſdam viſæ ſunt. Exſtat quidem in bibliotheca Vaticana [d] *Joannis à Turre-cremata tractatus, in quo ponuntur impugnationes quarumdam propoſitionum, quas quidam magiſter in theologia, nominatus Alphonſus de Matricali poſuit & aſſeruit in diſputatione publica in Romana curia* XXI. *die Junii anni MCDXLIII.* Propoſitiones ſunt, I. *In nullo anno ætatis Chriſti eum mortuum dicere poſſumus, niſi quando incœperit temporis ſui annus triceſimus tertius.* II. *Quòd die Annunciationis Virginis, ſcilicet* XXV. *Martii, ut communiter aſſeritur, Chriſtum paſſum fuiſſe dici non poteſt, ſed die tertio Aprilis eum mortuum fuiſſe dici neceſſe eſt.* III. *Nullum peccatum, cujuſcumque conditionis, & pro quocumque ſtatu irremiſſibile eſſe.* IV. *Quòd à pœna & à culpa Deus non abſolvit.* V. *Quòd neque aliquis ſacerdos abſolvere poteſt.*

d Cod. 1606. MSS.

373. Harum tribus ultimis adverſus impugnatorem vindicandis *Defenſorii* ſui priorem partem, quæ Guterio Toletano hujus urbis præſuli, duabus primis poſteriorem, quæ Joanni Carvaxalio Cardinali S. Angeli directa eſt, addixit. Cenſoriâ quidem notâ eas tunc confixas fuiſſe, ſcilicet duas de Chriſti mortis die, ut temerarias & ſcandaloſas, tres autem reliquas de abſolutione peccatorum, uti falſas, erroneas, & hęreticas, in judicio trium Cardinalium, & aliorum egregiorum, & in utroque jure, divino & humano, clariſſimorum doctorum, Joannes Turrecremata in fine tractatus ſui refert. Nihilominus tamen *Defenſorium* ſuum Toſtatus huic promulgatę jam ſententię intrepidè oppoſuiſſe videtur. Neque tamen ſine aſſertoribus & vindicibus viris noſtro & ſuperiori ſęculo rerum mathematicarum doctiſſimis [e] Alphonſi ea opinio de diè mortis Chriſti, cujus primus ille fuit auctor, derivavit ad poſteros. Et ſanè ex hoc fonte, & Paulli Burgenſis *in Matthæum apoſtillis* (Gerardus Joannes Voſſius ait [f]) *juniores ferè hortos ſuos irrigârunt, ut qui vix adſerant quod non apud duos illos legerint, vel eos qui hos exſcripſerant.*

e Joannes Lucidus *De emend. temp.* in *opuſc. De die Paſſionis Chriſti* cap. 9. Plures laudat Ricciolus *Almagesti* part. 1. lib. 5. cap. 18. §. 3. Levera *De vera nativit. anno, menſi, & diei Paſſionis Chriſti* pag. 51. Mariana in *opuſc. De anno & die mortis Chriſti* cap. 10. Baronium vide ad annum Chriſti XXXIV. nu. 151.

f *De tempore Domin. Paſſionis* §. 8.

374. Neque etiam abſque rationis ulla ſpecie is dixiſſe videtur, quamvis nullum peccatum irremiſſibile ſit, hoc eſt ex ſua natura, ab eo tamen nec Deum, nec ſacerdotem abſolvere, ſed à reatu illius dumtaxat. Culpa enim durat dum committitur; commiſſa tranſit, nec jam eſt quod abſolvatur, quum pœnitentia intervenit. Item nec à pœna Deum aut ſacerdotem abſolvere ajebat; quia pœna non eſt propriè vinculum, quod abſolutum dici poſſit: obligatur enim homo ad pœnam, neceſſeque eſt differre obligationem ab eo, ad quod eſt homo obligatus. Quæ quidem paradoxè ac rigoroſo verborum atque ſcholaſtico uſu, & ut ingenii vires exereret, credidit Alphonſus verè dici; adverſarius verò Joannes tanquam novè, & adverſus communem ſacrarum Scripturarum ac theologorum veterum phraſin uſurpata, ſenſu alio reprobavit.

375. II. *Liber de quinque figuratis paradoxis.* Habeo editionem hujus operis Venetam Joannis & Gregorii de Gregoriis anni MDVIII. quæ in fine directionem habet *ad glorioſiſſimum Cæſarem, & magnificum triumphato-*

pbatorem semper Augustum illustrissimum Castellæ ac Legionis Regem, &c. Joannem II. scilicet. Incipit: *Humillimus vassallus*, &c. Cum *epistola nuncupatoria* Benedicti Binni Veneti *Francisco Simancesio Cardinali*. Hic est Franciscus Ximenez Toletanus antistes.

III. *De sanctissima Trinitate*. Incipit: *Juxta conditionem temporis vernalis*. Est penes me MS.

IV. *Libellus super*: Ecce virgo concipiet, &c. *Isaiæ cap.* 7. Incipit: *Hoc mihi propositi*, &c. apud me MS.

V. *Libellus contra sacerdotes publicos concubinarios*.

VI. *Libellus de statu animarum post mortem*. editus aliàs cum Barthol. Sibyllæ & Joannis Trithemii *De Deo & Intelligentiis*, Antuerpiæ apud Belleros MDCXXI. in 8º.

VII. *Libellus De optima politia*. Ms. codex noster, qui aliqua è superioribus continet, hoc opus sic inscriptum habet: *Amœnissimi ingenii, omniumque disciplinarum laude, & humanarum rerum usu ac consilio instructissimi, D. Alphonsi Episcopi Abulensis. Repetitio de optima politia*. Incipit: *Nuper cùm valdè adolescentibus*, &c.

376. XXIII. Tomus. *Index rerum est præcipuarum, quæ in commentariis ac operibus omnibus Alphonsi Tostati*, &c. *continentur, auctore Francisco Fontano sacræ theologiæ magistro, per R. D. Raynerium Bovosium canonicum Regularem restitutus, nunc tandem per Paullinum Berti*, &c. *à mendis expurgatus & auctus*. Hic est Franciscus de la Fuente Ellerenensis, Complutensis Ecclesiæ canonicus, qui suum hunc indicem Carolo V. Imperatori dedicavit, editum Pinciæ à Joanne de Villaquiram MDXLVII. in folio duobus tomis, ut in altera bibliothecæ hujus parte diximus.

377. XXIV. *Index conceptuum ad prædicatorum usum in totum anni cursum ex ejusdem operibus desumptus per eundem Paullinum Berti*. Item: *Index quæstionum ex omnibus dictis operibus ab eodem Berti confectus; & index tertius auctoritatum sacræ Scripturæ, quas idem in suis commentariis obiter exponit*.

378. His XXIV. voluminibus comprehensa sunt in hac editione opera omnia Alphonsi Latina, quæ reperiri potuerunt. Sed princeps editio eorum, quæ in sacræ Scripturæ libros historicos commentaria sunt, Venetiis facta est à Gregorio de Gregoriis tredecim voluminibus anno MDVII. si non fallit Gesnerus, ut ex ejus constat epitome. Sumptus videlicet præbente magno illo Toletano præsule & S. R. E. Cardinali Francisco Ximenio de Cisneros g; cujus an eximiæ sanctitati, an auctoris meritis tribuere debeamus patratum non obscurè in manuscriptis codicibus miraculum, cùm in Italiam navi ad editores iterum divulgandi perveherentur ambigua res prorsus est.

g Constat id ex epist. dedicatoria Benedicti Binni Veneti ad editionem *Quæstionum paradoxarū* an. MDCVIII. de qua nos suprà.

379. Quassata navi vectorum substantia omnis periit, unaque arca, doctissimarum lucubrationum custos, Alphonsi Poli Conchensis canonici curæ commissa, qui cum ceteris ad provinciæ litus prope oppidum *Matalon* thesauro illo spoliatus ægrè evasit. Proximo autem mane coram innumeris unica præteriti naufragii præda ex alto ad litus arca ejecta fuit, salvumque in ea quicquid Alphonsus tot vigiliis elucubraverat, quicquid tot hominum doctorum ardentissimis exspectabatur votis, paullò pòst publicandum. Cujus rei examen factum Romæ apud Auditorem Cameræ anno MDXXV. sedecim non minus rogatis testibus, qui rem videre, publicoque instrumento consignatum in tabulario Bartholomæani collegii Salmanticensis urbis asservatur h. Quin verò eventum hunc primæ ac secundæ attribuamus editionis tempori, eò cogit nos viginti ferè annorum intervallum inter priorem illam anni MDVII. editionem, & sumptum Romæ eo, quod nuper diximus, de recuperata è mari librorum arca testimonium; quod ceteri de hoc scribentes non animadvertunt.

h Ægidius Gonzalez Davila in *Theat. Eccl. Abulens*, & *Alphonsi* vitâ pag. 92.

380. Hujus quidem alterius editionis Caroli V. auspiciis ac jussu Venetiis nuper (ut ait) factæ, meminit Franciscus Fontanus in nuncupatoria indicis ad eum epistola circa annum MDXLVII. quo is liber prodiit, scripta; in quo tamen auctore obscurum mihi est, quòd alibi dixerit, se indicem istum ad exemplar eorum, quæ Venetiis semel tantùm excusa fuerant, accommodâsse. In hac etenim urbe, tam prima illa anni MDVII. quam secunda Carolina hæc, factæ sunt. Quæ quidem urbs & tertiùm edidit apud Sessas anno MDXCVI. qua editione xxvii. tomis distinctâ usum se, cùm historiæ *De scriptoribus Ecclesiasticis* dissertationi navaret operâ, Philippus Labbeus testatur. Coloniensem quartam anni MDCXIII. ex officina Joannis Gymnici prodiisse novimus, quam tomis tredecim comprehensam nostra Veneta, cujus ordini adhæsimus, anni MDCXV. sequuta est. Audio tamen eorum operum quædam Antuerpiæ MDLI. atque item Hispali & Salmanticæ recocta fuisse i.

i Idem Gonzalez in *Theat. Abulensis Eccl.*

381. Prodiit quoque in publicam hominum lucem ejusdem Alphonsi opus Hispanum præcipuæ celebritatis, quod inscribitur: *Comentario sobre Eusebio*. sive in ejus Chronicon, quinque voluminibus Salmanticæ per Hans Gisser MDVI. in folio, expensis ejusdem Francisci Ximenii Toletani præsulis. Simulque

382. *Tratado de los Dioses de la gentilidad, ò las catorze Questiones*. Quæ iterum Burgis prodiere anno MDXLV. in folio, curâ Ludovici Ortiz computatoris tormentariæ rei Caroli V. Cæsaris, Petro Ferdinandi à Velasco Castellæ Comestabili dicata; necnon & Antuerpiæ apud Martinum Nutium anno MDLI. in 8º. Quibus quatuordecim Quæstionibus comprehenduntur quatuor illæ à Guterio Toletano, Palentino Episcopo, auctori propositæ. I. scilicet: *Cur tam frequenter scriptores sacri, tum Joannis Baptistæ, tum Apostolorum, Deiparæ autem Virginis sic varò meminerint*. II. *Cur Deus Moysi præceperit ut faceret tabulas lapideas duas, quibus inscriberetur lex, nulla artificii curâ. Vasa autem omnia & instrumenta tabernaculi nonnisi artificiosissimè à Beseleel, & Oliab, & aliis conficienda eadem*

injunxerit. III. *Vita ne contemplativa, an activa, fructuosa magis ac meritoria sit*. IV. *Naturalis an moralis philosophia utilior sit*. Quæstiones autem decem, quæ sequuntur, ferè de diis gentium agunt; nempe V. *De Apolline*. VI. *De Neptuno*. VII. *De Luna*. VIII. *De Narcisso*. IX. *De Venere*. X. *De vitæ humanæ ætatibus*. XI. *De quatuor virtutibus moralibus, quas cardinales appellamus, ac de earum dignitate & præcellentia*. XII. *Quòd poëtis frequens fuerit Dei alicujus aut Deæ nominibus res naturales significare*. XIII. *De Minerva*. XIV. *De Cupidine*.

383. *Confessional, en el qual despues de haver tratado de todos los pecados, pone en fin los casos al Obispo y sumo Pontifice pertenecientes*. Lucronii apud Michaëlem de Eguia MDXXIX. in 4°. iterumque alibi anno MDXLV. in 8°. opus nuncupatum ab auctore Mariæ Reginæ Joannis Regis II. uxori.

384. Nescimus autem an diversum opus sit id quod in quodam catalogo librorum amplissimæ & manuscriptis ditissimæ bibliothecæ invenimus sub hac inscriptione laudatum: *Suma de casos de conciencia de Alfonso de Madrigal*.

385. *Artes y instruccion para todo fiel Christiano como hà de dezir Missa, y su valor*. Cæsar-augustæ MDIII. in 4°. Diversus ab hoc videtur.

386. *Respuesta à una peticion del Conde Don Alvaro de Zuñiga sobre la exposicion de la Missa, y como el Christiano hà de estar en la Iglesia à oir los divinos oficios*. Cujus editionem anno MDCXVII. Salmanticæ sese procuràsse ait Ægidius Gonzalez Davila.

387. *Breve obra de los fechos de Medea*. Quod auctor ipse laudat in principio *Quæstionis* octavæ libri 14. *Quæstionum*.

388. *Tratado que fizo el muy sciente maestro en santa theologia el Tostado, Obispo de Avila, estando en el estudio, por el qual prueva como al home es necessario amar*. Exstat sic inscriptus in bibliotheca regia Escorialensi manu exaratus, atque item in Colonæa Hispalensis almæ Ecclesiæ, ut ab ejus bibliothecario D. Joanne de Loaïsa accepimus.

CAPUT VIII.

De ALPHONSO DE S. MARIA, *sive* DE CARTHAGENA, *Burgensi Episcopo, Paulli etiam post Episcopi Burgensis filio. Ejus magnæ virtutes atque dignitas in Concilio Basileensi satis perspectæ, miréque laudatæ. Ejusdem legationes & scripta, controversia præcedentiæ inter Angliæ & Castellæ Regum oratores, & super insularum Fortunatarum dominio inter Castellæ & Portugalliæ. Diversa olim opinio de non repellendis ab honore & dignitate ulla è Judaïsmo conversis. De* JOANNE DE MENA *Cordubensi poëta, & regio Joannis II. Castellæ Regis historico, & ejus carminibus. De* JACOBO DE S. JOANNE, FERDINANDO PETRI DE GUZMAN, *Joannis ejusdem Regis II. chronographo, &* ALPHONSO CARRILLO DE ALBORNOZ. *De* ALPHONSO *item Aragoniæ & utriusque Siciliæ magno Rege, ejusque in literas & literatos amore. De* BERNARDO DE MONTESA *Carmelitarum sodali, ac* BERNARDO *altero Cisterciensi monacho:* CALLISTO *Papa III. &* DIDACO DE COMONTES.

389. ALTER, post nunquam satis laudatum Abulensem Episcopum, ALPHONSUS huic loco sistendum se offert, utpote decem tantùm ab obitu Tostati mensibus fato functus. Paulli Burgensis Episcopi ex legitima conjuge filius, DE SANCTA MARIA, atque etiam GARSIAS DE S. MARIA, ac DE CARTHAGENA, cognominatus, Burgensis & idem quoque præsul; nec ipse minor, existimatione hujus sæculi, Alphonso Abulensi, si virtus, & animi robur, necnon insignis Ecclesiasticæ & publicæ rei utilis doctrinæ, simulque prudentiæ atque facundiæ dotes, considerentur. Quibus, dum viveret, Hispaniarum omnia regna, Germaniæ nationes, atque ipsam summi Ecclesiæ sacerdotis aulam, sive famâ, sive coràm præceptis, cum singulari quadam, nec facilè aliis communi, famæ celebritate complevit.

390. Natus hic, uti creditur, anno superioris sæculi sexto supra nonagesimum, & sub disciplina magni parentis ad sacram tempore suo ineundam vitæ rationem educatus, integerrimis & gravissimis moribus, quos vultus ipse ac status decore & honestate pleni commendabant, eximiam juris utriusque prudentiam, naturalisque totius philosophiæ cognitionem, veluti monogrammæ ac lineari picturæ colores, adjunxit. Decanum ille tunc gerebat Compostellanæ Ecclesiæ (addunt, & Segobiensis) cumque Portugalliæ Rege Joanne, anno scilicet XXIII. Joannis Castellæ Regis sui nomine pacem pepigerat, cùm idem Joannes Castellæ Rex secundus Hispanam pro dignitate rei ad Basileensem Oecumenicam Synodum legationem adornaturus, (quæ Synodus anno MCDXXXI. & aliquot sequentibus, favente olim Eugenio Papa, mox ab eo diris devota, perduravit) Alphonsum eò nostrum [a], unà cum Alvaro de Osorna Conchensi antistite, & Joanne de Sylva Cifontano Comite, destinavit. Quo in loco & munere nactus is idoneum & apertum explicandæ suæ virtutis campum, mira res quantum honoris & plausus ab omnibus ejusdem Concilii patribus & consessu integro reportaverit.

[a] Garibay lib. 16. cap. 21.

391. Cujus rei quia egregium satis præsentemque gestis omnibus habemus testem, Æneam nempe Sylvium, qui Pius aliquando II. Papa fuit creatus, ex ejus *Commentariis* de hoc Concilio ea quæ ad propositum spectant, quòd liber ille non adeò vulgaris est; sive quia præstat omnia simul haberi, quæ vir laudatissimus de viro laudari dignissimo consignavit scriptis suis, desumemus. Libro I. ait ex Hispanis unum Episcopum Conchensem, cùm inchoaretur Concilium, præsentem adfuisse. *nondum enim deliciæ Hispaniarum* (inquit) *Burgensis ex legatione ad Cæsarem erat reversus*. Unde liquet medio isto tempore postquam ex Hispaniis fuerat profectus, Burgen-

fis

ſis eum Eccleſiæ inſulis per renunciationem (quod ſuo loco diximus) Paulli patris ornatum fuiſſe. Nam paullò pòſt Æneas de congreſſu quodam inter patres habito, *plurima etiam* (ait) *prælatorum decus Burgenſis Epiſcopus ac eleemoſynarius Regis Aragonum* (alius à noſtro hic eſt) *non minùs eloquentiâ quàm doctrinâ præclarus, diſputavere*. Deinde ad quæſtionem de ſuperioritate Papæ aut Concilii multa illum reſpondiſſe *ſic doctè atque veriſicè, ut omnes ab ejus ore avidè dependerent, jam non (ut in aliis fit) orationis finem, ſed longam continuationem deſiderantes, ipſumque unicum eſſe ſcientiæ ſpeculum prædicarent*. Sequuntur alia minus ad rem pertinentia. Loco autem alio: *Primus igitur Burgenſis Epiſcopus inter omnes conſilio & facundiâ præſtans, differri concluſionem* &c. ſuadebat. Et mox: *Inſtabat magnopere Burgenſis Epiſcopus, ut ſi poſſet, inter diſcordes patres concordiam ſereret, & qua ipſe ſibi perpetuò fruitur, elargiri pacem aliis ſatagebat*. Conſtat autem ex primo iſto, quem laudamus, *Commentariorum* libro, Hiſpaniç omnes præſules, quum de exauctorando Eugenio actum fuit, à ſeſſione abſuiſſe. Nec ulla ulterior in Concilii geſtis apud Æneam Alphonſi mentio.

392. Carthaginenſem quoque fuiſſe eum Epiſcopum neſcio unde eliciunt qui hunc fuiſſe prætermiſſum in hujus Eccleſiæ præſulum albo, Ægidio Gundiſalvi Davilæ, & Franciſco Caſcalio *Murcianarum rerum* hiſtorico, conſundentes hunc cum Paullo genitore, culpæ vertunt. Ferdinandus enim Pulgarius in elogio altùm tacet de hoc munere.

393. Oportet autem, uti diximus, ſi Compoſtellanus erat decanus, cùm Baſileam fuit deſtinatus, & ab Eugenio IV. Papa creatus fuit Romæ Burgenſis Epiſcopus (quæ duo Pulgarius diſertè docet) in ejus tranſitu per Romanam curiam Baſileam aut Germaniam verſus id contigiſſe, cùm intra breve tempus cùm in Concilium veniſſet, Burgenſis jam ab Ænea Sylvio appelletur Epiſcopus. Porrò eam vel adhuc abſentis opinionem Eugenium concepiſſe noſtri auctores referunt [b], ut cùm certior factus fuiſſet brevi eum in curiam venturum, coram ſacro Cardinalium ſenatu, ſe, præſenti Alphonſo, in Petri cathedra non ſine verecundia ſeſſurum ingenuè ac modeſtè pronunciaverit.

[b] Garibay lib. 17. cap. 4. Ægidius Gonzalez in *Theatro Eccleſ. Burgenſi*. Joannes Mariana lib. 21. cap. 6.

394. Dicitur quoque Alphonſus noſter publico nomine, ſive Joannis Regis, ſive Concilii ipſius Baſileenſis, Albertum II. Auſtriacum Imperatorem & Ladiſlaum Poloniæ Regem ſuper Bohemiæ regno diſſidentes conciliâſſe: quod quidem poſt è Baſilea diſceſſum circa annum MCDXXXVIII. ſequentémve, quo tempore Albertus imperavit, oportet factum.

395. Multis Pulgarius celebrat Alphonſi virtutes, mentis atque corporis æqualem munditiam, animi demiſſionem, temporalium abſtinentiam, muneris ſui geſtionem ad unguem exacti, & inſignem piarum erogationum munificentiam. Alphonſus item Palentinus in geſtis Hiſpanienſibus ſuorum dierum, ſive *Annalibus* adhuc MSS. gravitate honeſtateque inſignem virum ac doctrinâ ſingularem prædicat. Opera autem nobis hæc reliquit, quorum non minùs quàm rectè & laudabiliter geſtorum auctoramento, poſteritati ſe commendavit. Aliquot autem eorum lucem viderunt, cætera remanſiſſe Burgis in cappella, in qua tumulatus fuit, Pulgarius refert.

396. *Anacephalæôſis nempe Regum Hiſpanorum, Romanorum Imperatorum, ſummorum Pontificum, necnon Regum Francorum* (ad Burgenſe capitulum, ut ex præfatione colligitur, quâ innuitur etiam, quâ formâ voluerit auctor hanc recapitulationem, ſeu arborem hiſtoriâ expoſitum, chartis conſignari) ex illa nempe majoris operæ, quam Joanni, nuper defuncto, Regi nuncupatam olim obtulerat, ad majorem brevitatem redacta, & ab Athanarico Gotthorum Rege uſque ad Henrici Caſtellæ Regis IV. initium, ſive ad ultimum uſque Februarii diem anni MCDLVI. quod in fine ait, continuata. Hanc primùm in lucem emiſit Xantus, ſeu Sancius, Nebriſſenſis, Antonii filius, unà cum Roderici Ximenii Toletani, Joannis Gerundenſis, antiſtitum, ejuſdemque Antonii Nebriſſenſis catholicorum Regum hiſtoriis, Granatæ anno MDXLV. in folio. Unde iterum commiſſa fuit *Hiſpaniæ illuſtratæ* corpori ab Andrea Schoto. Sub *Genealogiæ Regum Hiſpanorum* titulo laudat hunc commentarium Didacus Roderici de Almela in *Valerio ſuo hiſtoriarum* lib. 8. tit. 6. cap. 9. Attamen *Anacephalæôſis* titulum præſefert codex antiquus, qui apud Olivarenſem comitem fuit manu ſcriptus. Uulgari autem lingua

397. *Doctrinal de cavalleros*. quem rogatu Didaci Gomezii Sandovalis Comitis de Caſtro ac de Denia ſcripſit librum Burgis editum anno MCDLXXXVII. atque iterum MCDXCII. in folio: quæ duæ editiones in eximii viri D. Laurentii Ramirezii à Prato bibliotheca fuere. Continet hic liber nobilium virorum ad ea quæ noſcere ac facere tenentur, ex legibus olim à Regibus Hiſpaniarum promulgatis, inſtructionem.

398. *Oracional ò tratado que contiene* (apponimus inſcriptionem integram editionis poſthumæ) *reſpueſta à algunas queſtiones que hizo el noble cavallero Fernan Perez de Guzman al reverendo P. virtuoſo Prelado D. Alonſo de Carthagena de buena memoria, Obiſpo de Burgos, tocante à la fiel y devota oracion*. Sequitur: *Contemplacion mezclada con oracion, compueſta en Latin, y tornada en lenguage Caſtellano, ſobre el Pſalmo de David*: Judica me Deus. Item: *Declaracion de un tratado que hizo S. Juan Chryſoſtomo, el qual demueſtra y concluye, que ninguna perſona es dañada ſino por ſi miſma; que le mandò el Rey D. Juan el II. hazer*. Adjungitur carmen ſeu epicedion Ferdinandi ejuſdem Perezii in Alphonſi obitu. Quæ omnia Didaci Roderici de Almela, qui familiaris fuit Alphonſo, ut credimus, operâ Murciç ex typographia Gabrielis Loïſii Arimo, & Lupi de la Roca MCDLXXXVII. in folio prodierunt. Hoc *Orationale* opus, aliàs *duodenario*, quòd quæſtionibus conſtaret duodecim,

decim, nuncupatum, idem Didacus Roderici in epiſtola quadam ad Joannem Cordubenſem ſcripta, quę unà it cum ejus opere *De las batallas campales* ſub hac laudat epigraphe.

399. *Conflatorium* (neſcio cujus argumènti) laudat idem Almela in *Valerii hiſtoriarum* ſæpiùs dicto loco.

400. *Defenſorium fidei*. Hunc librum diſertis verbis laudant idem Almela in *Valerio hiſtoriarum* lib.8. tit.6. cap.9. Alphonſus Venerus in *Enchiridio temporum*, & alii. Atque hunc editum typis fuiſſe alicubi legimus.

401. *Super altercatione pręeminentię ſedium inter oratores Regum Aragoniæ & Angliæ in Concilio Baſileenſi*. Ita inſcribitur in codice Vaticanæ bibliothecæ manuſctiptæ num. 4150. Noſtris auctoribus non cum Atagoniæ, ſed cum Caſtellæ, conttoverſiam Anglis legatis fuiſſe affitmantibus. Planè Caſtellæ dignitatem ab eo contra oratores Anglos, qui priora ſibi vendicabant, ſctipto defenſam, & patribus oblatam, Stephanus Garibajus lib.16. cap.23. & Joannes Mariana lib.21. cap.6. docent, quo quidem ſcripto Anglorum audaciam fregit. Ac vetè res inter Anglos & Caſtellanos geſta argumentum eſt libelli, quem plures viderunt. Quare mendum irrepſiſſe in Vaticani codicis inſcriptionem conſonum vero eſt. Nam codici ejuſdem bibliothecæ 4151. *Propoſitio* inſcribitur *facta per rev. P. Alphonſum, Ep. Burgenſem, ſuper altercatione* &c. *inter Ambaſciatores ſereniſſ. & potentiſſ. principis dom. noſtri Regis, & Ambaſciatores illuſtriſſ. principis dom. Regis Angliæ* &c. Incipit: *Memor ſum, reverendiſſ. reverendique PP. ejus ſententiæ, quam dixiſſe fertur Demoſthenes* &c. Hoc autem fortaſſe opus eſt, *De las ſeſſiones*, hoc eſt, Seſſionum, quod noſtto ttibutum à Didaco Valera in *Cæremoniali principum*, quod manuſcriptum exſtat, obſervavimus.

402. Item. *Super Canariæ inſulis pro Rege Caſtellæ allegationes*. quæ ſunt in Vaticano codice 4151. MSS. Lis nimirum erat ſupet dominio Fortunatarum, ſive Canariarum inſularum, inter Henricum Portugallię Inſantem Joannis I. Regis filium, cui Betancurtius Gallus nullo jute eas vendiderat; & Joannem II. Caſtellæ Regem; reque ad Eugenium Papam delata, Ludovico Alvati de Pace Joannis procuratore, dicta pro eo ſententia fuit; quod anno hujus ſęculi triceſimo primo contigiſſe, Franciſcus Lupi à Gomora in *Hiſtoria generali Indiarum* docet, atque eo adhuc diſtinctiùs Joannes Nonnius Peña in nova iſtarum inſularum deſcriptione & hiſtoria cap.7. Aderat fortè Alphonſus ſub idem tempus Romæ Baſileam venturus, cui commendatæ ſimul cum Ludovico cauſſam inſtruendi partes fuere. Adjungit Almela ſimul agitatum fuiſſe de jure ad expeditiones in proximis Hiſpaniæ oræ regnis Africę Feſſano & Marochitano faciendis: Meminit etiam hujus operis Alphonſus Madridius Alcoritanus archidiaconus in *hiſtoria* MS. *Palentinæ urbis*.

403. *Orationem* quoque habuit in *Concilio Baſileenſi*, quę in Vaticano 232. MS. codice exſtat.

404. *Defenſorium unitatis Chriſtianæ, ad ſereniſſ. principem dom. Joannem Caſtellæ & Legionis* &c. *Regem potentiſſimum*. Converſorum ex Hebraïſmo agit cauſſam, ut ſcilicet benevolè, & ex Chriſtianę charitatis legibus; non verò cum honorum indignis & expertibus ad Eccleſię gremium reciperentur. Liber eſt doctiſſimus, ſuoque artifice dignus, ſacrarum Scripturarum, Eccleſię univerſalis, atque Hiſpanę Conciliorum, nec minùs ſanctorum patrum, & juris utriuſque teſtimoniis doctè atque nervosè explanatis, conſtans. Cujus tres partes ſunt. *Prima* (ipſius auctotis verbis) *aliquantò generaliter, ſecunda particulari diſtinctione ſpecialiter hanc ſanctam* (ait) *unitatem defendere tentat. Tertia quantum errorem incurrant qui contra eam aliquid dogmatizare præſumant, ac quid ad eorum reductionem ſeu punitionem ſuperioribus ſuis incumbat agendum, oſtendit*.

405. Prima quidem pars continet capita 10. ſecunda in quatuor theotemata ſubdividitur. I. Demonſtrat per redemptorem mundi Chriſtum Jeſum dominum noſtrum populum Iſraëliticum fuiſſe quoad ſufficientiam ſalvatum. II. Gentes quoque univerſas eodem modo per eundem Salvatorem gratiam recepiſſe. III. Tam Iſraëlitas quàm Gentiles per ſacti baptiſmatis januam ad fidem catholicam ingredientes, non duos populos, aut duas gentes diverſas manere, ſed ex utriuſque venientibus unum populum novum creari. IV. Tam hinc quàm illinc ad fidem catholicam venientes, quamcumque eminentiam, nobilitatem, aliámve dotem, quam ptimò habebant, in quantum Eccleſiaſticę hierarchię inſtitutis non obviat, recuperare, habilitatemque de novo obtinendi acquirere. Primum theorema octo capita, ſecundum tria, tertium ſex, quartum triginta quatuot habet capita.

406. Tertia demum pars operis capitibus quatuotdecim continetur. Incipit prologus ad Regem: *Scripſeram quidem veſtræ regiæ majeſtati, potentiſſime princeps, ſub veſtro*[c] *Hiſpano idiomate, quæ mihi tunc occurrebant ad exhortationem reductionemque illorum, ſi aliqui ſunt, quos inadvertentia* &c. *quæ unitatem Eccleſiæ catholicæ* &c. *offendere poſſent*. Unde liquet aliud aliquid operæ in eadem adornanda Sparta ante hoc tempus eundem navâſſe. Abſolvitur totum opus his vetbis: *Valeat proſperè, quinimmo feliciter, (ut unico verbo bona fortunæ & virtutis includam) regia ſerenitas veſtra, & hoc parvulum munuſculum in humilitate cordis, cum ardore charitatis, oblatum, regali gratioſitate acceptare, & ubi opus fuerit, corrigere atque emendare, dignetur. Anno quinquageſimo poſt quadringentos & mille ab incarnatione Verbi æterni conſcriptum, ſacri Romani tempore Jubilæi pio & optato currente. Laus Deo*.

[c] Forſan noſtro.

407. Hujus commentatii hoc ſpecimen nobis benignè huc inſerendum ſubminiſtravit æternùm colendus amicus noſter D. Joannes Lucas Corteſius ex MS. codice, quem apud ſe habet, quemque nos ipſi vidimus. Attamen commune hoc inter doctiſſimos vitos trium ferè ſæculorum de hac re judicium non potuit hactenus quampluribus ſtabili-

tum

tum Ecclesiarum & gymnasiorum sanctionibus, Pontificia etiam auctoritate nitentibus, contrarium judicium persuasionemque, non infrequentibus confirmatam apostatarum exemplis, labefactare. Occasionem verò huic dedisse Alphonsi scripto, quod quidem anno hujus sæculi sui quinquagesimo confecisse dicitur, primum de hac interdictione ab certis honoribus sive sedendi & suffragium ferendi locis novis Christianis facta statutum Toletanum quoddam superiore anno XLIX. factum admonuit nos cujusdam curiosi hominis oræ libri de quo loquimur affixa nota.

408. *Memorial de virtudes*. Quod à superiùs jam laudato *Defensorio fidei* distinguimus, quamvis confundere videantur alii, eo quòd vernacula inscriptio, quam omnes laudant, id suadeat, seorsumque ab illo habeant memorati Almela domesticus testis ac Venerus.

409. At nescimus planè quò respexerit Ludovicus Ariz benedictinus *Historiæ Abulensis* tertia parte fol. 12. quum *Lucam Tudensem in additionibus Alphonsi de Carthagena* (quod interpretor *additiones Burgensis nostri ad Tudensem Episcopum*) laudat; nisi *Anacephalæosin* significare voluerit.

410. Jussu quoque is Joannis Regis è Latino in vernaculum vertit Senecæ aliquot libros (duodecim Almela expressit) locisque opportunis glossas adjunxit. Interpretatus quoque est finem operis *De casibus virorum illustrium* Joannis Boccaccii à Petro Lupi de Ajala majorem in partem è Latino in Hispanum translati, uti de Petro loquentes annotavimus. Necnon & cum Leonardo Aretino de Aristotelis Ethicorum interpretatione ab eo confecta, cùm in Italia esset disputâsse dicitur, scriptoque disputationem consignâsse: quod Pulgarius & Almela referunt, quorum posterior *Declinationes* opus vocat. Planè is fuit Leonardus, *de cujus facultate interpretandi præclarum erat Andronii Thessalonicensis judicium. Verum quippe eum & fidelissimum Græcorum librorum interpretem appellare solebat, ceteros autem magis paraphrastas; in quo tamen majorem Romani sermonis castimoniam Erasmus requirebat*. Quod totidem verbis ait Petrus Daniel Huëtius, vir eruditissimus, *De interpretatione* libro secundo.

411. Decessit noster Alphonsus sexaginta annos natus Villasandini Burgensis sacri territorii oppido, cùm visitato Jacobi Apostoli sepulchro è Compostella rediret, XII. Julii MCDLVI. Directas ad eum habemus Ferdinandi Gomez de Civitate-regali, Joannis II. Regis medici, diserti facetique hominis, tres epistolas 24. 30. & 31. lectu non indignas. Multis nostrum laudibus efferunt Hispanarum rerum scriptores, Garibaius lib. 16. cap. 23. & lib. 17. cap. 4. Ægidius Gonzalez in *Theatro Burgensis Ecclesiæ*, & quis non?

412. Hic idem annus sæculi quinquagesimus sextus clarissimum ejus ævi poëtam JOANNEM DE MENA Cordubensem extinxit. Poëtam dicimus, quamvis & historicus Joannis II. Regis idem fuerit, eò quòd hujus studii monumenta absoluta nulla, istius autem celeberrima in posteritatis manus venire fecerit. Corduba eum in lucem edidit, alma ingeniorum parens, genitore Petro Ariæ honestæ conditionis, matre autem Roderici Ferdinandi à Peña-losa, civis ac decurionis ejusdem urbis, Toparchæ Almenaræ oppidi, filia; unde illi, ut credere par est, opportuno tempore decurionatûs idem munus contigit. Orbatus parentibus, unà cum sorore unica inter cognatos adolevit, nec ante annum ætatis vicesimum tertium, amore tactus literarum jam inde, Cordubæ primùm, postea Salmanticæ, tandemque Romæ, sedulò semper studio, historiarum præsertim, universæque antiquitatis, & humanioris doctrinę totus incubuit. Uxore autem in patria Garsiæ ac Lupi Vaccarum sorore ducta, amœnitate ingenii, morum jucunditate, ac singulari poëticæ artis, quæ aspero & rudi illo sæculo emergere poterat, excellentiâ, viris Hispaniæ principibus, & inter alios Enneco Lupi à Mendoza Santillanæ Marchioni, literatorum Mecœnati, & ipsi literarum eximio cultori, necnon primi inter poëtas subsellii, mutuis benevolentiæ & obsequiorum officiis se devinxit.

413. Jamque vulgò notus ac in pretio habitus, facilè etiam se in Joannis II gratiam, qui carmina vehementer amavit, & poëtis non mediocriter delectabatur, omnibusque bonis artibus & earum professoribus propitius fuit, insinuavit; ut & chronographi quoque munus ei aliquando exhiberet, in hunc bene de posteritate merendi, resque ejus gestas in commentarios digerendi, locum allectus.

414. Nec defuit Joannes commissæ sibi Spartæ; nam scribere eum ęqualem ejus temporis nutu Regis historiam, ignorare nos vetuerunt ex epistolis, quas Ferdinandi Gomezii de Civitate-regali, regii medici nuper laudati, jam vulgares legimus, eæ quæ ad nostrum Joannem directę sunt. In vicesima etenim adhortatur eum, ut metrico *circulorum septem*, quod in manibus habemus, atque idem confecerat iis jam diebus, poëmati, compendium historiale succedere faciat. Et in epistola 47. quod vernaculo dabimus testimonio. *E ya sabe su señoria* (hic honoris titulus tunc dabatur Regibus, quem jam in aliquo vix pretio magnates nostri habent) *que escrivò su historia à manera de comentos, e le place, e le placeria ver algunos capitulos, cà es codicioso de loa, como de meterse en arduos fechos, e me manda que os narre la poridad de lo que à su señoria le mandan de fuera, e lo que su señoria manda tambien*. Hoc est: Novit jam Rex historiam ejus te scribere commentariorum ordine, quod placet ei; cujus & aliquot videre capita gratum haberet: est enim laudis non minus quàm aggrediendi magna quęque laudeque digna cupidus. Porrò mihi in mandatis dedit ut tecum quicquid novi ad eum aliunde scribitur, ipseque aliò scribit, confidenter communicarem. Et in epistola 49. jussum se à Rege ait ad eum mittere relationem eorum quę in expugnatione Ximenę oppidi Maurorum gesta essent: & in fine ait, Regi se legisse conclusionem *tertii circuli* (Veneris scilicet, in eo,

eo, quod laudavimus, poëmate) Regemque unà cum precum divinarum libro ad manus hoc habere, idemque in eas ſumere frequenter ac ponere.

415. Necnon in epiſt.74. referens ei pluiſſe juxta Roam Caſtellę oppidum, dum Rex venatum eò exiiſſet, pumiceſos ac ſpongioſos lapides, adeoque leves, ut quamvis mortariorum quędam rotundorum, quędam & cervicalium medietatis, nonnulla quoque ſemimodiorum ęquarent magnitudinem, ſemilibrę vix pondus haberent, & abſque aliquo nocumento vel capitibus exciperentur. Ex iis lapidibus quoſdam ad Menam deferri ab eodem Rege impoſitum ſibi fuiſſe ait.

416. Improlis tandem, libros loco liberorum poſt ſe propagatores ſui relinquens, cùm & Joanni Regi à ſecretis, ut ajunt, fuiſſet, Turri-lacunę anno MCDLVI.ætatis ſuę quadrageſimo quinto, pleuritide confectus obiit, illatuſq; ſepulchro fuit, Enneci Mendozii Sanctæ Julianę Marchionis prędicti, eorum temporum magni heroïs, impensâ in templo parœciali ejuſdem oppidi, quod diœceſis Toletanæ eſt, juxta aram conſtructo. Quod totum ex Lucii Marinæi Siculi elogio, quod libro 6. (nonniſi in antiqua editione quærendo) *De laudibus Hiſpaniæ*, conſignavit, Franciſco Tarraſa *De Hiſpaniæ Regibus* in Joanne II. item ex epicedio quodam à Valerio Franciſco Romero, in Ferdinandi Nonnii Guzmani (Menam qui commentario ſuo illuſtravit) morte dicto, necnon Gomezii Manrici carmine ad Marchionis Sanctæ-Julianæ obitum, Petro Salazario Mendoza, in magni Mendozæ Cardinalis Hiſpaniæ rebus geſtis cap.23.§.3 & aliis conſtat.

417. Poëta hic ſublimis venę ingeniique, cui & multæ lectionis, ac veteris ævi monumentorum ornamentum adjunxit, niſi antiquatum hoc jam tempore phraſis genus, legentium auribus quodammodo grave & ingratum eſſet, ſummis hujus artis principibus comparandus; & qui tantùm omnes Hiſpanos ad id tempus poëtas, ut Marinæus Siculus ait, quantùm Latinos Virgilius, ſuperâſſe videri poteſt, hęcce poſt ſe reliquit Apollinis ſignata & Muſarum notis.

418. *El Laberinto, ò las Trecientas*. A numero octoadum, ſive, ut vocavit illa ętas, copularum octo verſibus dodecaſyllabis conſtantium: cujus operis argumentum ſecunda hęc earum oſtendit, ut exteris demus noſtrę iſtius ſeculi poëſeos guſtum, hic à nobis poſita:

Tus caſos fallaces, Fortuna, cantamos,
E ſtados de gentes que giras e trocas;
Tus muchas mudanzas, tus firmezas pocas,
Y los que en tu rueda quexoſos hallamos:
Haſta que al tiempo de agora vengamos,
Y hechos paſſados codicia mi pluma,
Y de los preſentes hazer breve ſuma:
Dè fin Apolo, pues nos comenzamos.

419. Quibus inde eum ejuſdem Regis juſſu ſexaginta quinque alias ſubjicere deberet, ut anni dierum ęquaret numerum. Fecit quidem viginti quatuor ſaltem, quę trecentorum clauſulæ & argumento connectuntur optimè, adeò ut dubitari nequeat ejuſdem eſſe Joannis hanc appendicem: quod & gloſſator ex clauſula, quam diximus, bene confirmat, ſimileque prorſus priori eſt, alterius partis dicendi genus. Gloſſator inquam Ferdinandus Nonnius de Guzman, vir ſummus, qui cùm adoleſcens primùm ſuæ doctrinæ ſpecimen in his dediſſet, bonarum poſtea literarum, & critici ſtudii quaſi principatum, Compluti, Salmanticęque, Gręcam linguam, necnon Rhetoricam artem, & naturalem hiſtoriam profeſſus obtinuit; in qua gloſſa ſingularem jam habere ſe antiquitatis & bonorum auctorum peritiam abundè oſtendit, qui nec diſſimulat in commentarii colophone jus quidem & ęquum eſſe condonari ſibi errores, quos intentati hactenus ab alio, quódque plures aggredi non ſunt auſi multæ ſcientiæ ac doctrinæ viri, operis difficultatem apud doctos homines excuſaturam non deſperabat. Planè non hic, ſed alius, adſutarum deinde *Labyrintho* viginti quatuor octoadum commentarium, ſeu gloſſam, confecit, ut ex ejus initio apparet.

420. *Labyrintho* ſubjiciuntur in editione, quâ utimur, Hiſpalenſi apud Joannem Varelam anni MDXXVIII. in folio,

Poëmatia quędam levioris operæ, necnon &

421. *La coronacion al iluſtre cavallero Don Iñigo Lopez de Mendoza Marques de Santillana*, hoc eſt, ejuſdem Marchionis veri Mecænatis in Parnaſſo coronationem, quam ipſe propriis declarationibus, ne obſcura & abditi ſenſus quædam lectores morarentur, explanavit. In quibus declarationibus affectato, ac verſibus ſimili, proſę orationis genere uſus, notum poſteris fecit, eam loquendi formam tunc placuiſſe. Toleti hęc edita *Coronatio* eſt cum gloſſis in 4°. anno MDIV. *Coronationem* hanc ſequuntur quidam alii verſus, tandemque

422. *El tratado de vicios y virtudes* (Prudentii *Pſychomachiam* dixeris) quem ab eo imperfectum relictum, Hieronymus de Olivares, Alcantaræ ordinis eques, cujus pater ęqualis Menæ fuerat, quóde in prologo docemur, abſolvit. Huic ſanè immortuus videtur Mena, quod ſcribere ſe prudentiorem ętate factum, & profanorum pertæſum, non diſſimulat.

423. Omnia hęc carmina prodierunt ſimul, primumq; forſan, Hiſpali ann. MDXII. atque ibidem iterum ex typographia Joannis Varelæ MDXXVIII. atque inde Pinciæ anno MDXL. in folio, & Compluti ex Joannis Villæ MDLXVI. in 8°. item Antuerpiæ MDLII. in 8°.

424. *Invocacion que hizo Juan de Mena que comienza: Canta tu Chriſtiana Muſa*, eſt in codice quodam miſcellaneo Hiſpalenſis Eccleſiæ.

425. Idem eſſe dicitur auctor non minimæ partis *Hiſtoriæ rerum Joannis Regis*, earum nempe quæ ab anno ejus ętatis viceſimo uſque ad triceſimum quintum contigere, de quo videndus in prologo hujus hiſtoriæ à ſe recognitæ Laurentius Galindi Caravaxalius

lius Caroli V. Cæsaris chronographus & consiliarius, ut in Ferdinandi Perezii Guzmani mentione iterum extensiusque annotabimus. Item penes Acropolitanum Marchionem, qui jam, quum hæc scribimus, Mondexarensis appellatur, librum manu exaratum vidimus hujus tituli:

426. *Memorias de algunos linages antiguos e nobles de Castilla, que va escriviendo Juan de Mena coronista de su Alteza, el muy serenissimo* (barbarismus forsan scriptoris) *y muy esclarecido principe Don Juan el segundo de Castilla y Leon, por mandado del muy ilustre señor D. Alvaro de Luna Condestable de Castilla*. unà cum depictis uniuscujusque insignibus. In bibliotheca, quæ fuit excellentiss. Comitis de Villa-umbrosa,& nunc est lectissimæ ejus viduæ, liber MS. in 4°. hac inscriptione notatur:

427. *Treynta y seys capitulos de Homero traducidos en Castellano por Juan de Mena, y dedicados al Rey D. Juan el segundo*. Codex est membranaceus, & coloribus variegatus. Gomezii Manrici carminis, de quo suo loco monebimus, poëtæ nobilissimi, de Marchionis Sanctæ-julianæ obitu poëseos adversus mortem querelam continentis hæc ad nostrum pertinent:

Esta muerte que condena
A buenos y comunales,
Me llevò à Juan de Mena,
Cuya pluma fue tan buena,
Que vi pocas sus iguales.

Prosequiturque (ne de altero isto egregio,ac Menæ æquali, poëta nihil dicamus)

Y por mas me lastimar
Llevóme sin mas tardar
Aquel de gran perfeccion
D. JUAN DE IXAR de Aragon,
Orador muy singular.

Plura qui noscere de hoc hujus temporis viro inclyto desideraverit, collecta ea inveniet in *Aragonensium* Vincentii Blasii Lanuzæ *Historiarum* volum. 2. lib. 5. cap. 50.

428. Hoc ipso tempore floruisse dicitur JACOBUS (vulgò JAIMUS) DE S. JOANNE, natus in oppido Cervera Cataloniæ, in quo & Dominicanorum sodalium instituto se addixit, scripturus Latino sermone

429. *Vitam S. Raymundi de Peña-fort*. Barcinone, dum ibi essent Petrus Queralt Prior provincialis Aragoniæ, ac minister generalis Martialis Auribellus an. MCDLVI. hoc ipso nempe de quo agimus. Laudat hominem & opus Franciscus Diago Dominicanus in *Historiæ prov. Aragoniæ* hujus ordinis lib. 2. cap. 17. Qui ait fuisse primum Barcinonensis urbis Inquisitorem, postquam à Nicolao IV. Papa hoc munus seorsum haberi jussum fuit à totius provinciæ Aragoniæ Inquisitoria dignitate. Alius forsan est ejusdem nominis JAIMUS DE S. JOANNE Cæsar-augustani cœnobii, quem inter scriptores duorum posteriorum seculorum laudatum dimisimus.

430. FERDINANDUS PETRI GUZMANUS (vulgò Fernan Perez de Guzman) clarissimis Castellæ totius familiis *de Guzman*, *de Toledo*, ac *de Ajala* progenitus, patrem habuit Petrum Suarezium Guzmanum Toparcham de Batres, archinotarium provinciæ Bęticæ, quod munus Cancellarium regium denotat, matrem verò Elviram de Ajala, Ferdinandi Perezii Ajalæ filiam. Qui quidem Petrus Suarezius, cùm natus esset Petro alii Suarezio à Toleto ex Maria Ramirezia Guzmana, Joannis Ramirezii Guzmani domini *de Aviados* filia, insuper habito genitoris, quantumvis nobilissimi, genitricis nomen sibi posterisque suis adscripsit.

431. E Ferdinando autem, quem laudandum suscipimus, & domina Marquesa de Avellaneda uxore, genitus fuit Petrus Guzmanus, cujus filia Sancia, quam ei peperit Maria de Ribera, Toparchiam de Batres in domum mariti Garsiæ Lasso de la Vega, regii apud Pontificem legati, ordinis S. Jacobi equitis, & in Legionensi regno commendatarii majoris, transtulit. E quo conjugio nati sunt Petrus Lassus & Garsias Lassus de la Vega, à quorum priore hodierna Comitum *de los Arcos*, ac de *Añover* domus derivat. Posterior autem ille est, Hispanæ poëseos lumen, de quo altera hujus bibliothecæ parte nos agemus. Neque extra rem historicum hunc celebrem, à decessorum & posterorum claritate non minùs quàm ab literarum studiis laudamus, ut nostri discant homines, quorum olim partes essent res principum gestas stylo ducere, ac posteritatem omnem propriis laboribus demereri.

432. Charissimus fuit Alphonso Burgensi Episcopo, Paulli à Sancta Maria filio, cui quidem, alteri veluti Senecæ, Lucillii se loco fuisse alicubi ait a. Alphonsi autem testimonio, libri *Orationalis* initio, Ferdinandus in virili ętate, cùm pangendi suaviter carminis, tum sacrorum studiorum & contemplationis divini cultus merito censebatur; cujus studii quędam se legisse ait, à Joanne etiam Rege, cùm legisset & ipse, laudata.

a Carmine quodam in Alphonsi obitu.

433. Hujus autem nomen *Historia* prę- sefert *Joannis* ejusdem *secundi Castellæ Regis*; sed non tota ejus est, nisi quòd ab aliis accepta reformavit ac propria fecit. Verè enim Joannis res gestas (quod Laurentius refert Galindi Carvaxalius, cui quidem hujus historiæ debetur publicatio) Alvarus Garsias de Sancta Maria, Paulli & Alphonsi Burgensium antistitum filius & germanus frater, primus omnium describere cœpit; de quo jam diximus cap. 5. ab initio nempe ejus regni, hoc est sæculi anno VI. usque ad vicesimum: alius inde continuavit usque ad quintum supra tricesimum, copiosè & ordinatè, quem Joannem de Mena fuisse nonnullis placet. Ab hoc tempore usque ad Regis mortem annotata quędam à Petro Carrillo Albornozio, aucupio ejusdem Regis pręfecto, quæ & Lupus Barrientus, Henrici principis magister, locupletaverat, ad manum habuit Ferdinandus Perezius, unde, & ex his quæ viderat ipse, historiam prosequeretur, & colophone donaret. Cui certè typis committendæ Caroli Cęsaris jussu Laurentius jam laudatus chronographus regius nonnulla pręmisit inservi-

que in prologo ejus ad prędictam hiſtoriam videnda, quę edita fuit primùm . . . . atque iterum Hiſpali ab Andrea de Burgos anno MDXLIII. in folio. Huic ſubjungitur liber inſcriptus, quaſi hiſtoriæ appendix,

434. *Las generaciones, ſemblanzas, ò obras de los excelentes Reyes de Eſpaña D. Enrique el tercero, e D. Juan el ſegundo, y de los venerables prelados, y notables cavalleros, que en los tiempos de eſtos Reyes fueron.* Quem librum auctori ſuo refert Laurentius; nec tamen diſſimulat quædam ſe correxiſſe atque addidiſſe. Annotat verò *Generationum* hoc opus ante *hiſtoriam* ab eo ſcriptū, immo priuſquam ad ſcribendam hiſtoriam animum applicuiſſet, anno ſcilicet ſeculi quinquageſimo, ut ex ejuſdem Ferdinandi verbis in *Ferdinandi Caſtellæ Infantis elogio*, ſive capite quarto, conſtat. Alia quoque habemus partim ab eo ſcripta, partim ei adſcripta, quorum certè non fuit auctor. Planè ejus ſunt

435. *Las ſetecientas coplas de bien vivir. Expoſicion del Pater noſter y Ave Maria, y Confeſſionario.* Qui liber editus exſtat Ulyſſippone MDLXIV. in 4°. apud Germanum Guillart; ad quem alluſiſſe videtur Alphonſus Burgenſis pręſul, cùm opera noſtri ſacra, ut ſupra diximus, celebravit. Neſcio autem an diverſus ab iſto liber alius ſit, quem diverſo hoc inſcriptum titulo exſtare ajunt:

436. *Las ſentencias, que ſon bien ſcientificas, y de grandes y diverſas materias, muy provechoſas por las quales qualquier hombre puede tomar regla, doctrina, y exemplo de bien vivir.* Ulyſſippone MDXII. in 4°. Vidit Petrus Alva.

437. *Canciones de nueſtra ſeñora.* Ms. ſervatur in bibliotheca Regia Eſcorialenſi. Idem Petrus Alva in *Militia conceptionis*.

438. *Placer de los Emperadores, Reyes, y Principes*, Ferdinando noſtro adſcriptum vidit D. Thomas Tamajus. In bibliotheca, quam olim habuit Matriti vir magnus, & ſenatûs Caſtellæ preſes, D. Petrus Nuñes de Guzman, Comes de Villa-umbroſa, exſtabat codex MS. cum hoc titulo: *Varias poëſias antiguas del tiempo del Rey D. Juan el II. y Enrique IV. compueſtas por Herman Perez de Guzman, abuelo de Garcilaſſo de la Vega, y de Alvar Garzia de ſanta Maria, y del Marques de Santillana.* Ms. in folio. *Vicios y virtudes hymnos rimados à Loores divinos embiados al muy bueno y diſoreto Alvar Garcia de ſanta Maria del conſejo del Rey nueſtro ſeñor por Fernan Perez de Guzman.* Exſtat MS. hujus tituli liber in Miſcellaneorum quodam codice bibliothecæ Hiſpalenſis Eccleſiæ.

439. Cæteris, quæ nomen ejus ſibi arrogant, vel cauſſam prętitit, vel auctoritatem accommodavit; nempè ei libro cui *Oracional* nomen dedit auctor ejus Alphonſus, Burgenſis aliàs laudatus Epiſcopus, qui quidem Ferdinando de rebus ad orationi Chriſtianæ vacandum ſpectantibus ſeſe conſulenti opere iſto reſpondit.

440. *Valerius* autem *hiſtoriarum Eccleſiaſticarum*, atque item alius *Recopilacion de las batallas campales* &c. dictus libri non utique hujus ſunt, ſed Didaci Roderici de Almela Carthaginenſis ſive Murcianæ Eccleſiæ canonici, ut loco ſuo monebimus.

441. At quia Ferdinandi hujus occaſione Alphonsum Carrillo de Albornoz laudavimus, hic ille eſt, qui, uti diximus, annotata quędam, ſive Adverſaria de rebus Joannis Regis in ſchedis reliquit, quæ ſpeciem potius compendii quàm hiſtoriæ preſeferunt, eventuum nempe, diei, menſis, & anni diſtinctorum notis, uſque ad Joannis obitum compilationem, quam quidem Lupus Barrientus, Henrici Joannis filii preceptor, Conchenſis aliquando Eccleſiæ prę́ſul, paucis, quibus ipſe interfuerat, adjunctis, integram ſibi adſcripſit. Quod utique diſertè refert Laurentius Galindez de Caravajal regius Ferdinandi Catholici Conſiliarius, in ea quam prędictæ Joannis II. Regis hiſtoriæ, præfationem adjunxit.

442. Nihilominus tamen Petro Carrillo tanquam hiſtoriæ ſui temporis ſcriptore in referenda Henrici Villenæ Marchionis morte Hieronymus Surita lib. 14. cap. 22. utitur; eandemque auctori ſuo adſcriptum vidit Jo: Franciſcus Andreas Uſtarrozius, Chronographus & ipſe regni Aragoniæ, qui in notis ad *coronationem* ejuſdem Regni librum verba refert laudati Alphonſi, quibus hiſtoriæ hujus ſuæ publicationem vivente ſe nequaquam fieri calidis votis exoptat.

443. Quinquageſimo octavo ſeculi anno immortali vitæ fuit redditus, qui, mortalis cùm viveret, immortalem ſibi & ſuis omnibus geſtis famam quęſivit obtinuitque, Alphonsus Ferdinandi Honeſti Aragoniæ Regis filius, Aragoniæ idem Neapolitani & Siculi regnorum Rex, magnanimus, juſtus, fortis, literarum & literatorum valdè amans, omniumque heroïcarum regiarumque virtutum exemplar. Cujus quidem hic non meminiſſem; bibliothecæ dumtaxat ſcriptorum conſtruendæ intentus, niſi epiſtolæ quędam, & orationes ejus invitarent Latinâ linguâ ſcriptæ, dictęque, à Lucio Marineo Siculo in *Genealogia Regum Aragoniæ* vulgares factæ, ne abſque hujus maximi herois mentione obſcurior aliquantò hic noſter labor ad poſteros propagaretur.

444. Et quidem ejus laudibus plena ſunt omnia hujus temporis Latina, Italica, Gallica, Hiſpanica rerum in Europa geſtarum commentaria, pręter ea, quæ Bartholomęus Facius, Antonius Panhormita, & , uti fama eſt, Laurentius Valla, de eo ſpecialia edidere. Quod autem magis aliis admirandum eſt, quinquagenarium literas didiciſſe, nec cùm tam ingentibus laborioſiſſimæ vitæ curis intentus viveret, dedignatum, aut impeditum, quin pueri patientiâ, & veluti nihil aliud agentis intenſione animi, prima Latinæ grammaticæ rudimenta doceri ſe permiſerit; cujus eam cognitionem & linguæ Romanæ uſum adeptus fuit, quam laudata paullò antè monumenta Chriſtianæ totius, ac moralis ſapientiæ plena, tantoque viro prorſus digna pręſeferunt.

445. Sed

445. Sed & in Senecæ epiſtolis, vertendis forſan non nihil ab eo elaboratum credere debemus Carolo Vianæ Principi, ex Joanne fratre nepoti, qui in verſionis ab eo factæ *Ariſtotelis ethicorum* nuncupatione, animatum ſe ait illius exemplo, qui regium ingenium in Senecæ epiſtolis exercuiſſet. Vulgaria ejus verba ſunt: *Tomando por exemplo el exercicio de vueſtro real ingenio en las epiſtolas de Seneca*.

446. Ad hunc certè annum domeſtici teſtes memoriam referunt BERNARDI DE MONTESA, Bilbilitani, (Calatajubienſis intelligo Aragoniæ regni) qui Carmelitarum fuit ſodalis, patrii cœnobii alumnus, atque item aliquando præfectus. Hic ſcripſiſſe dicitur

447. *In librum Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani* De inſtitutione monachorum *elucidationes*. Itemque

448. *In librum Philippi Ribboti De peculiaribus geſtis Carmelitarum*. Ac tandem

449. *In librum D. Thomæ Aquinatis* De quatuor virtutibus cardinalibus *commentaria*.

450. Necnon ex Italico in Hiſpanicum vertiſſe cujuſdam veteris juriſconſulti librum *De moribus politicis*. Quæ omnia propria auctoris manu exarata in domûs Cæſar-auguſtanæ bibliotheca aſſervari iidem ſcriptores affirmant domeſtici. Miror tamen hunc Bernardi commentarium ad Joannis Hieroſolymitani *De inſtitutione primorum monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perſeverantium* librum à multis apocryphum exiſtimatum, & à Petro Waſtelio ſedulâ admodum navatâ operâ eidem vindicari procuratum, ejuſdem Waſtelii diligentiſſimi omnium, quæ ubique eſſent, ordinis ſui veterum monumentorum indagatoris cognitionem fugiſſe: qui quidem inter alios hujus familiæ viros legitimum Joannis hunc fœtum agnoſcentes, vix alium libro 1. *Vindiciarum* ſect. 1. art. 1. Bernardo Monteſæ præferre debuit, quem idem opus Joannis Patriarchæ commentario luſtrâſſe atque illuſtrâſſe nuper audivimus. Quid etiam quòd Philippi Ribboti *De peculiaribus geſtis Carmelitarum* libri explanator hic Monteſa nil minus potuit, quàm ejuſdem Ribboti de legitimitate iſtius *De inſtitut. primorum monachorum* operis teſtimonium apertiſſimum calculo ſuo approbare; cujus quidem approbationis aut explanationis idem Waſtelius verba Ribboti eodem loco adducens, nullam habet mentionem. Franciſcum itidem Bonæ-ſpei *Hiſtorico-theologici Carmeli armamentarii* doctum ſcriptorem, qui omnium poſtremus origines ordinis ſui adverſus impugnantes defendit, duorum Monteſæ horum operum latuit notitia.

451. Hæc ſcilicet de libro adhuc non viſo ſuſpicantibus ſors contigit ipſum codicem MS. Cæſar-auguſtanum contrectandi manibus, & oculis luſtrandi, miſſum nobis mutuò, Reverendiſſimi P. M. F. Raymundi Lumbier Carmelitani doctiſſimi theologi operâ, Statimque agnovimus Monteſam falsò jactatum fuiſſe apud domeſticos horum operum auctorem; qui tantùm fuit exſcriptor. Primùm ibi exſtat opus decem librorum *De inſtitutione & peculiaribus geſtis monachorum Carmelitarum*. cujus prologus incipit: *Cùm populum Iſraël Dominus*. cujuſq;operis auctorem oſtendit ſe in eodem prologo *Philippus Raboti* (ita, non Riboti) *Mag. in ſacra pagina, Prior provincialis provinciæ Cataloniæ*. Et in fine: *Hæc de noſtræ Religionis origine & primæva inſtitutione in primo libro, & de primis fundatoribus & profeſſoribus Religionis prædictæ in ſecundo* &c. *à me Fr. Philippo Riboti* (ita hîc) *magiſtro in ſacra pagina, necnon Priori provinciali in provincia Cataloniæ exiſtenti poſt veteres patres hujus ordinis ſcripta & dicta ſufficiant. Immenſas autem de hoc opere reddo gratias* &c. *Perfectus fuit hic liber nona die Auguſti veſpere S. Laurentii, an. à Nativit. Dom. MCDLVIII.* (mistis Latinis cum Arabibus numerorum characteribus) *& eſt Fr. Bernardi de Monteſa ord. S. M. de Monte-carmelo*. Vide de his decem libris quæ in Philippo iſto Ribot ſuprà ſcripſimus ad ann. MCCCXCI. lib. 9. cap. 7.

452. Sequitur in codice Cæſar-auguſtano opuſculum quoddam vulgaris linguæ Caſtellanæ quod incipit: *A la buena mente*, &c. In cujus fine eſt hæc notula: *Explicit libellus ſuper quibuſdam Senecæ* (fortè ſanctè, nam obſcura ſcriptura eſt) *dictis, editus à quodam Italico bacchallario, & à quodam juriſperito in hoc idioma reductus. Scriptus à Fratre Bernardo de Monteſa prima die menſis Junii anno Domini MCDLVIII.* Barbaris hic notis idem annus ſignificatus, qui in ſuperiori opere Latino-barbaris. Sequitur *Tractat. ſuper quatuor virtutibus cardinalibus S. Thomæ de Aquino* cum eadem nota ſcriptoris Monteſæ IX. die Auguſti MCDLVIII. in fine. Tria hæc ſunt quæ continentur in laudato codice opera, Bernardo Monteſæ per errorem negligenter librum manu exaratum inſpicientium (quod ſæpè contingit) adſcripta. Unde nos documentum ſumpſimus non facilè cuivis de rebus ſuis referenti ſive jactanti credendi.

453. BERNARDUS quidam Ciſtercienſis monachus, abbas S. Paulli in Portugallia, ante hunc an. MCDLVI. quo denata dicitur Eliſabetha Regina Alphonſi V. uxor, ejuſdem Eliſabethæ juſſu, & auſpiciis Landulphi Carthuſiani *De vita Chriſti* opus celeberrimum aggreſſus fuit in vernaculum è Latino convertere. Quam quidem ab eo perfectam Eleonora Emmanuelis regia conjux poſt multum tempus fecit exire in publicum anno MCDXCV. utiliſſimam legentibus futuram interpretationem. Cujus rei teſtimonium Georgius Cardoſus in ſchedis ad *Bibliothecam Luſitanam* mihi præſtitit.

454. CALLISTUS III. Romanus Pontifex, Alphonſus aliàs Borgia, Setabitanus ex Valentino regno, non quidem collocatur à nobis loco iſto, ut de rebus ejus geſtis quicquam iis adjungamus, quæ tot Pontificalium geſtorum ſcriptores literis tradidere: ſed ut, quia ipſum inter ſcriptores *Bibliothecæ Pontificiæ* auctor recenſuerit, nos indictum non relinquamus. Adſcribuntur ergo ei

455. *Epiſtolæ* quædam *Latinæ*. quarum no-

novem inter Æneæ Sylvii leguntur epistolis, plures apud Lucam Wadingum *Annalium Minorum* auctorem, quarum aliquæ ad Joannem Capistranum directæ, in Hungaria tunc agentem pro bello Turcis inferendo: qui quidem Joannes Capistranus hoc tempore, quo hæc scribimus, scilicet anno MDCLXXIX. canonizationis decretum ab Innocentio XI. Pont. Maximo obtinuit.

456. *Officium* itidem *festi Transfigurationis domini nostri Jesu Christi* composuisse dicitur; non autem festum instituisse: quod ex Platina & Genebrardo quidam affirmant. hoc enim ante Callisti tempora tam apud Latinos quàm apud Græcos celebrari solitum, Baronius Cardinalis ad *Martyrologium* die Augusti VI. Notis, & ex aliis Andreas Victorellus in *Additionibus ad Ciaconii Pontificum Vitas*, admonuere.

457. Obiit Callistus Romę MCDLVIII. jam octogesimum annum agens, cujus ossa in hospitali Aragonensis, ut vocant, coronę templo, unà cum Alexandri VI. ossibus, ab Ecclesia S. Petri eò translata, nullo sepulturę honore, dum Borgiarum Gandię Ducum pius ad hoc funus exornandum non adhuc intendit animus, asservantur. Excellenti doctrina, ingenio, & integritate præditum fuisse, Ægidius Cardinalis Viterbiensis in historia MS. quę apud Augustinianos est, Angeli Rochę bibliothecæ Romanę custodis, ut prętercam notiores alios, refert.

458. DIDACUS DE COMONTES, Garsię Alphonsi Toparchę *de Comontes* ex Therasia Alphonsi filius, qui se vocat in donationis quodam instrumento Auditorem majorem domini Regis, & Carthaginensem Episcopum; quam ejus genealogiam D. Josephus Pellizerius in illustrationibus domûs seu familiæ *cabeza de Vaca* fol. 52. nos docuit, vixisse dicitur circa hæc tempora, in scriptisque reliquisse *Carthaginensium* ac *Murciæ urbis Episcoporum historiam*, Ægidio Gundisalvi Davila teste in Theatro hujus Ecclesię, qui per errorem *Didacum Deza Montes* vocavit.

CAPUT IX.

De ENNECO LUPI DE MENDOZA *Sanctæ-Julianæ Marchione. Ejus animi corporisque dotes. Res gestæ, fama, laudes, & scripta.* EMMANUEL DIDACI, *vel* DIEZ, *Catalanus* De re veterinaria *scriptor.* ANTONIUS CERDA' *Majoricensis, Cardinalis.* PETRUS BELLUGA *Valentinus jurisconsultus. Ejus exsilium & scripta.* RUPERTUS, *sive* ROBERTUS, *Catalanus, Alphonsi Regis coquus.* ALPHONSUS DE ESPINA *Minorum sodalis. Ejus sanctitatis mirabile quoddam documentum. Ejusdem opera.* JOANNES MARTORELLUS *Valentinus.* CAROLUS *Vianæ princeps.* ANONYMUS *qui Aristotelis Morales ad Nicomachum Hispanè vertit.*

459. VIRUM describet capitis hoc initium nobilitatis Hispanæ decus maximum deliciæque. ENNECUS (idem est INNIGUS) LUPI DE MENDOZA Sanctæ-julianæ (*Santillana* vocant) Marchio, Comes *del Real de Manzanares*, ætatem, cujus erga literas recensemus merita, in paucis ornavit. Parentibus hic nobilissimis Didaco Hurtado à Mendoza, Hitæ & Buitragi domino, Castellæ archithalasso, atque Eleonora de la Vega in parentum ditionis oppido Carrione Comitum, anno millesimo trecentesimo nonagesimo octavo fausto sidere fuit in lucem editus, quibus tamen orbatus in septimo ferè ætatis anno, sub tutela [e] studio literarum, quibus impartiri decet virorum principum reipublicæ natorum ingenia, simulque omnis generis armorum, equestriumque velitationum exercitationibus, cum corporis & animi vim & contentionem applicuit, ut major annis factus, in fortissimum, nec minùs prudentem, doctumque ordinis sui dynastam, evaserit.

[e] Amitæ Joannæ Mendoziæ.

460. Multa gessit bello paceque, optimo, magnanimo, sapientissimo, ac verè Christiano viro digna sub Joanne II. Rege, temporum iniquitate sublimi virtute superata, honorem vitę, ac bonum nomen fallacibus delinimentis omnibus, quę magnam quamque fortunam veluti pedisequi comitantur, prętferens. Cujus fama non quidem inclusit se Hispaniarum spatiis, sed quod de Livio & Roma Hieronymus retulit, huic verè contigisse Joannes Mena testificatur: quos nempe ad contemplationem sui Hispania non traxit, unius hominis famam de ultimis Europę finibus perduxisse. Tandemque sub Henrico IV. quem optimis consiliis, quamdiu vixit, in statu manere fecit, veluti Neronem, quamdiu dicto ejus audiens imperavit, Seneca, Martii die vicesima quinta, anni MCDLVIII. placidissima & Christiano heroë digna morte gloriosissimum vitę cursum Guadalaxarę absolvit.

461. Ne autem immoremur ultrà in virtutum ejus atque gestorum commemoratione, suadet nos eorum celebratissima ubique fama, historiam omnem hujus temporis, & recentiorum, quandocumque mentio ejus facienda est, veluti proprium sitę claritatis theatrum nacta. Elogium prçcipuè, lector, adeas rogo Ferdinandi Pulgaris, quo sepiùs utimur, meritoque: nam procul ab omnibus adulationis aut odii caussis, videtur mihi, quos ętate adeptus fuit principes aulę viros ingenua probitate ac vivis veluti coloribus expressisse. Nec Joannes Mena, quamvis viventis adhuc virtutibus *Coronatione* sua ei dicta musicum contexuit sertum, uti jam diximus, minoris existimationis loco habendus, qui Lucanum civem suum imitatus, vera sublimiter dicendi artificio tantùm, absque ulla fingendi licentia poëtę simul & historici laudem affectavit. Gomezium quoque Manricium poëtam nobilissimum idem amor impulit germanum describendi carmine virtutis exemplum epicedio illo, quod in ejus morte cecinit, apud nos vulgari.

462. Ejusdemque notę melioris sunt Ferdinandi Perezii Guzmani, in *Joannis II. Regis historia*, Ferdinandi Messię in *Nobiliario*, Lucii

Lucii Marinei Siculi lib. 6. *De Hispaniæ laudibus*, atque his recentiorum Garibaji lib. 17. cap. 5. & in *Nobiliario* MS. Gundisalvi Argote de Molina in *Historia nobilitatis Bæticæ* lib. 2. cap. 233. Joannis Marianę lib. 22. cap. 19. Petri Salazarii Mendozę in *Petri de Mendoza Cardinalis* (Enneci nostri filii) *Chronico*, Alphonsi Lupi de Haro lib. 4. *Nobiliarii* sui cap. 13. & plurium aliorum testimonia.

463. Quo tamen in *Bibliotheca Hispanorum scriptorum* proprium sibi locum fabrefecit noster, studium philosophię fuit moralis, quam ut versibus, ipsius veluti sapientię stylo ductis, suaviorem ac venustiorem redderet atque auribus propinaret, otii sui, quandocumque suppeteret, negotium facere consueverat. Primum autem inter hujus generis poëmatia obtinet locum:

464. *Los proverbios, ò centiloquio*. Cujus hoc initium, & metri genus:

Hijo mio muy amado
Para mientes:
No contrastes alas gentes
Mal su grado.
Ama, y serás amado,
Y podràs
Hazer lo que no baràs
Desamado.

Quo opere Salomonem imitatus, Joannis Regis jussu, speculum optimi principis Henrico ejus filio proposuit, & ad eum cum docta epistola, & quibusdam glossis ad libri oram opportunè conjectis, remisit.

465. Hoc ipsum deinde pręcepto ejusdem Regis Petrus Didaci à Toledo luculentioribus prosę orationis declarationibus exornavit, & ad eundem principem Henricum direxit, cujus editionem habemus Martini Nucii anno MDXCIV. cum aliis aliorum, Antuerpiensem. Prӕcesserat tamen alia ejusdem loci anni MDLXXXI. Duabusque his antiquior Hispalensis anni MDXXXIII. *Centiloquii*, nuncupatione usus fuit, quę antiquis duobus Bethem Arabi *De consuetudinibus in astrorum judiciis*, atque Hermę Gręco, *Aphorismorum* scriptoribus, placuisse, legitur. Necnon &

466. *Doctrina de privados*, infelicis Alvari Lunę exitus arrepta occasione, diverso aliquantulum metri genere, scripsit. Quod carmen sic incipit:

Vi tesoros ajuntados
Por gran daño de su dueño.
Assi como sombra ò sueño
Son nuestros dias contados.

Alia ejus carmina conjecta sunt in librum qui *Cancionero*, sive *Cantionarium*, inter nos appellatur, atque Hispali anno MDXXXVIII. in folio editus exstat.

467. Celebratur & quædam ejus epistola ad Alphonsum Episcopum Burgensem, cujus in proximo capite meminimus, data in responsione dicati sibi ab eo *Doctrinalis nobilium* libri, bonæ frugis & ingeniosæ eruditionis plena. Certè inter libros Galliarum Regis (uti Labbeus affirmavit in *Ms. Bibliotheca* paginâ 325.) codex quidam continet *las cartas que el Marques de Santillana escrivio al Conde de Alva, quando estava preso, con algunas poësias Españolas*.

468. Diversus autem à nostro est alter Ennecus Lupi à Mendoza Dux quartus Infantatûs, ejus abnepos, qui *Memoriale rerum notabilium* scripsit, in Bibliothecæ hujus posteriore parte à nobis laudandus. Cui quidem, an abavo, an alii ab his duobus diverso tribui debeat *Genealogicum opus Enneci Lupi à Mendoza* titulum, ut audio, pręferens, doceri cupio.

469. Neque hinc discedendum nobis est, quin obsequium laudis a literarum studio venientis huic amplissimę Mendozarum domui exhibeamus, adductâ quadam parte testamenti D. Didaci Hurtado à Mendoza primi Infantatûs Ducis, Enneci nostri Marchionis filii, confecti die XIV. Junii MCDLXXV. quam iisdem Hispanis verbis transcribemus: *Otro si, allende de lo suso dicho mando al Conde mi hijo, e quiero, que baya por mayorazgo las mis casas principales que yo tengo en la ciudad de Guadalaxara, los libros que de mi libreria y camara se hallaren, los quales es mi voluntad que no puedan ser enagenados por el ni por sus successores, mas que siempre anden y sean accessorios à los otros bienes de mayorazgo, e de aquella mesma natura e calidad, e esto porque yo deseo mucho que el y sus decendientes se den al estudio de letras, como el Marques mi señor, que santa gloria haya, e yo, e nuestros antecessores fizimos, haziendo mucho por ellos ser crecidas e alzadas nuestras personas*, &c.

470. Huic eidem anno sæculi quinquagesimo octavo, qui Alphonsum Aragoniæ ac Neapolis Regem, ut jam diximus, vitæ immortali consecravit, adscribendus venit, ne in alio vagemur, EMMANUEL DIDACI (vulgò DIEZ) Catalanus, ut suspicor, cùm ejus gentis linguâ scripserit, œconomum ejusdem Regis sese appellans, *Veterinariæ artis commentarium*, quem manu exaratum in folio cùm Romæ essemus, Alexander VII. Pontifex, cui veteres libros quosque undique conquisitos exportari ad se gratissimum erat, ostendi nobis, haud nostri laboris inscius, benignè curavit. Libri titulus:

471. *Libro de la Menescalia composto per lo noble Mossen Manuel Diez*. Incipit: *In nome sia de la santa Trinitat, que es Pare, e Fill, & sant Spirit, tot bun Deu. Com sia molt necessaria cosa à tot cavaller, &c.* Et paullò inferiùs: *Perebe yo Manuel Diez Majordom del molt alt & poderòs princep & victoriòs signior Don Alfonso Re de Ragona*, &c. *vull fer un libre de cavalls, per mostrar als jovents cavallers*, &c. *gran part de la practica e dela conexenza dels cavalls, & de lurs malaties, e gran part de la part de les cures di aquells*, &c.

472. Tres partes hic liber continet. Primam de equis, secundam de mulabus, tertiam de utriusque generis bestiarum infirmitatibus & curationibus. Attamen tertia hęc pars non ejusdem, sed alterius videtur, duabusque veluti appendix seu complementum totius artis, ab alio adsuta. Stylus enim Semi-castellanus est, Catalanum quamvis sermonem sapiens. Incipit: *Por tal que vos, no haveis*, *seguit*

segint creo, mucha practica del art de Menascallia. neque de cunctis equorum ægritudinibus loqui se adjunxit, remittens se ad alios ejusdem argumenti scriptores. *Vereys* (inquit) *Laurenzo Russo Erocles, que hunc volum vos embio*. Hierocles hic est Gręcus auctor *Mulomedicinæ*, quem cum Gręcis aliis ejusdem argumenti Basileę Walderus edidit. Russus autem notissimus Hipphiatricę hujus rei auctor, Parisiis è Christiani Wecheli officina MDXXXI. prodiit. Hunc tamen Emmanuelis Didaci librum post annum MD. typis editum nonnusquam legimus. Hunc librum in Castellanum sermonem conversum à Martino Martinez Dampies, in oppido *Sos* Aragonię nato, viro nobili, asservatur MS. in bibliotheca Hispalensis Ecclesię; sed prodiit Cæsar-augustę in folio anno MCDXCVIII. uti dicemus in posteriore hujus Bibliothecę parte in Martino laudato.

473. Annus sequens MCDLIX. emortualis fuit viro dignitate clarissimo ANTONIO CERDA' Majoricensi, ex oppido S. Margaritæ, S.R.E. Card. à Nicolao V. an. MCDXLVIII. creato. Theologorū is temporis sui maximus habitus fuit, & princeps theologorum à Pio II. Pontifice appellatus, canonicus olim Majoricensis Ecclesiæ, Eugenii IV. cubicularius, & ab eodem Messanensis factus Archiepiscopus, tandem à Nicolao sub titulo S. Chrysogoni purpuratorum patrum aggregatus ordini. Quócum non bene stat Trinitariorum ordinis historicorum (Figuerę presertim, cujus fides malè audit) persuasio, hujus familię sodalibus hunc aggregantium. Presuisse dicitur ejusdem Nicolai Pontificis jussu Ilerdensi & Juvenacensi Ecclesiis, unde Cardinalis Ilerdensis magis quàm proprio notus nomine. Pacem inter Alphonsum Neapolitanum Regem & Florentinos composuit; Romáque decessit XII. Septembris eo, quem diximus, anno, ut è sepulchro ejus apud S. Petrum constat; cujus inscriptionem vide sis in locupletiore jam ab Oldoïno facta *Pontificum & Cardinalium historia*, in prima creatione Nicolai V. qui eum ob doctrinę & sanctitatis merita insigniter amavit.

474. Huic Vincentius Mut in *Historiæ Balearicæ* altero volumine libro 8. cap. 6. librum tribuit *Instructionem principum*, de quo alias altum silentium. Majoricensem Episcopum fuisse Porreñus monet in elogio.

475. Quibus hic ordo ętatis, quem sequimur, semel placuit, medicis jurisconsultos, atq; his theologos, theologis poëtas, aut historicos, nullo ordine professionum servato, commiscere opus, PETRUS BELLUGA, jurisconsultus, Valentię natus, sub Alphonso toties memorato Aragonensium & Sicilię utriusque Rege floruit, quem alicubi Hieronymus Blancas *præclarum juris interpretem*, Petrus Augustinus Morlà Valentinus in *Emporii juris* prefatione *Valentinorum Bartolum aut Baldum* appellant, aliis elogiis meritò alii celebrant.

476. Doctus primas Valentię literas, Bononię in collegio S. Clementis Hispanorum ab anno hujus sęculi decimo juris artem excoluit eo progressu, Joannis Imolę ac Ludovici Pontani auditor, ut ah eodem Rege Neapolim aliquando evocari addicique publicę rei meruerit. In patriam hinc reversus, Alphonso Borgię antistiti, quo Pontifice sub Callisti nomine paullò pòst Romana sedes gavisa est, admodum fuit charus, magnoque apud cives omnes in pretio habitus. At propter defensa in curiis ordinum Valentię regni jura Joannis Navarrę Regis, pro Alphonso fratre tunc absente jurisdictionem administrantis indignationem incurrit. A quo in carcerem conjectus, éque regno pulsus, Almansæ in Castella se continuit, quo usque Neapolim unà cum Borgia veniens, caussam suam constanter docteque propugnatam Alphonso sapientissimo & moderatissimo principi approbaret. Quo quidem tempore obtulisse eidem dicitur

477. *Speculum principum*. Hoc titulo donatum ab ipso Rege Alphonso. Quod editum fuit Parisiis anno MDXXX. in folio, & mox cum additionibus Camilli Borrelli jurisconsulti Neapolitani, tum Neapoli, tum Venetiis MDLXXX. tandemque cum iisdem, & Antonii de Fuertes Biota Hispani Aragonensis brevioribus aliis, Bruxellis ann. MDCLV. in folio.

478. *Singularia* etiam *juris* elucubravit, ad quę se ipse in *Speculo* sępiùs refert: quę lucem hactenus non viderunt. Hujus clarissimi viri postrema latent, annusque & locus mortis ignota sunt. Quare huc in Alphonsi Regis emortualem annum ejus mentionem conjecimus.

479. Ejusdem Alphonsi Regis coquus fuit RUPERTUS, sive ROBERTUS, Catalanus, qui vernaculo provincię suæ sermone composuit librum culinarię artis, quem vidimus Castellanè ab ipso auctore conversum hoc titulo:

480. *Libro de guisados, manjares, y potages*, atque editum Toleti MDXXIX. in 4°. Vereor tamen ne alterius Alphonsi Neapolis tantùm Regis, qui prioris illius fuit nepos, culinę hic presuerit.

481. Scribebat, & his maximè diebus florebat, ALPHONSUS DE ESPINA Minorum sodalis, de quo gravissimi ac sanctissimi ejusdem ordinis præfecti aliquando generalis elogium Francisci Gonzagæ repræsentare hic præstat quàm nostro uti. *Inter alios magni nominis patres in hujus loci* (Palentiæ urbis) *Ecclesia sepultos, admirandæ religionis atque doctrinæ Alphonsus à Spina jacet. Hic cùm esset insignis concionator, animarumque salutem supra modum sitiret; in id maximè incumbebat, ut aliquos Christo lucri faceret. Cumque ex melancholica imaginatione subtristior quadam die effectus, puteo juxta Minoritici conventus Vallis-oletani sacrarium hæreret, anxiusque cogitaret, non frequentissimis suis concionibus aliquem fructum fecisset; vocem è sublimi delatam sibi pręcipientem ut situlam ex trochlea pendentem in puteum demitteret, aquamque hauriret, audiit. Cui cùm obtemperâsset, viginti quatuor subalbos lapillos Jesu nomine insignitos, juxta viginti quatuor sermones, quos paucis ante diebus ad populum Vallis-oletanum de sanctissimo nomine*

Jesu

Jesu habuerat, in fitulæ fundo invenit. Ex quo demum eventu confirmatus, omnibus nervis prædicationis officio in posterum incubuit. Horum lapillorum duodecim argenteæ cruci præinserti in prædicti conventus sacrario asservantur; reliqui verò duodecim à catholica Hispaniarum Regina Elisabetha Granatam delati sunt. Quod quidem non obscuræ sanctitatis argumentum premisimus de doctrina dicturi, quam sanctitatis præjudicium in primis commendat. Doctissimum librum (quod & Gonzaga docere pergit) absque ullo tamen auctoris nomine, scripsit, scilicet,

482. *Fortalitium Fidei in universos Christianæ religionis hostes* &c. Splendido titulo, voce barbara, eruditum opus, & divinarum rerum cognitione præstans, ait Joannes Mariana lib. 22. cap. 13. quinque partitum libris, quorum primo arx ipsa, quam *Fortalitium* appellat, secundo hereticorum, tertio Judæorum, quarto Sarracenorum, quinto demum diabolorum oppugnationes cassæ & irritæ describuntur.

483. Sed cùm reticuisset ob modestiam Alphonsus se esse auctorem operis, res eò devenit, ut ferè persuasum multis fuerit olim & ante paucos annos, vel Bartholomæum Spinam, vel Joannem de Spira, aut Spina, vel Guilielmum Totanum, exteros omnes, hoc opus confecisse. Duorum priorum Miræus meminit in *Bibliothecæ Ecclesiasticæ* volumine secundo, Theophilus Raynaudus *De pietate Lugdunensium in B. Mariæ Virginis conceptionem* §. 14. injuriosus tamen (nisi fallor) Bartholomęi Spinæ Dominicani famæ, quem turpi abigeatu, expuncto Alphonsi nomine, librum sibi suppofuisse affirmat, ut & in opere *De bonis & malis libris* partitione 1. erotemate 10. num. 272. Quod quidem tanto viro indignum facinus si contigisset, non dubito quin Bartholomęum Spinam, uti *Fortalitii* auctorem, domestici laudâssent; quorum certè nulli in mentem venisse credimus.

484. At quia antiquæ cuidam an. MDXI. editioni prefuit Guilielmus quidam Totani ordinis Prędicatorum conventus Lugdunensis, nec adhuc verus auctor apparebat, facile fuit Guilielmo huic librum assignari: quod fecit Antonius Possevinus in *Bibliothecæ* lib. 9. cap. 3. Bozius *De signis Ecclesiæ* tom. 1. lib. 5. signo 16. cap. 11. exemplo 10. ac *De ruinis gentium* lib. 7. cap. 4. Pujades in *historia Cataloniæ*, & adhuc rei ignarus hac etiam ita exculta ętate Joannes Hoornbek in prologo sui operis *De convertendis Judæis*.

485. Qui certè ab ipsis auctoris convincuntur dictis, passim de Hispaniensibus rebus in prologo etiam loquentis[f], seque in Hispania concionatum Medinę-campi, Vallis-oleti, Segobiæque, ab ann. MCDLVIII. ad MCDLX. hunc librum conscribere referentis. Quare ei jam adscribitur hoc tempore, & à nostris etiam priùs. Videndi Stephanus Garibajus lib. 16. cap. 46. Mariana lib. 22. cap. 13. Wadingus *De scriptoribus ordinis Minorum*, Daza parte 4. historiæ ejusdem ordinis lib. 1. cap. 7. Editum quidem fuit Norimbergæ MCDXCIV. Lugdunique ter. Primùm ann. MDXI. per Joannem de Romoys in 8°. iterum MDXXV. per Joannem Moylin, aliàs de Cambray, quâ nos utimur, tertiò MDCXXIX. quam editionem nondum vidimus.

[f] Lib. 1. tit. *Qualis debeat esse prædicator.* lib. 2. fol. 77. & 85. & 92. lib. 3. fol. 137. & 119. editionis anni MDXXV.

486. *Sermones* quoque *de sancto nomine Jesu* XXIV. scripsit, quos totâ Hispaniâ ex ambone recitâsse dicitur, id quod historicus Hispanus Franciscanorum Daza refert. At ipse viginti trium meminit Vallisoleti à se habitorum lib. 2. *De bello Judæorum* pag. 190. Garsiæ de Bahamondæ Lucensis Episcopi, magnæ scientiæ & bonæ conscientiæ, uti ait, hominis, & Roderici Didaci à Mendoza strenui militis atque timentis Deum, ac Ludovici cujusdam ab Almansa eodem loco mentione factâ.

487. *De fortuna* liber alius, serenissimo Joanni Castellæ Regi inscriptus eodem Alphonso Espina auctore ordinis Minorum, exstat MS. in regia bibliotheca Escorialensi.

488. Hic est qui Alvaro à Luna, dum cervicem jam prębiturus gladio Vallisoleti esset, consortator, & ultimi agonis Christianè sufferendi adhortator adstitit, ut Garibajus jam laudatus, & auctor *Historiæ Joannis II. Regis* annotatum reliquere; quemque innuere Rodericum Sancium in historiæ suæ quartæ partis cap. 33. mihi dubium non est, cùm se novisse virum & vitâ & sapientiâ in tegerrimum, qui Alvarum in foro Vallisoletano ad supplicium adductum consolabatur.

489. Res Alphonsi usque ad Ferdinandi & Elisabethæ catholicorum Regum ætatem domestici scriptores prorogant, & eorundem concionatorem, immo sub iis creatum aliquando titularem Episcopum affirmant, mirè tamen in hoc postremo ejus munere variantes. Trinopolitanum Daza, Thermopolitanum sub Athenarum metropoli anno MCDXCI. assumptum Wadingus in *Annalibus Franciscanorum* hoc anno, idem verò *De scriptoribus ordinis Minorum* scribens, Orinopolitanum, vocant. Thermopylensis quidem Episcopi sub Athenarum diœcesi *Codex Provincialis vetus* meminit à Miræo editus in *Notitia Episcopatuum*, aliorum non ullam alicubi factam invenimus mentionem. Collocavimus tamen hunc loco isto auctorem. Quod planè liquet, nec incertum fit hoc tempore eum incubuisse commentario jam dicto, & in celebri fama fuisse.

490. A gravissimo theologo ad fabularum artificem stylum convertimus, JOANNEM MARTORELL Valentini regni civem, cujus est liber aliorum hujus commatis germanus, *Tirant lo blanch* inscriptus, atque anno MCDLXXX. ut ajunt, Valentiæ in folio editus. More hic aliorum talium otiosorum consueto fingit se hunc librum ex Anglica in Lusitanam, deinde è Lusitana in Valentinam linguam anno MCDLX. transtulisse. At in fine advertitur, quartam operis partem à Martorello intactam relictam, Martinum Joannem de Galla equitem, instante domina Elisabetha de Loris, simili interpretatione donâsse.

491. CA-

491. Carolus Princeps Vianæ regni sui Navarræ obtinendi caussâ, Blanchæ Reginæ matris successor, quæ ex Joanne eum Aragoniæ & Navarræ Rege procreaverat, cum patre diu bellum gessit, aut belli præambulam pacem habuit, non semel ab eo in prœlio victus, & vel fugatus, vel captus, consilium amicorum turbatis rebus fruentium in patrem charitati & contrariæ fortunæ documentis præferens: de qua re Joannis rerum consulendi scriptores g, hic enim haud historiæ nos, sed elogiis tantùm inhæremus, nisi quòd circa hoc tempus, an. scilicet MCDLXI. Septemb. XXIII. die fato Barcinone functum fuisse è re nostra est adnotare. Quæ mors ei quadragenario contigit, viginti & plus annorum, si Joannæ matris obitum consideremus, Navarræ, at nomine tenus, Regi, postquam ex Hispaniæ regnis exsul Neapolim ad Alphonsum Regem Aragoniæ patruum, dum adhuc in vivis ageret, confugisset, honorificentissimè ac benignè admodum ab eo exceptus, & in Siciliam se post ejusdem obitum transtulisset, ne tumultuum aliqua Neapolitanis prolem Aragonici sanguinis legitimam, cui se submitterent, non obscurè desiderantibus, caussa, ne dum auctor, esset.

g Surita libro 15. 16. 17. Mariana lib. 21. cap. 7. Garibay lib. 28. à cap. 12. usque ad 29.

492. Ibidem Messanæ agens, ut erat literis, & philosophorum atque poëtarum, necnon & historicorum plusquam militiæ studiis, à teneris etiam annis deditus, ad S. Placidi, hanc urbem ac Tauromenem inter, Benedictinorum cœnobium frequens fuisse dicitur, bibliothecæ optimorum librorum divitis, quæ in eo asservabatur, caussâ; quos quidem libros in Hispaniam suam, dummodo per Pontificem Pium secundum liceret, eorum loco aliis religiosorum hominum proprioribus relictis, transportare in votis & in animo habuit, cujus rei memoria inter sodales, cùm in peregrinatione sua Hieronymus Surita ad hunc locum accederet, ut ipse libro 17. *Annalium Aragonensium* cap. 24. reliquit scriptum, perdurabat.

493. Adeò autem insignibus floruit virtutibus princeps Carolus, eoque siderum aspectu fuerat natus, qui quidem acceptissimum omni hominum ordini, gestis tamen infelicissimum, si quo modo res inde formantur nostræ, ipsum reddebat; mirum ut videri certè debeat quantùm à populis Hispaniæ totius, Neapolisque, & Siciliæ regnorum amoris meruerit vivus, venerationem autem & sanctitatis, miraculis etiam, ut fama est, comprobatæ opinionem post mortem adeptus sit. *Princeps omnium virtutum splendore præclarus, moribus integerrimus, quique & justitiâ, modestiâ, liberalitate, clementiâ, humanitate, cæterisque rebus, quæ ad optimum perfectumque principem pertinent, omnes principes antecessit*. Quæ verba sunt Marinęi Siculi eorum temporum hominis, res Joannis Aragoniæ & Navarræ Regis lib. 13. *Historiæ suę Hispaniensis* fine, cùm & prolixiùs & luculentiùs jam in superioribus laudâsset, describentis; *cujus* quidem *virtuti & eruditioni* (Joannes Mariana ait lib. 23. cap. 3.) *fortuna non respondit*.

494. Apponam facta de eo verba ęqualis ętate hominis, Gundisalvi nempe Garsiæ à S. Maria, cujus MS. *De rebus Joannis II. Aragoniæ Regis*, Caroli nostri parentis, historia in archivo istius regni custoditur. *Hic primigenius* (ait Latinè scribens) *habitu & statura corporis mediocri, aut aliquanto supra mediocrem fuit, facie macra, vultu & modesto & gravi, aliquid mœroris præ se ferente; undique, etiamsi à tritavis repetere velimus, generosus* &c. Et mox: *Magnificus præterea ac munificus erat, utpote quem Blanca mater ita a pueritia educaverat, ut quinos aureos singulis diebus, quibus vellet, largiretur. Musicę plurimum delectabatur, gaudebat literatorum consortio, quodcumque disciplinę genus, philosophiæ moralis pręsertim ac theologiæ, maximè colebat. Habuit ingenium mechanicis artibus, picturæ præsertim, supra quod cuique credibile est, aptissimum*. Hęc ille.

495. Quod verò ad vitæ sanctitatem pertinet, confirmatur egregio encomio Ferdinandi cujusdam de Bolea & Galloz, qui in quadam epistola ad Henricum IV. Castellæ Regem scripta (fuerat is cubicularius, & pręcipuo loco apud Principem, de quo Surita semel atque iterum agit) hęc verba habet, quæ Hispana, ne quid mutemus, dabimus. *El premio de su loable vida que la divinal essencia le hà de tal manera colocado en la durable felicidad, que todos los dolientes incurables, rebundo à donde su cuerpo està, quedan sanos; e tanto numero dellos hay, que un millar de Santos con sus miraglos justamente podrian ser canonizados* &c. Transcripsit hæc & alia de hoc principe ad nos missurus Didacus Josephus Dormer, chronographus Aragoniæ regni, ex codice quodam MS. qui fuit Joannis Garriz domûs hospitalis Cæsar-augustanæ S. Marię de Gratia computatoris.

496. Ex libris Carolus, doctorumque, quos, ubicumque essent, per literas communicare solitus fuit, virorum consuetudine, conspirante in primis eximia indole, non vulgarem philosophiæ totius eruditionem, moralis pręcipuè, imbibit; cùm & pangendis versibus, & rerum olim gestarum cognitione admodum delectaretur. Leonardus Brunus, Aretinus à patria dictus, jam eo tempore Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum Latinam translationem, quam tot alii ante & post eum fecere, quandam pręcipuè cujusdam Dominicani sodalis pessimam excussurus è legentium manibus, publicaverat, anno hujus sæculi quadragesimo tertio è vivis sublatus. Huic insistens Carolus, ex hujus Latino Hispanè Aristotelem fecit loqui, Ethicorum versionem vernaculè tantùm scientibus utilissimam planè futuram sciens, quam Alphonso Neapolis Regi, patruo suo, cujus hortatu rem aggressus fuerat, nuncupavit.

497. Cęsar-augustæ ea prodiit ex ædibus Georgii Coci Germani anno MDIX. in folio, unà cum ejusdem Aristotelis *Politicorum*, & *Oeconomicorum* simili alia versione Hispana; quam Anonymus quidam, ex occasione hic laudandus, & alicui loco, cùm ignoretur proprior,

prior, inferendus, exemplo Caroli principis, uti ait, invitatus edidit.

498. Primus quidem noster Carolus Aristotelis hos libros, quod Leonardus teligione quadam ductus non utique fecerat, in capita diffecuit, cujus exemplum interpretes alii sequuti sunt, unusquisque partitionis calculo suo usus. Nec annotari extra rem erit quorundam vocabulorum Latini sermonis meliorem interpretationem Hispanam se dedisse, Græcorumque suppleville defectum, jactare Carolum, fortitudine (exempli gratiâ) quæ de animi & corporis viribus æquivocè dici videtur, non *fortaleza*, sed *esfuerzo*; mediaque inter ambitionem remissionemque virtute, quam Aristoteles innominatam reliquit, *comedimiento*; quoniam eum benefactis ponderat & metitur honores, appellatis.

499. Reliquit idem princeps *Rerum Navarræ regni historiam*, quæ nunquam edita in lucem fuit, quâ se usum in sua formanda Garibajus libri 21. cap. 1. & libri 28. cap. 16. admonet: quam quidem à principio Hispanarum rerum usque ad Ennecum Aristam dictum, hujus regni Regem, indeque usque ad Caroli avi sui initium, perduxit; erroribus tamen ob scriptorum incuriam, fœda circumduci exempla idem conqueritur. Duo exempla hujus historię MSS. asservantur Matriti in bibliotheca quę fuit Comitis de Villa-umbrosa, alterum cum hoc titulo: *Chronica de los Reyes de Navarra, compuesta por el principe Don Carlos de Viana, basta el año de MCDLIV.* alterum cum his adjunctis titulo eidem verbis: *y continuò Mossen D. Ramirez Davalos, dirigida al señor Emperador Carlos V.* In Aragoniæ regno alia exemplaria sunt. nempe in archivo regni, in monasterio S. Joannis de la Peña, atque item apud D. Ludovicū de Exea Talajero, ejusdem regni, ut vocant, Justitiam; D. Michaëlem Marinum de Villa-nueva & Palafox Comitem S. Clementis & apud Didacum Josephum Dormer, Aragoniæ chronographum. Meminit historiæ hujus Arnaldus Oihenartus *Notitiæ utriusque Wasconiæ* lib. 2. cap. 12. & alibi sæpiùs.

CAPUT X.

De BARTHOLOMÆO CATANIO *Minorita*, *&* MICHAELE MASSOTO *Carmelita*. CATHARINA *Portugalliæ Infans*. LUDOVICUS FERNANDEZ DE TARANCON *Beatiensis*. JOANNES DE MELLA *Zamorensis*, *negotiorum expertissimus*. *Munera ab eo obita*. *Cardinalis à Callisto III. creatus*. JOANNES DE TURRE-CREMATA. *Ejus patria parentesque inter auctores controversa*. *Concilio Basileensi interfuit*. *Florentiæ Latinorum propugnator*. *Res aliæ ab eo gestæ*, *honores obtenti*. *Cardinalis creatur*. *Ejus scripta*. ALPHONSUS DE OROPESA *Hieronymianus*.

500. BARTHOLOMÆUS CATANIUS Majoricensis, ordinis fratrum Minorum, regularis observantię in ea insula propagator & auctor, de quo videndus *Franciscanorum Annalium* insignis scriptor Lucas Wadingus ad annum MCDXLIV. num. 58. & 71. magnæ inter cives suos auctoritatis, prudentiæ, pietatisque.

501. *Homilias* scripsit & *sermones multiplices pro universis anni diebus*, *in quibus prædicari solet*. Habentur in magno codice sanctæ Mariæ Angelorum cœnobii extra muros ejusdem urbis Majoricensis ab eo constructi. Obiit anno MCDLXII. cujus corpus eodem loco, in sanctitatis præcipuam comprobationem usque ad hoc tempus incorruptum servari refert idem Wadingus etiam *De scriptoribus ordinis Minorum* agens.

502. Hic idem annus MICHAELI MASSOTO Carmelitæ Catalano fatalis fuisse dicitur, theologo, & utriusque juris doctori, postquam scripsisset in Peraladæ cœnobio *Sermonum* librum unum.

503. Sequens sexagesimus tertius annus transtulit in cœlum CATHARINAM Portugallię Infantem, Eduardi Regis filiam, quę cùm destinata esset uxor Caroli nuper à nobis dicti, Vianæ principis, immatura ejusdem morte ei relata, in monasterium Ulyssipponense S. Salvatoris Dominicanorum Deo sacrarum Virginum anno MCDLX. secessit, post triennium & ipsa, iterum Eduardo Angliæ Regi III. jam pacta conjux, septimum supra vicesimum annum agens, moritura. Jacet corpus ejus cum magna sanctitatis opinione defunctæ in capella quadam monasterii (quò quidem translatum fuit) S. Eligii ejusdem urbis ab illustrissimo ejus ętatis viro Georgio Costa Catharinæ olim in grammaticis pręceptore, deinde S. R. E. Cardinali, & Ulyssipponensi antistite, pro se & Infantis ossibus constructa. Transtulisse ea dicitur in vernaculum Portugallię sermonem pręter alia *S. Laurentii Justiniani Patriarchæ Aquilejensis librum De regula & perfectione monachorum*. quem librum inter Justiniani opera non invenio, nisi *De regimine & institutione Prælatorum*, qui inscribitur intelligamus, quam interpretationem in cœnobio suo S. Crucis anno MDXXXI. Conimbricenses ediderunt. Cardosus de re agit in *Hagiologii Lusitani*, & Junii mensis die decima septima, & alii, quos idem collegit eo antiquiores.

504. LUDOVICUS FERNANDEZ DE TARANCON, quem canonicum ex munere, ac Priorem oppidi de *Ximena* Episcopatus Giennensis (Priores ibi audiunt parœci) vocant, natu Beatiensis, librum scripsit à Martino Ximena Jurado *Annalium Giennensium* auctore pag. 367. laudatum, scilicet:

505. *Kalendario de cosas acaecidas en su tiempo en la ciudad de Baeza*. MS. Quem Ludovicum circa annum MCDLXV. vixisse docet.

506. JOANNES DE MELLA, Zamoræ ingenuis parentibus Alphonso Ferdinandi à Mella & Catharina Alphonsi ejusdem urbis civibus circa annum MCCCXCVII. editus, unus è primis S. Bartholomęi Collegii, quod in Academia Salmantina illustrissimus vir Archiepiscopus Hispalensis D. Didacus de Anaja magno literarum compendio exstruxit,

xit, sodalibus, eò vocatis, fuisse dicitur, & in eodem gymnasio Decretorum cathedrę pręfuisse, doctorali sacrorum canonum pileo munitus. Porrò juris utriusque prudentiam ingenii perspicacia & soliditate judicii, atque in primis negotiorum gravissimorum tractatione & usu eo successu excoluit, ut inter viros sui sęculi experientissimos ab iis qui veterum facta revelant posteris, numeretur.

507. Missum verò Romam ab Archiepiscopo collegii fundatore, legationis seu procurationis principem, ad Martinum V. qui paulló ante prędictum Archiepiscopum hoc munere inauditum spoliaverat, defensionis causâ, decretæ restitutionis Pontificium instrumentum, sive, uti appellant, bulla, manifestum reddidit, quo Mellam summus ille sacrorum administer decretorum doctorem atque Cauriensem decanum vocat.

508. Quomodo autem cum hoc stare possit Bononiensis S. Clementis Hispanorum, quod audit, collegii persuasio, Joannis hujus Mellæ effigiei subscriptione confirmata, nec nisi è libris receptionum, ut credere par est, eò inducta, quod scilicet ibidem loci sodalis fuerit, anno MCDXXIV. receptus, doceri cupimus. Cui quidem rei quantumvis expeditæ bullæ dies, Idus nempe Januarii mensis MCDXXIII. anni, non resistat, & post absolutum procurationis munus, Româ discedens, Bononiam potuerit noster se conferre, atque istius tunc jam celeberrimi collegii togam induere, quod recèns nati Bartholomęani rudiora adhuc tempora, nec ingratiis Didaci ipsius fundatoris, admittere potuisse videntur, eo forsan consilio capto, ut occasione illius in Italiam profectionis Mella quicquid novæ plantæ incremento & juvamini esse posset, in Bononiensi illo, ad cujus exemplar Salmanticæ constructum fuerat Bartholomęanum, disceret, nihilominus nos hanc litem iis, quorum res agitur, instruendam, & apud saniores harumce controversiarum judices propugnandam relinquimus.

509. Mansisse tunc in Italia nostrum id forsan confirmat, quòd ab eodem Martino V. Papa, qui MCDXXXI. obiit, Rotæ Romanæ judex (*Auditorem* vocant) creatus sit. Immo & Bononiæ eum mansisse, aut postea fuisse, Barbatiæ testimonio comprobatur, qui in cap. *Novit. De officio Ordinarii* ait reverendum Cardinalem Aretinum legatum Bononiensem constituisse *sibi Locum-tenentem famosissimum jurisconsultum Joannem de Mella compatrem suum*. Neque diversum indicat Jacobi Piccolominęi Cardinalis Papiensis elogium, dum in *Commentariorum* lib. 2. quum eos Cardinales enumerat, qui Paulli II. electioni adfuere, cum magna nostri laude *Joannes* (ait) *tituli sanctæ Priscæ, Zamorensis civis & præsul. Hujus prima juventus ingressa urbem in extremum nunc senium perseverat, vir laboriosus, & justitiæ minister intrepidus. Diversis quoque temporibus cunctos penè nostræ curiæ magistratus solus administravit*. Atque item Joannis hęc Gobellini, sive Æneæ Sylvii ipsius, *Commentariorum Pii II. Pontificis* lib. 1. ubi de creatione agit Cardinalium, cujus pars ille fuit. *Joannem* (ait) *Episcopum Zamorensem natione Hispanum, scientiâ juris excellentem, qui annis uno de quadraginta in muneribus curiæ prudenter casteque fuerat obversatus*. Unde facilè colligimus, ab anno hujus sęculi XXVI. curiæ districtum occupationibus absque intervallo vixisse. Legatum interim Eugenii IV. Basileam anno XXXIII. sęculi venisse Protonotarium Apostolicum ex *Historiæ Concilii Basileensis* sectione 10. cap. 24. constat, quam Augustinus Patricius Senensis canonicus concinnavit, ac Philippi Labbęi operâ in appendicem Concilii Basileensis tomo 13. Conciliorum editionis col. 1488. conjectam habemus; ex cujus etiam cap. 28. apparet eum in primis cum Tarentino Archiepiscopo in Basileensi Concilio ad bonam mentem redire parato, Eugenii jussu, dum Basileam accedere possent Cardinales ad munus hoc destinati, Pontificias vices habere debuisse.

510. Certè is hoc, quod jam diximus, Auditoris munere ornatus, ac publicis Ecclesię rebus nunquam non impensus, meruit tandem post Zamorensem sibi collatam Ecclesiam, à Callisto III. Pontifice ad Cardinalium augendum numerum an. CDLVI. supra millesimum cum aliis assumi, Seguntini post biennium Episcopatus, Zamorensis loco, infulis ornatus. Romę obiit, ad Sanctum Jacobum, Hispanorum nationis templum, sub hoc titulo terrę mandatus, quem ideo hic subjungimus, quòd in *Theatro Zamorensis Ecclesiæ* Ægidii Gundisalvi Avilę corruptus legatur.

JOANNI DE MELA [h] GENERE HISPANO
FAMILIA INGENVA. CÆSARII AC PONTIFICII IVRIS CONSVLTISSIMO. S. LAVRENTII IN DAMASO PRESBYTERO CARDINALI SACRVM.
VIXIT ANNOS LXX. OBIIT XIII. OCTOBRIS MCCCCLXVII.
PONTIFICATVS MAXIMI PAVLI II. ANNO IV.

h Ita exculpta legitur.

Scripta ejus aliqua juris commentaria Romæ asservantur, manu adhuc exarata, scilicet:

511. *Portugalliæ leges quadraginta duæ, seu constitutiones Portugalliæ Regis Joannis anno MCDXIX.* XVIII. *Novembris promulgatæ in civitate Olissipone, & glossatæ per Joannem de Mella Episcopum Zamorensem, sive de cogni-*

gnitionibus propriis regalium sive Ecclesiasticorum tribunalium. Ita opus inscriptum exstat in Vaticana bibliotheca MS. cod. 2617. pag. 19. Aliàs: *Allegationes factæ per Joannem de Mella super* XLII. *legibus factis per dominum Regem Portugalliæ anno XXVII.* VI. *Julii Romæ de mandato dominorum S. Martini & Bononiensis Cardinalium*. Incipit: *Reverendissimi patres ac domini præclarissimi* &c. In Vaticano alio codice 2688. Hoc autem circa hunc annum sæculi vicesimum septimum scriptum opus fuisse, antequam honoribus, quos postea obtinuit, auctor frueretur, nudum ita inscriptum huic codici nomen ejus persuadet; cujus quidem exemplum fuerit per nos istud, quod priore loco laudavimus, scriptum, cùm Zamorensis jam esset Episcopus: neque enim, si leges illæ anno XXVII. promulgatæ sunt, opponi tardiùs debuit *Allegationum*, seu *glossarum* scutum.

512. *Elucidarium*. Continetur hic liber unà cum aliis cod. Vaticano MS. 4066. cujus codicis hęc est nota, eorum quæ intus habet, index. *Pantaleon contra hæreses Græcorum. Germani Patriarchæ De processione spiritus sancti. Joanus de Mela Elucidarium*. Reperietur id fol. 67. cum hoc initio: *Sæpius rogatus à condiscipulis quasdam quæstiunculas enodare, importunitati eorum non fuit facilitas obviare*. Sequitur ruber titulus: *Incipit liber primus de Ecclesiasticis rebus* (dialogisticus). *Magister rogo, ut ad inquisita mibi ne pigriteris respondere ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ*. Magister. *Equidem faciam quantum vires ipse dabit, nec me labor iste gravabit*. Discip. *Oro, quòd nemo sciat quid sit Deus, valdè absurdum videtur adorare quod nesciamus: ab ipso ergo exordium sumamus: & in primis dic mibi quid sit Deus?* &c. Ita verò inscriptum fuisse librum è prologo ipso constat, ubi ait tacere se nomen, ne ob invidiam scriptum contemneretur, & titulum operis esse *Elucidarium*, *quia in eo obscuritas diversarum rerum elucidatur*. Tertii autem operis recordatur Ciaconius in *De Vitis Pontificum & Cardinalium*, de his, quos creavit Callistus, verba faciens, laudati tamen à Piccolominęo Cardinali, vulgò dicto Papiensi.

513. *Clericis nempe licitum non esse urbes pestilenti lue infectatas deserere, ob injuncti sacerdotii curam*.

514. Hunc nostrum inter Cardinales doctrinâ illustres, & pręcipuos illius ęvi jurisconsultos, Garimbertus *De Vitis Pontificum scribens* collocat. Quamvis facie deformem, Cardinalatum non fœdâsse, adnotat multiplex *Historiæ Pontificum* ante paucos annos recoctus scriptor. Hujus autem germanum fratrem fuisse Alphonsum Mellam Franciscanum eò monere voluimus, quòd tum *Historiæ Joannis II.* auctor ad annum XLII. cap. 36. tum Joannes Mariana lib. 21. cap. 17. admonuere, Fraticellorum sectæ Durangi Cantabriæ oppido suscitatorem hunc fuisse, qui pœnæ metu unà cum grege perditarum mulierum ad Mauros fugiens, Granatæ cannis confixus miserè tandem obiit. Humanarum rerum varietatis, & eodem ventre natorum hominum in diversa tendentium dissimilitudinis exemplum jugi recordatione dignissimum.

515. Hunc qui sequutus fuit, anno MCDLXVIII. decessit è vivis Romę etiam, celeberrimus ejus ętatis theologus & jurisconsultus JOANNES DE TURRE-CREMATA, ingentis, cùm viveret, & post obitum, famæ vir futurus, dum corda hominum literarum amor & sapientiæ studium insederit. Burgis, an Pinciæ, hoc est Vallis-oleti, natus, & cujusnam ordinis parentibus, fuerit, in dubium vertitur. Nam Ferdinandus Pulgaris, & Lucius Marinęus Siculus, ętate ęquales, Burgis ortum; ac prior ille, cui credidit Joannes de Cruce in *Chronico Dominicanorum* ab Antonio Senensi laudatus in sua *Bibliotheca ejusdem ordinis*, Judęorum è genere ad Christianam fidem conversorum prognatum fuisse ajunt.

516. Ex adverso alii Vallis-oletanum asserunt, Alvari Ferdinandi à Turre-cremata decurionis filium, Petri Ferdinandi nepotem, Lupi Alphonsi illius, quem inter equites, *de la Banda* dictos, Alphonsus Rex Castellæ XI. cooptavit, pronepotem affirmant. Dominicani ante alios, Antonius Senensis [i], Ferdinandus Castellus [k], Joannes Pontanus [l], (non Xystus Senensis, quem hi laudant) & cum his Balthassar Porreñus [m], Pulgaris obnituntur dicto, injuriam sibi à propinquo Joannis nostri factam hoc mendacio vindicare volentis. Quod non statim credent absque alio rei indicio qui neque odio neque adulatione ducuntur. Planè quod non ullius dedecoris fuit Paullo & Alphonso Burgensibus, Francisco item Cauriensi, Episcopis, ab eodem Pulgare, Nicolao Lyrano, Raymundo Martini, cæterisque aliàs ob eximias dotes & literarum studia laudatis; cur ingenio & more hujus nostri temporis, quod quidem hujus originis homines ab honoribus arcet, ętate illa (quod exemplis convincitur) non sic viles aut inhonestos, excipiemus & reputabimus?

517. A Turre-cremata oppido oriundum fuisse alii affirmant, è quorum numero Guido Pancirola lib. 3. cap. 37. *De claris legum interpretibus*, Petrus Alva in *Sole veritatis*, veritate 195. hisque antiquior Blondus decade 4. lib. 1. *Historiarum*, cognominis, ut credimus, argumento ducto. Certè Vallis-oleti ad ordinem Prędicatorum fratrum receptus, literis hîc primò grammaticis & philosophicis, in urbe autem Parisiorum deinde theologorum & jurisconsultorum studiis impensè operam dedit; nec ante quàm doctoris ornaretur insignibus ab ea discessit. At reversus, opportunusque muneribus domi gerendis, cùm in patria ad S. Paulli, tum in urbe Toleto ad S. Petri martyris cœnobia, sodalibus præfuit.

518. Hinc autem eum Romam declinandæ invidiæ, quæ inter domesticos plerumque accendi solet, se contulisse fama est; non ut Joannis II. Regis legationem obiret, quod Marinæus credidit. Ille enim

i In *Bibliotheca Dominicana*.

k *Hist. ord. Predicat.* cent. 2. lib. 3. cap. 42.

l *Conveniencia de Monarquias* lib. 2. cap. 11. §. 1.

m *Elogios de los Cardenales de España*.

ad urbem priùs acceſſerat, quum Joannis ejuſdem Regis (uti Pulgaris refert) juſſu oratoribus ejus ſe comitem dedit.

519. Næ illi in ordinem fortaſſe redigendi ſunt, qui Conſtantienſi Concilio interfuiſſe Turre-crematam affirmare non verentur. Neque ejuſdem Pulgaris error ferendus eſt; cui ſi credimus, diſceſſo jam Eugenium inter & Baſileenſes atque Felicem ſchiſmate, è Toleto Romam venit. Conſtantiæ namque urbis Concilium anno hujus ſeculi XVIII. dimiſſum fuit; quo anno triceſimum, aut circiter, ętatis agebat noſter Joannes, cùm nec pręeſſe jam duobus maximis ac pręcipuis cœnobiis potuerit, nec Joannis Regis, qui adhuc puer ſub tutela erat Ferdinandi Infantis, legationem gerere, legatiſve adhærere. Et tamen Guido Pancirola teſtem hujus in Concilio iſto pręſentiæ Turre-crematam ipſum adducit in *Comm. Decreti*, diſt. 17. cap. 1. num. 14. quem nunc ad manum non habemus.

520. Baſileam autem venit florente ibi adhuc Concilio, nondumque damnabili, quod ex actis in eo ab eodem conſtat, ſacri Palatii Magiſter ab Eugenio jam creatus. Seceſſiſſe tamen cum Hiſpanis aliis creditur, quum eò res perducta eſt, ut ſenatus ille patrum facultatem ſibi exauctorandi Pontificis adrogâſſet. Ab eo enim in conventum Nurembergenſem Germaniæ nationis fuit miſſus anno MCDXXXVIII. ut ex *Hiſtoria* ejuſdem *Baſileenſis Concilii* conſtat Auguſtini Patricii ſuperiùs adducta, nempe ex cap. ejus 82. Cùmque Florentiæ, quò evocatum fuerat è Baſilea Concilium, adeſſet, ibique partes Latinæ adverſus Grçcam Eccleſiam, atque ejus dogmatum ſectatores ſtrenuè propugnâſſet, ab eodem Eugenio IV. die XVIII. Decembris anni MCDXXXIX. (malè alii MCDXXXV.) cùm ſedecim aliis, in quibus Beſſarion Grçcus, Joannes Carvaxalius, Alphonſus Borgia, qui poſtea Calixtus III. Papa, Hiſpani, clariſſimi numerantur viri, S. R. E. Cardinalis creatus fuit, poſt menſem utique à renunciato Baſileæ Felice Sabaudię olim Duce in Eugenii locum Pontifice.

521. Cùm verò Bituricis anno ſequenti quadrageſimo Carolus VII. Francorum Rex conſilio ſuper hac re capiendo Synodum coëgiſſet, eò deſtinatus fuit ab Eugenio Joannes Cardinalis (quò & pro Felice directus fuerat Joannes Segobienſis jam antea dictus) & in cauſſa obtinuit, Carolo adhęrere ſe Eugenii partibus ex conſilio patrum declarante. Meminit Auguſtinus Patricius in *Hiſtoria Baſileenſis Concilii* nuper laudatæ cap. 112. Quæ quidem legatio ad Gallum Regem anſam porrexiſſe quorundam errori ſuſpicamur, qui reverſum aliquando in Caſtellam Pontificis legatum Turre-crematam, nullo veteris hiſtoriæ ſuffragio muniti aſſeruere.

522. Deſtinatum quoque eum cum aliis pro ſedando inter Galliæ atque Anglię Reges bello conſtat ex Eugenii Papæ epiſtola apud Raynaldum tomo 18. *Annal.* anno MCDXXXIX. num. 39. Infixus tamen vel abſentis amor & exiſtimatio adeò erat Joanni Caſtellæ, ut à Ferdinando Gomezio de Civitate-regali ejuſdem medico in quadam epiſtola ad Gomezium Benavidium directa, nonniſi ex vero ſcriptum fuiſſe videatur, contuliſſe Regem Guterio Toletano Hiſpalenſis Eccleſiæ Pontificium, quo morem aliis gereret, non autem ex animi ſui ſententia. *Quod quidem* (ait [a]) *Joanni Turre-crematæ Dominicano libentiùs dediſſet; cujus quidem ſapientia & religio pluſquam aliorum nobilitas honore iſto dignior eſt*. Obtinuit utique inter nos Mindonienſis & Aurienſis Eccleſiarum infulas cum abbatiis Pinciana, & Burgenſi Fonceana; Romæ autem titulos Epiſcopatuum Albanenſis, Nicolai V. Sabinenſiſque, Pii II. tempore, atque in eadem urbe ędificatis ad ſanctæ Mariæ ſupra Minervam Dominicanorum ędis maximæ impluvio, & in templo ipſo ejuſdem Deiparę Virginis ab angelo annunciatæ cappellâ, legatum ei reliquit à ſodalibus pii collegii ab eodem creati adminiſtrandum, cujus fructus maritandis Romanis virginibus quotannis inſumerentur. Atque hoc pium opus adeò ſemper uſque nunc ab eo tempore increvit, ut Annunciationis feſto die ſummus ipſe Pontifex cum Cardinalium collegio in hoc ſeſe templum conferens dotum cheirographa trecentis non minus aut quadringentis manu propria diſtribuere ſoleat.

[a] In Latinum converſus ex Hiſpano.

523. Romæ deceſſit octogenarius, jacetque in cappella jam antè dicta ſub hoc epitaphio:

F. IOANNI HISPANO VALLISOLETANO
EX VETERI PVRA NOBILIQVE FAMILIA
DE TVRRE-CREMATA
ORDINIS PRÆDICATORVM.
S.R.E. CARDINALI EPISCOPO SABINENSI
PIETATE AC DOCTRINA CLARISSIMO
MVLTIS LEGATIONIBVS EGREGIE FVNCTO
BEATÆ VIRGINIS ANNVNCIATÆ
SODALITAS
AVCTORI SVO POSVIT
OBIIT ROMÆ VI. KAL. OCTOBRIS
ANN. DOMINI MCCCCLXVIII.
ÆTATIS VERO SVÆ LXXX.

524. A Flavio Blondo illius ævi famigerato ſcriptore, dum de creatione agit, quâ Joannes declaratus fuit Cardinalis, *theologus inſignis* audit lib. 1. decadis 4. *Hiſtoriarum*; à Grçco re-

rerum Florentini Concilii scriptore *philosophus Latinorum & dialecticæ peritissimus.* Ab eodem Blondo, Nicolao Perotto, Jo. Antonio Campano, & Bessarione Cardinali Nicæno amatus & magni habitus. Jacobus item Amannatus Cardinalis, vocatus Papiensis, vir eloquens, & *Commentariorum de suæ ætatis rebus*, necnon & summi pretii epistolarum auctor, dum Cardinales enumerat qui Paullum II. elegerunt, *Commentariorum* lib. 2. post laudatum cum aliis Joannem Carvaxalium, virum gestis clarissimum, *Ab eadem natione* (inquit) *Joannes Turre-cremata Sabinorum Episcopus. Hujus umbratilis gloria præcedentium non cessit laboribus, primas inter theologos sui temporis tenens, propter auctoritatem sedis apud Gallos defensam, quamquam ex Prædicatorum esset ordine, nullaque adhuc dignitate insignis, ad Cardinalatum Eugenio sedente vocatus est. Scripsit Commentarios divinarum rerum complures, utiles illos & magni in Ecclesia æstimatos.* Elogia tanti viri vide sis (ut ab antiquis discedamus Pulgari & Marineo) apud Alphonsum Ciaconium in *Vita Eugenii IV.* Ferdinandum Ughellum *Italiæ sacræ* auctorem in *Episcopis Sabinensibus*, Balthassarem Porreñum in *elogiis Cardinalium Hispanorum* ineditis, & in epistola cujusdam Joannis de Turre-cremata, nostro cognominis, quæ Salmantinæ editioni *Summæ* illius *Ecclesiasticæ* anni MDLX. præponitur. Sed jam ad enarranda ejus opera transeundum est. Scripsit nempe

525. *In Gratiani decretum Commentarios*, quinque partibus. Quarum I. est in primam decretorum, sive *distinctiones*. II. In *caussarum* primum volumen. III. in secundum. IV. in tractatum *De consecratione*. V. in tractatum *De pœnitentia*. Quatuor tamen voluminibus integrum opus comprehendit Veneta editio Hieronymi Schoti MDLXXVIII. in folio, quam præcessisse dicitur alia Lugdunensis Joannis Boërii. Manuscriptam vidimus in Barberina bibliotheca Romæ *Compilationem novam decreti, Turrim auream decretorum nominatam; compilatam à rever. P. Joanne de Turre-cremata, & Nicolao V. Pontifici dicatam.* Incipit operis nuncupatoria: *Cupienti mihi opus quod auxiliante Deo inchoavimus in quinque libros, juxta quinque libros decretalium* &c. Finitur autem sic: *Finitum est opus Romæ x. Januarii MCDLI.*

526. *Summam Ecclesiasticam.* Hoc est contra Ecclesiæ, & primatus Petri adversarios, quatuor partibus. In quarum prima agit *De universa Ecclesia.* In secunda *De Ecclesia Romana* & *Pontificis primatu*. In tertia *De universalibus Conciliis*. In quarta *De schismaticis & hæreticis*, Nicolao V. Papæ dicatam. Hæc prostat Salmanticæ edita apud Joannem Mariam Terra-novam MDLX. in folio, & Venetiis apud Michaëlem Tramezinum ann. MDLXI. in 4°. In bibliotheca Olivariensi erat tractatus *De potestate Papæ & Imperatoris* MS. in folio, quem haud diversum à *Summa* existimamus; cùm in hac de potestate etiam Imperatoris agatur lib. 2. cap. 94. 95. & sequentibus. Exstat in Vaticanis codicibus 2577. 2578. & 2701.

527. *De aqua benedicta, ejusque virtute & efficacia.* Romæ apud Antonium Bladum MDLIX. aliàs MDXLVII. Quem librum ei tributum scio à Trithemio, Possevino, Ant. Senensi, & aliis. Hunc tamen Alphonsus Castrensis, cùm *adversus hæreses* scriberet, reperire se non potuisse quæsitum ait, forsan adhuc ineditum.

528. *Meditationes de vita Christi.* Has Coloniæ edi curavit Franciscus Swertius cum Vita ejusdem Turræ-crematæ, & precibus selectis quibusdam MDCVII. in 12°. apud Bern. Gualterium, ut in mentione dicti Swertii monet Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*.

529. *Commentaria in Regulam S. Benedicti*, quæ unà cum Smaragdi in eandem commentariis Coloniæ prodierunt ex officina Gervini Galeni anno MDLXXV. in folio. Hæc direxit auctor ad Arsenium monachum cœnobii S. Benedicti, quod ipse (Trithemius ait) in commendis habebat, Florentiæ, ut credimus, *opus magnum & non abjiciendum*, appellans.

530. *Expositionem brevem & utilem super Psalmos.* ad Pium II. Pont. Max. Prodiit hæc primùm, ut credere par est, Romæ apud Franciscum Lupum Gallum die xxi. Februarii MCDLXXVI. quam editionem vidimus Cajetæ in bibliotheca Dominicanorum; item in Burgo (locum ignoramus) MCDLXXX. in fol. quæ est inter libros Sapientiæ Romanæ. Duo alia exemplaria penes se habere absque ulla loci nota, eaque in ipsis typographiæ incunabulis edita, Labbeus monet *De scriptoribus Ecclesiasticis*. Item prodiit Cæsar-augustæ MCDLXXXII in folio Venetiis apud Lazarum de Soardis MDXIII. in 8°. & apud Stephanum de Sabio MDXXIV. in 8°. *Desumpta nempe* (ut auctor ait) *ex Hieronymo, Augustino, Remigio, & Cassiodoro.*

531. *Quæstiones spirituales super Evangelia totius anni, tam de tempore quàm de Sanctis.* Aliquando editæ hæ sunt absque loci mentione Brixiæ anno MCDXCVIII. in 4°. quam editionem habet Ecclesia Hispalensis inter Colonæos libros. Deindè verò Lugduni MDIX. in 8°. apud Stephanum Gueynardum, & adhuc priùs ibidem MD. in 8°. & Parisiis MDX. apud Joann. Barbier. In prologo auctor ait se has scripsisse Cardinalium collegio dicatas, ut dum epularentur, recitari sibi eas juberent. Parisiensem hanc editionem recognovit Guilielmus Totanus Dominicanus, ille, cui falsò adscribi solet, propter similem curam etiam in eo insumptam, Alphonsi Spinæ *Fortalitium fidei*, uti loquentes de hoc monuimus. In codice Vaticano MS. 975. servantur cum titulo *Collationum pro dominis Cardinalibus pro collocutionibus post mensam*, & hoc initio: *Sacro & colendissimo* &c. quod idem initium habent *Quæstiones*. Trithemio teste diversum opus est.

532. *Sermones de tempore ac de Sanctis.* Quos à præcedenti, præter ipsum Trithemium, Possevinus & alii distinguunt.

533. *Contra principales errores perfidi Machome-*

ahometi. Editio princeps fortè illa eſt, quam in bibliotheca Sapientiæ Romanæ vidimus abſque loci nota. Prodiit etiam Romæ apud Guilielmum Faciotum MDCVI. in 8°. Ms. exſtat liber in Vaticana bibliotheca codic. 1043. & 974. cum hac inſcriptione: *Tractatus contra principales errores Machometi, propter diætam principum proximè celebrandam*. ad Pium II. Incipit: *Poſt humilem recommendationem*. Hæc diæta, ſive conventus, fuit Mantuæ à Pio II. indictus, ut Chriſtianorum principum communibus conſiliis & copiis immaniſſimo Turcarum tyranno bellum inferretur. Reque ipſe ſeſe eò contulit Pius: principes verò aut legati eorum rari, diſceſſumque ſuadentibus, utpote in re jam deſperata, aliis Cardinalibus, & in Romam reditum: *Fuerunt tamen* (Gobellinus ait in *Commentariorum Pii II.* libri 3. initio) *Cardinales melioris conſilii, qui perſeverantiam ſuadebant, ut Beſſarion Nicænus, & Joannes S. Xyſti, Græcus alter, Hiſpanus alter.* Quibus verbis deſignari Turre-crematam nemo non videt: quemadmodum & cùm lib. 3. accerſitos eoſdem Nicænum, & Joannem S. Xyſti, Cardinales, ad colloquium privatè ab eodem Pontifice cum Florentinis legatis habitum.

534. *Tractatum* De veritate conceptionis beatiſſimæ Virginis, *pro facienda relatione coram patribus Concilii Baſileæ anno Domini MCDXXXVII. menſe Julio, de mandato ſedis Apoſtolicæ legatorum eidem ſacro Concilio præſidentium*. Romæ prodiit primùm ex officina Antonii Bladii Aſulani MDXLVII. in 4°. Recognitus quidem, & nova capitum diviſione clarior redditus, Alberti Duimii de Catharo ord. Prædicat. in Sapientia Rom. ſacræ Scripturæ interpretis operâ, jubente Bartholomæo Spina, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, & ſumptus præſtante illuſtriſſimo domino D. Joanne de Toleto Cardinali, ejuſdem ordinis Prædicatorum, cùm in Concilio Tridentino propoſita eſſet hæc res à defenſoribus alterius partis. Ita enim præſefert integra libri inſcriptio, quam dedimus pro hujus operis atque ejus editionis hiſtoria. Apud Ciaconium per errorem editum fuit: *De conceptione Domini*. fortè, *matris Domini*.

535. Quam quidem relationem ſeu tractatum exhibiturus jam Concilio, quo minus id facere poſſet, impeditus fuit ſchiſmatis illius cauſſâ, quæ per eos dies ortum habere cœpit, quum legati Eugenii Papæ recedere inde, & cum eis Joannes noſter, in mandatis habuere: quod ipſe ait in commentario ad caput *Firmiſſimè*. *De conſecratione*. diſt. 4. n. 11. Eandem ſibi impoſitam fuiſſe à Concilio curam repetit ad cap. *Pronunciandum*. diſt. 3. Et tamen à Petro Alva Franciſcano, qui in defendendo immaculatæ conceptionis beatiſſimæ Virginis articulo modum tenere neſcivit, majorem hujus operis partem non Turre-crematæ, ſed Bartholomæi Spinæ, aut magis Alberti Duimii eſſe, multipliciter in *Sole veritatis* ° contenditur, prolixiorem quam res ac præſcriptum ſibi reſendi, non diſputandi genus petebat, tempuſque permiſiſſe videtur, commentarium cauſſante; cùm ſanè non minoris eſſe molis deberet opus, quo majori adhuc Turre-crematæ iſti Joannis Segobienſis *Allegationum & Aviſamentorum* operi jam patribus exhibito, ex munere ſibi impoſito reſpondere debuit.

° Veritate 195.

536. Et quidem potuit ſtatim ab edicto patrum anni MCDXXXV. Junio menſe publicato, expediri negotium colligendi ex omnibus bibliothecis & archivis monumenta omnia, quæ de hac quæſtione concepta reperirentur, & ex his omnibus, theſauroque ſuæ memoriæ, & proprio ſtudio potuit etiam Joannes Cardinalis colligere auctorum teſtimonia in hoc libro exſtantia, quæ tantùm cogitabat exhibere ſacro Concilio, poſtmodumque auditis Joannis de Monte-nigro, cujus primæ in hac re partes fuere, allegationibus, haſque ſequutis Joannis Segobienſis aliis præcedentium *Allegationum* refutatoriis ampliare opus ſuum, & ex breviore juſtum & integrum reddere, ne tertius jam diſputator in arenam deſcendens, aridior & imbecillior deceſſoribus ſuis appareret: quod eſſet veluti cauſſam adverſariis tradere. Et hoc ſanè argumento validiſſimè quatiuntur & corruunt omnia quæ pro abjudicando Turre-crematæ libro iſto pervicaciter enixeque Petrus Alva, & ſi qui ante eum alii, contenderunt. Quorum cogitata expendēda iis relinquimus, qui non ullo præjudicio, ſed veritatis amore ducti, in hunc locum inciderint.

537. *Flores ſententiarum D. Thomæ Aquinatis de auctoritate ſummi Pontificis, collectos in* eodem *Concilio Baſileenſi an. MCDXXXVII.* juſſu Juliani Cardinalis. Hanc materiam LXXIII. quæſtionibus explicuit, dedicavitque eidem Cardinali. Incipit: *Mandatis, reverendiſſime pater, & domine præſtantiſſime Juliane, digniſſime presbyter Cardinalis* &c. Editus fuit liber cum aliis argumenti ejuſdem à Remigio Florentino Dominicano Venetiis anno MDLXII. Manuſcriptuſque codex aſſervatur Romæ in Vaticana cod. 4117. & Patavii in bibliotheca S. Joannis in Viridario canonicorum Lateranenſium, Thomaſſino teſte in *Bibliotheca Patavina manuſcripta.* Julianus iſte eſt Cardinalis Cæſarinus, S. Angeli dictus, Baſileenſis Concilii coactor & præſes, qui tandem in Polonia infeliciter obiit à Turcarum copiis occiſus. Item

538. *De eadem Pontificis & generalis Concilii auctoritate, ad Baſileenſem oratorem* (ut præſefert) *reſponſionem*. quam Venetiis edidit MDLXIII. in 4°. Joannes Zilettus operâ Camilli Campegii theol. Pariſienſis, & Labbeus in Conciliorum Pariſinam editionem ſuam volum. 13. col. 1661. conjecit.

539. *Super decreto unionis Græcorum in Concilio Florentino edito apparatum*. Editum Venetiis cum decreto ipſo Eugenii anno MDLXI. in 4°. unà cum *Summa Eccleſiaſt.* MS. Patavii in bibliotheca Benedicti Silvatici, teſte Thomaſſino, & in Vaticana biblioth. cod. 4165. Exſtant quidem in actis ejuſdem Concilii, quæ per dialogum inter ſe & Ludovicum de Ponte Romanum Andreas Sanctacrucius, & ipſe Romanus, concinnavit, leguntúrque in Conciliorum editionibus, & in po-

ſtrema

ſtrema Pariſienſi volum.13. quædam Joannis Turre-crematæ facta ad Concilium verba de conſecratione in azymo ſeu in fermentato,& de forma ipſius conſecrationis [p]. Sed is,quóde agimus, *Apparatus ad decretum* Eugenii Papæ, ſeu diffinitionem, quæ incipit: *Lætentur cœli* &c. [q] factus videtur, quo ea omnia,in quibus convenerunt Græci cum Latinis,continentur. Planè ob defenſam in Concilio iſto Florentino Apoſtolicæ ſedis auctoritatem adeptus fuiſſe Joannes dicitur *univerſalis protectoris fidei* titulum: quod Ferdinandus Ughellus in ſuæ *Italiæ ſacræ Sabinenſibus Epiſcopis* refert. Alii, ut Antonius Senenſis [r], quemadmodum & Joannes Lopez Monopolitanus Epiſcopus [s] meritum ab eo hunc honorem ajunt Pii II. tempore jam Cardinali. In antiquis nos nihil de hoc legimus, niſi in iis Vincentium Bandellum computemus, quem auctorem rei Senenſis laudat.

p Col.1141. & 1131.
q Col.1165.
r In Bibl. ord. Prædic.
s Par.5.Hiſt. ord. S. Domin. lib.1.cap.19.

540. *De ſalute animæ*. Incipit: *Docet nos divina Scriptura*. Joanne Trithemio, Alphonſo Venero, Marieta, Bellarmino, Poſſevino, Antonio Senenſi teſtibus, quorum nullus de editione loquitur.

541. *Tractatum de corpore Chriſti adverſus Bohemos*. Cujus Antonius idem Senenſis, Alphonſus Ciaconius, Poſſevinus, Bellarminus,& alii, meminere.

542. *Revelationes S.Birgittæ ex commiſſione ſedis Apoſtolicæ recognovit, & apologiam* appoſuit. *Expoſitionem regulæ S. Birgittæ* (niſi de alio loquatur opere) Antonius appellat Senenſis, ex teſtimonio Hieronymi Almonazir Complutenſis collegii Dominicanorum ſtudiorum præfecti, referens aſſervari hanc in collegio eorundem Pinciano. Nos autem nihil aliud indicatum ab eo credimus, niſi *apologiam* prædictam, quæ cum iiſdem *revelationibus*,& ad eas Gonſalvi Duranti Notis, cùm Romæ tum Coloniç anno MDCXXVIII. typis edita fuit.

543. *Tractatum, in quo ponuntur impugnationes quarundam propoſitionum, quas magiſter in theologia Alphonſus de Madrigal poſuit & aſſeruit in diſputatione publica in Romana curia xxi. die Junii anno MCDXLII.* Exſtat in bibliotheca Vaticana MS.cod.5606. De quo jam diximus in Alphonſo Toſtato.

544. *Symbolum veritatum fidei Romanæ Eccleſiæ pro informatione Manichæorum* MS. inter Vaticanos libros manu exaratos cod.974. Miſerat nimirum Boſnæ Rex ad Papam viros ſui regni tres Manichæorum errore obcæcatos, ut Romæ catechizarentur. Incipit: *Beatiſſime pater*. Et in fine notatur factum Romæ in Eccleſia S.Petri die IX. Maji anno MCDLXI. Hiſtoriam narrat Ciaconius in *Vita Eugenii IV.* & hoc ejus Cardinali.

545. *Contemplationes*, quæ ſcriptæ dicuntur Romæ in monaſterio Prædicatorum de Minerva. MS.codice Vaticano 973.inter manu exaratos.

546. Preter jam dicta opera,pluribus aliis publicam Eccleſiæ rem juvâſſe credendus omnino eſt; cùm in Vaticana bibliotheca hæc alia opuſcula exſtent non dum edita:

547. *Libellus velociter compoſitus, & editus contra certos hæreticos noviter impugnantes paupertatem Chriſti, & ſuorum Apoſtolorum*. Cod. MS.974.fol.55.

548. *Libellus quidam pro defenſione Romani Imperii*. Ibidem fol.65.

549. *Libellus de nuptiis ſpiritualibus*. Ibidem fol.68.

550. *Tractatus contra Concilium Baſileenſe*. Incipit: *Noſtis, teneo, ſuperiori die pro veſtra ſapientia & humanitate, reverendiſſimi patres, ſanctiſſimam & religioſam intentionem ſanctiſſimi Domini noſtri* &c. In fine: *Explicit oratio facta per Mag.Joann.de Turre-cremata ſacri & Apoſtol.Palatii Magiſtr.anno Incar.MCDXXXIX.* Qui juſto quidem volumine viſitur inter eoſdem libros Vaticanos MSS.cod.2579.

De eodem Concilio Baſileenſi aliqua ejus ſunt in cod.4136.

551. In codice 5606. ubi eſt cenſura in Toſtati propoſitiones, leguntur & iſta:

Tractatus de decreto irritante, factus in Concilio Baſileenſi in reſponſione ad hoc quæſitum: An in omni lege licita, ad obviandum abuſibus curiæ Rom. multiplicibus poſſit per generale Concilium ſimpliciter & indiſtinctè poni decretum irritans ſummis Pontificibus. in quo reſpondet negativè.

552. *Quæſtio* quædam *facta per reverendiſs.D.Cardinalem S.Xyſti, dum erat Magiſter ſacri Palatii,coram Eugenio Papa IV.ac reverendiſs.dominis Cardinalibus, & prælatis curiæ Romanæ*. Incipit: *Noſtis, teneo, ſuperiore die* &c.ſcilicet circa propoſitionem factam in Baſileenſi Concilio, quòd *veritas de poteſtate Concilii generalis univerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſupra Papam & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe & Baſileenſe generalia Concilia eſt veritas fidei catholicæ*. In fine notatur factam fuiſſe hanc quæſtionem ſive orationem anno MCDXXXIX. Sed vereor ne idem hoc ſit opus cum paullò antè laudato *contra Concilium Baſileenſe*, in duobus codicibus Vaticanis repetitum: cùm libri initium in utroque conveniat.

553. *Reſponſio in blaſphemam & ſacrilegam invectivam ad ſanctiſſimum canonem juſtiſſimæ condemnationis damnatiſſimæ congregationis Baſileenſium*. Incipit: *Diſſimulare non poſſumus*. In fine advertitur factam eam fuiſſe per Turre-crematam Card.S.Xyſti,dum eſſet in Bituricis apud illuſtriſſimum Regem Franciç orator Eugenii Papç.

554. *Reſponſiones quædam breves triginta octo articulorum, qui dicuntur eſſe Huſſitarum, qui ſunt in regno Bohemiæ, factæ per eximium virum Mag.Fr.Joann.de Turre-cremata,qui poſtmodum fuerat Cardin.S.Xyſti*.Incipiunt:*Primus articulus*. Et in fine: *Explicitunt reprobationes xxxviii. articulorum Bohemorum, qui ſunt in Moldavia* (an in *Moravia*?) *ita perfunctoriè & celeriter factæ ad mandatum ſanctiſs.domini noſtri Eugenii Papæ IV. Florentiæ anno Domini MCDXLII.die xxviii Julii per ſtudium domini Card.S.Xyſti*.

555. *Collecta per dom.Cardin.S.Xyſti tempore ſanctiſs.Dom.Papæ Eugenii IV. ſuper petitione domini Regis Franciæ, ut aliud teſtium*

ecle-

celebraretur generale Concilium. Incipit: *Quod autem convenientiſſimum eſſet*.

556. *Tractatus factus contra aviſamentum quoddam Baſileenſium, quòd non liceat appellare à Concilio ad Papam*. Incipit: *Circa hoc aviſamentum*. Qui factus fuit in eodem Concilio Baſileenſi, ut patet ex his ad finem: *Explicit votum Mag. Joann. de Turre-cremata in materia appellationum in deputatione reformatorii ix. Martii anno Domini MCDXXXVI.*

557. *Votum* aliud ejuſdem *ſuper aviſamento, quòd Papa debeat jurare ſervare decreta de Conciliis generalibus continuandis, & electionibus confirmandis, aliàs cadat à jure Papatûs*. Incipit: *Circa aviſamentum*. Reſpondetque non licere Papam ad id ligari per Concilium. Factum eſt in eadem deputatione reſomatorii.

558. *Repetitiones quædam* ejuſdem Cardin. cùm eſſet in minoribus conſtitutus *Baſileæ ſuper quibuſdam propoſitionibus Auguſtini de Roma*. Incipit: *Reverendiſſimi reverendique patres*. In fine: *Explicit votum Mag. Joann. de Turre-cremata Apoſt. Palatii Mag. relatum coram judice fidei, & aliorum reverendiſſimorum venerendorumque patrum, & eximiorum utriuſque juris DD. multitudine copioſa in domo fratrum Minorum ita compilatum, & in ſcriptum redactum ad mandatum inclytæ nationis Italiæ anno Domini MCDXXXV. in menſe Julio.*

559. *Propoſitio* ejuſdem *cùm eſſet orator ad diætam Moguntinam ex parte S. D. N. Eugenii ſuper juſtitia translationis Concilii de Baſilea in Ferrariam, & tandem de Ferraria in Florentiam*. De congreſſu iſto Moguntino agit Odericus Raynaldus tomo 18. *Annal. Eccleſiaſt.* anno MCDXXXIX. num. 19.

560. *Tractatus* quidam *contra Madianitas & Iſmaëlitas, adverſarios & detractores illorum, qui de populo Iſraëlitico originem traxerunt*. Incipit: *Turris fortitudinis à facie inimici*. Invehitur *contra eos malos Chriſtianos & perverſos homines* (ut ille ait) *qui omni Dei timore poſtpoſito, malitiæ ſpiritu inflati, fideles Chriſti de populo Iſraëlitico deſcendentes, quantumcumque fide, virtute, ac donis divinæ gratiæ reſplendeant, odio mortali, injuriis, opprobriis damniſque moleſtant & perſequuntur*. Occaſionem huic ſcripto datam refert, dicens, *quòd libellos infamatorios ſub nomine proceſſuum ad varias orbis partes demandatos viderit, & præcipuè proceſſum legerit per quendam Spoleti factum per quoſdam impios homines domino & Regi ſuo naturali rebelles, qui capita factionum, & iniquitatum Toleti commiſſarum fuere: quem ſcilicet domino noſtro Nicolao Papæ V. per quendam eorum collegam cum certis literis ad curiam Romanam demandaretur. Qui proceſſus à nobis diligenter lectus & examinatus viſus eſt nobis ex multiplici capite impius, & iniquus, ac plurimùm ſcandaloſus, ac multis erroribus plenus*, &c. In fine ait, finitum eſſe Romæ anno MCDL. tempore Jubilæi.

561. Hoc ipſum eſt magnum opus *contra ſtatuta aliquot Eccleſiarum, quibus arcentur ab earum collegiis qui ex ſtirpe Judaïca deſcendunt*. Quod quidem *contra Iſmaëlitas noſtri temporis* inſcriptum Antonius ait Senenſis ſervari manu exaratum in collegio Prædicatorum Pinciano: optimo jure admonens non ab argumento propugnato iſto colligi debere noſtrum Joannem ex eadem ſtirpe fuiſſe ortum. Planè de hujuſmodi legibus plures doctiſſimi, iidemque nobiliſſimo & puro ſanguine viri, ſimiliter cenſuere.

562. Sed neque noſtri omnia hactenus inedita codex hic continet. Nam ut index MS. librorum præſefert, quem totum legimus, codices tamen omnes in eo notatos manibus contrectare haud potuimus, codices 1130. 2267. & ſequentes, uſque ad 2273. & codex 2566. ſequenteſque, uſque ad 2580. Turre-crematæ opera jam dicta, vel alia continent. Codex 1043. fol. 265. *Quæſtiones de præceptis juris naturalis*. Codex 4223. fol. 166. *Super tractatum de pœnitentia*: de quo monet etiam Ciaconius, qui & *De pœnitentia* addidit. Sed hę partes ſunt *poſtillæ decretorum*.

563. *De Deo & angelis quæſtiones* ſunt cum tractatu *De aqua benedicta* in bibliotheca SS. Joannis & Paulli Venetiis, Thomaſino & Spizelio teſtibus.

564. Falſum ne quid diſſimulemus, venditari exiſtimamus nobis in titulo quodam libri bibliothecæ Olivarienſis, qui *Tor-quemadæ lecturarum ſuper inſtitutiones Juſtiniani* conceptus eſt in ejus indice ſeu catalogo.

565. Hoc ipſo anno, Turre-crematæ fatali, vitâ functus eſt Alphonsus de Oropesa Hieronymianus, Guadalupenſis domûs, à patria ſic appellatus, de quo multa Joſephus Seguntinus in hiſtoria hujus ordinis lib. 3. cap. 17. 18. & ſequentibus. Præfectus fuit ſodalium Talaverę, atque inde in Bartholomęano Lupianenſi cœnobio, hoc eſt totius ordinis generalis miniſter, creatus an. MCDLVII. & famâ clarus habendarum concionũ Evangelicarum artifex. Chriſtianæ autem puritatis & unitatis zelo ardens, quam frequentes ex Judaïſmo converſorum apoſtaſiæ turbabant, indignantibus Chriſtianis veteribus adverſus noviter ad Eccleſię gremium receptos, quorum omnium ſive ſimulationem ſive inconſtantiam parem credebant, auctor Henrico Regi IV. fuiſſe dicitur imponendi hoc munus regnorum prælatis, ut unuſquiſque in ſua diœceſi in hujuſmodi gentis vivendi morem inquireret, granumque à palea ſecerneret, ut æquum fuit, ſatageret: quod Oropeſa ipſe Alphonſi Carrilli antiſtitis mandato feciſſe Toleti dicitur. Hac occaſione ſcripſit librum hujus tituli:

566. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël*, qui manſit ineditus, vixque è domeſticis bibliothecis hactenus erupit: quod Seguntinus ait lib. 3. cap. 18. Cujus libri hæc intentio eſt, ut eos reprehendat, qui non ex præcepto charitatis converſos amant, neque fraternè cum eis agunt. Cenſetque tam his, quàm veteribus Chriſtianis cum obſtinatis Hebræis conſuetudinem prohiberi, hiſque ultimis honorum participationem denegari oportere. In hoc eodem codice MS. exſtant

567. *Sermo quintæ feriæ majoris hebdomadæ. Vita S. Joannis Chryſoſtomi.*

568. *Epi-*

568. *Epistola* satis prolixa *ad Hieronymianos sodales Aragoniæ regnorum*, qua eos adhortatur ne derelinquant cœnobia sua propter declinandas ibi ortas dissensiones inter Joannem Regem & Carolum ejus filium.

569. *Sermones* docti admodum in quatuor capitulis generalibus annorum MCDLIX. MCDLXII. MCDLXV. ac MCDLXVIII. habiti, cùm ipse his singulis annis crearetur Generalis Præfectus. Sub cujus duodennalis præfecturæ finem, XXVIII. die Octobris anni MCDLXVIII. diem vidit extremum.

CAPUT XI.

Lupus Barrientus *Dominicanus. ejus honores & scripta*. Nicolaus Saguntinus. Rodericus Didaci de Quesada. Lupus de Salinas *Franciscanus*. D. Joannes Carvaxalius *Cardinalis*. Antinchus de Bages. Rodericus Sancii de Arevalo. *Honores ac munia ab eo obita, item scripta*. Fr. Thomas de Toledo *Dominicanus*. Joannes Valerus *Majoricensis*.

570. SUCCEDIT ordine temporis dicendus à nobis Lupus Barrientus (vulgò *de Barrientos*) sequenti anno MCDLXIX. è vivis ereptus. Patriâ fuit ex oppido *Medina del campo*, ex nobili & antiquo illius civium genere, Petri Guterii filius, anno præteriti sæculi MCCCLXXXII. in lucem editus. Qui quidem sodalium Dominicanorum ad S. Andreæ patrium cœnobium instituto aggregatus, religione ac literis clarus brevi tempore adeò apparuit, ut ei primo omnium sui ordinis primus theologiam docendi locus & sedes Salmantinæ academiæ jure ac meritò commendaretur. Vocatus inde in curiam, Joannis Castellæ Regis lateri à secretis conscientiæ adhæsit; atque eodem tempore Henricum principem literas docuit, & Christianæ vitæ præcepta; cujus & à confessionibus minister fuit.

571. Factus hinc Segobiensis Episcopus, & Castellæ archicancellarius, Abulensem aliquantò pòst pro Segobiensi sua permutavit Ecclesiam, ne isthic manens, Joannis Paciaci Ville-natum Marchionis à Rege aversi, atque in ea urbe cum Henrico principe, cujus gratiam obtinebat, frequenter commorantis, impotentiæ viribus subjaceret. Porrò ad Conchensem anno hujus sæculi XLV. promotus, in illud tempus incidit, quo fatalis illa in Pinciæ foro maximo recitata fuit Alvari Lunæ supplicii tragœdia; quo excusso jugo, Joannes Rex, probus aliàs & justus, ne solus, aut ne quidem tunc, subiret regendi onus, Lupum nostrum, & Gundisalvum ab Illescas Hieronymianum, Guadalupensis monasterii præfectum, *viros ea ætate* (ait Mariana lib. 22. cap. 14.) *integerrimos sanctosque*, administrandæ publicæ rei consiliarios ascivit, ac dum vixit secum habuit. Eo mortuo, cùm Henrici successoris prostitutam lenitatem ac lentitudinem minus probaret, auditus hac re super ab eo, & non exauditus, ad Ecclesiam suam proprio pastoris munere functurus rediit, ubi anno superiùs dicto MCDLXIX. Maji tricesima die obiit.

572. Res ejus, quarum compendium fecimus, latiùs enarrant Ægidius Gundisalvi Davila *Theatri Ecclesiastici* actor, in Abulensibus, Conchensibus, ac Segobiensibus Episcopis, atque in hujus ultimo dictæ *Segobiensis urbis historia* excultus historicus Didacus Colmenares, Ant. Cianca in *Historia S. Secundi Episc. Abulensis* §. 87. Joannes Monopolitanus Episc. in *Historia ordinis Prædicatorum*, tertia parte lib. 2. cap. 46. Ludovicus Ariz in *Abulensi historia*. Ab hoc habemus quædam vulgaris linguæ opuscula, quorum nunquam factus fuit publicus usus. Vidimus nos in codice quodam MS. qui olim fuit Didaci ejusdem Colmenaris, & postea domini Christophori de Zambrana & Villa-lobos Calatravensis equitis, nostri amici, qui bene instructam bonorum librorum Matriti habuit bibliothecam: quorum nos, uti prostant, epigraphas dabimus.

573. *Tratado del caso y fortuna, compilado por mandamiento del Christianissimo Rey Don Juan el segundo de Castilla y Leon, por la su humilde fechura inutil Obispo de Cuenca, su confessor, y maestro del serenissimo principe Don Henrique su amado hijo*. Incipit: *Rey Christianissimo, principe de gran poder*.

574. *Tratado del dormir y despertar, y del soñar, y de las adivinanzas, y agueros, y profecias, compilado* &c. eodem initio.

575. *Tratado del adevinar, y de sus especies, y del arte magica*. eodem principio.

Fuerunt & in bibliotheca Olivariensi item

576. *Llave de la sabiduria*. Quem tractatum, sive Latinum sive vulgarem, *historia ordinis Dominicani*, quam nuper laudavimus, eidem attribuit.

577. *Opusculum super intellectu quorundam verborum cujusdam decreti contenti in volumine decretorum, ubi Gratianus tractans de materia sacrilegii in caussa 17. & quæst. 4. ait: Sacrilegii quoque reatum incurrit qui Judæis publica officia committit*. Incipit: *Quæsitum à domino* &c. Ac desinit: *Hæc sunt, disertissime baccalauree, quæ breviter sentimus circa tui quæsiti propositionem* &c. Opusculum hoc MS. habet Matriti D. Joannes Lucas Cortesius, civis meus, toties à me laudatus: atque idem, & alii tres tractatus suprà memorati, hodie sunt antiquissimè MS. in bibliotheca, quæ Comitis Vill-umbrosani Castellæ præsidis olim fuit, nunc autem est excellentissimæ conjugis, quæ studia hæc & libros amat.

578. *Instruccion synodal*. Quam asservari in archivo Segobiensis Ecclesiæ, cui quidem facta fuit, occasione forsan Synodi in loco *Turuegano* ejusdem diœcesis anno MCDXL. celebratæ, Colmenarius refert [c]. [c] Pag. 346.

579. *Indicem* quoque *Latinum* confecisse dicitur *ad S. Antonini Florentini præsulis Summam theologicam*, in eodem tabulario Segobiensis Ecclesiæ, ut idem ait, exstantem. Quædam de Barriento diximus in Henrico Villenatum Marchione suprà.

580. In bibliothecæ regiæ S. Laurentii Sco-

Scorialis indice librorum mss. lego exstare ibi Onosandri *De re militari* librũ a NICOLAO SAGUNTINO traductũ, scriptumque MCDLXIX. Onosander Platonicus philosophus *Strategum*, sive *De optimo Imperatore atque ejus officio*, opus suum inscripsit ad Q. Varannium: cujus hujusce traductionis è Græco in Latinum meminit etiam Gesnerus in Bibliotheca, atque ejus epitomator. Prodiisse autem unà cum Vegetio ait Venetiis, & Basileæ apud Robertum Vinter. At hunc interpretem non temerè Hispanis contribuere nos, ut credatur, Saguntini, à patria Sagunto, quod in ruinis suis adhuc semivivum Valentiæ regni oppidum est, cognomen speramus efficiet.

581. Anno MCDLXX. scribebat RODERICUS DIDACI DE QUESADA, hujus oppidi civis in Bætica, commentarium quendam *De cosas acaecidas en la villa de Quesada*. quem penes se habere Martinus de Ximena Jurado in *Annalibus Ecclesiæ Giennensis* scriptum reliquit [u].

[u] Pag. 124.

582. Circa hunc ipsum ann. MCDLXX. florebat, & fato cessit, LUPUS SALINAS Franciscanus, custodiæ Burgensis, quæ in provinciam postea erecta fuit, fundator, & restitutæ disciplinæ regularis (ait Wadingus *De scriptoribus sui ordinis*) in Hispania indefessus propagator, Comitibus de Haro charissimus. Hujus ascetica quædam opuscula in vetusto magno codice bibliothecæ cœnobii S. Stephani ad Ulmos ab eo fundati prope Burgos haberi adjungit idem; nempe:

583. *Espejo de superiores religiosos.*

Escuela de la perfeccion regular, basta subir al perfecto amor de Dios.

Antidoto de los abusos y males que relaxan la vida monastica.

Conferencias espirituales sobre el Euangelio de la Transfiguracion.

Su testamento. In quo multa salutaria dogmata suis discipulis præscribit.

Item in cœnobio S. Mariæ angelorum urbis S. Dominici Calceatensis asservari ait

Reglas, y formas de vivir, constituciones, y catecismos, para el mejor govierno de los religiosos de la dicha custodia.

Jacet apud moniales Sanctę Clarę oppidi *Medina de Pomar*, in sepulchro ibi à loci domino Hari Comite constructo.

584. Annus idem sęculi sexagesimus nonus Romæ abstulit magnum purpurati senatûs lumen D. JOANNEM CARVAXALIUM Truxillensem, nobilissima hac stirpe natum; qui Rotæ priùs judex ob eximiam juris doctrinam assumptus, indeque gubernator Romanæ urbis, Placentinus in Hispania Episcopus, tandemque S. R. E. Cardinalis, ut ab Eugenio IV. anno MCDXLVI. allegeretur, jure obtinuit meritoque. In eo honorificentissimo munere usque ad extremam senectutem sic de Ecclesia atque ejus pastoribus summis, Eugenio, Nicolao, Callisto, Pio, tandemque Paullo II. meruit, legationibus haud minus triginta duabus præstanter obitis, sententiâ nunquam non doctè, eloquenter, modestè, atque integerrimè, in senatu dictâ; ut si exemplar hujus muneris posteritati commendandum esset, non ita facilè alium à Carvaxalio, vel sapientissimi censores elegissent. Profuit quoque scribens

585. *In Apostolicæ sedis defensionem.*

Legationum suarum relationem compendiariam.

Epistolas à doctis multum laudatas: quod ait Cardinalis Papiensis, qui & multas ad eum scripsit. Romæ obiit septuagenarius VI. Decembris anni MCDLXIX. jacetque ad S. Marcelli Servitarum templum, in sepulchro, quod procuravit ei Bessario Cardinalis Nicænus.

586. Vivebat hoc tempore in Aragoniæ regno ANTINCHUS DE BAGES (ANTINCH vocant) Cæsar-augustanus, legum (quæ *Observantiæ* audiunt) Aragoniæ regni glossator, cujus hoc opus in tabulario disputationis ejusdem custodiri, Michaël Molinus in *Repertorio* suo *fororum Aragoniæ* [x] notatum reliquit; at alia passim, & penes se quoddam exemplum esse, Joannes Franciscus Andreas Ustarrozius docuit in *Notitia auctorum mss.* quibus in libro suo *Coronationum* usus fuit; quo loco annotat Bagesium colligendis originalibus Cæsar-augustanæ urbi concessis privilegiis anno MCDLXXI. primùm incubuisse, illustrandisque: cujus operæ suam subjunxisse ann. MDXLIX. alium, Michaëlem Anchias vocatum, exindeque duo volumina in folio nata: Antinchum quoque ait Alphonso V. & Joanni Aragoniæ Regibus à secretis fuisse. Hunc vocatum *Joannem* (alterius Joannis filium) Antinch de Bages fuisse, & *Arborem genealogicam Aragoniæ Regum*, jussu Alphonsi Regis, cui à secretis erat, uti diximus, formâsse, ex monumentis publicis ordinum hujus regni admonuit nos Didacus Josephus Dormer ejusdem regni chronographus.

[x] Fol. 117.

587. RODERICUS SANCII DE AREVALO dicendus nobis nunc succedit, proprioque, ex ejus maximè operibus, veluti penniculo, describendus. Qui enim tot opera elucubravit aliis, multa de se in his dicere, ne à posteris ignorarentur, fas & æquum fuit. Natus is in oppido *S. Mariæ de Nieva* Segobiensis diœcesis anno hujus sæculi quarto, post decursum in Salmantina academia & juris studio decennium integrum, susceptaque doctoratûs insignia, sacerdos factus, variis inde per Hispaniam dignitatibus, nempe in Burgensi Ecclesia Treviniensis archidiaconatûs annis viginti, septemque aliis Legionensis decanatûs, duobusque Hispalensis, quod ipse de se alicubi testatum voluit, perfunctus est.

588. Planè è quodam libro ejus *De remediis schismatis*, inter Vaticanos codices MS. cujus postea meminimus, constat, archidianus Treviniensis cùm esset, & Regis secretarius, inscripsisse eum hunc librum Garsiæ Henrici Hispalensi Archiepiscopo, & paullò antè, hoc est circiter ann. MCDXL. in curia Frederici Imperatoris egisse legatum Joannis II. Regis, cujus nomine habita ad Cæsarem oratio exstat in Vaticano quodam codice manu exarato. Quemadmodum aliæ, quas eodem munere functus habuit ad Eugenium IV. de rebus Basileensibus ad Philippum

pum Mariam Mediolani Ducem, ad Carolum Franciæ Regem. Ex quibus certò constat, à tempore ipso Concilii Basileensis circa annum sæculi quadragesimum has publicas vices de rebus utique magnis eum sæpiius obiisse. Immo è Roma ipsa profectum Nicolai V. Papæ nomine apud Philippum Burgundiæ Ducem oratorem egisse. Porrò autem cùm decanus adhuc esset Hispalensis Ecclesiæ, denuò Romam se contulit ad Callistum III. &c. Pontificem recèns electum, orator obedientiæ, ut vocant, Henrici Regis, ut ait ipse partis quartæ *Historiæ Hispanicæ* cap. 36.

589. Quo in loco, ot credimus, hinc perpetuò mansit, Ovetensis brevi factus Episcopus. Nam huic sedi jam præerat quum electo in Callisti locum Pio II. quod anno contigit MCDLVIII. ejusdem Regis Henrici jussu, atque ejus regnorum nomine, *puram, debitam, ac solitam reverentiam, & obedientiam* (ut verbis ejusdem cap.40. ejusdem partis dicam) præstitit. Quocum ad inferendum ultra mare Turcis bellum auxiliares principum copias Aocone frustrà exspectâte, quum ægritudine animi oppressus diem ibi suum obiit, transfretare paratum se fuisse ibidem ait. Sub Paullo autem II. Pii successore adhuc majoribus cumulatus hoooribus io urbe usque ad obitum vixit. *Hic Pontifex* (ait) *qua die apicem summi Pontificatus assumpsit, de sacri collegii assensu, non sine singulari confidentia, me indignum sed fidum præfectum Castellanum castri S. Angeli de urbe instituit* (Hispanum Venetus!) *quippe qui jocalia, & Ecclesiæ Romanæ thesauros fidei meæ commisit. Deinde* (subjungit) *pro sua animi nobilitate & munificentissima liberalitate me ipsum indignum primò ad Zamorensem Ecclesiam, deinde ad Calagurritanam, tandem ad Palentinam transtulit.*

590. At quia stylo ejusdem hucusque usi sumus, prę̨stat cætera quoque non alio prosequi. *Verùm cùm jussu suæ sanctitatis* (ait) *pluribus annis castri S. Angeli* (hęc est arx Romanæ urbis Tyberi fluvio adjacens, & Adriani Cæsaris vetus & amplissimum sepulchrum cingens) *curam & administrationem gererem, ubi satis otii supererat; de ejusdem suæ beatitudinis mandato ad gloriam omnipotentis Dei, & Ecclesiæ Dei exaltationem & decorem, ac veritatis dilucidationem nonnulla opuscula inculto rudique eloquio edidi.* Sunt quidem ea parùm exculto stylo, ut fatetur, & quandoque barbaro, edita, sed utique doctissima, & humaniorum disciplinarum floribus sępiùs consperſa. Horum sequemur ordinem ab ipso servatum, adnectentes quænam publicata, aut quibus locis sint, & quænam inedita, & ubi remanserint. Primò ait se scripsisse magni voluminis librum.

591. *Defensorium status Ecclesiastici* dictum, *contra querulos, æmulos, & detractores prælatorum & clericorum, divisum in decem tractatus*. De cujus editione nihil novimus. Ms. vidimus in codice Vaticano 4106. ad Paullum II. Papam. Incipit: *Clamat propheta in vocem gaudii dicens: Lauda steriles, quæ non paris*, &c. volumen est vastum in folio chartaceum. In fine: *Explicit Defensorium Ecclesiæ editum & compilatum per reverendum dominum Rodericum Episcopum Zamorensem, veriusque juris doctorem summum, anno MCDLXVII. anno D. N. Paulli II. tertio*. Meminit auctor ipse hujus operis nuper à se editi in *Speculi* paullò pòst laudandi lib. 1. cap. 1.

592. *De paupertate Christi & Apostolorum: & an Christus & Apostoli mendicârunt, & quo sensu dici potest eos mendicâsse. Ibi denique* (ait) *deducitur prælatos & clericos modernos non deviare à vita Apostolica; licèt obtineant propria, possessiones & præbendas distinctas, & quamquam segregatim in domibus propriis habitent, nihilominus eos vitam communem à sanctis patribus institutam ducere censendos fore*. Iotegra dedimus auctoris verba pro libri argumento. Liber ms. exstat in codice Vaticano 969. cum hac inscriptione: *Ad sanctissimum & clementissimum patrem & dominum Paullum Papam II. libellus incipit: De paupertate Christi creatoris & dominatoris omnium, necnon Apostolorum ejus, & quæ, & qualis inopia & mendicitas fuit in eodem & Apostolis, & de concordantia constitutionum, quæ super eadem re à Nicolao III. & Joanne XXII. emanârunt*. Incipit: *Clamat Jeremias propheta*, &c. Justum est volumen in folio. Rursus prosequitur; *Jussu ejusdem Pontificis edidi*

593. *Librum, ubi agitur: An sine peccato fideles licitè fugiant à locis ubi sævit pestis*. Ms. servatur in codice Vaticano 4881. cum aliis pluribus ejusdem, & in bibliotheca Ambrosiana Mediolani. Item librum.

594. *De monarchia orbis. In quo ostenditur apud Romanum Pontificem residere veram orbis monarchiam*. Habetur in eodem Vaticano codice 4881. cum hac inscriptione: *Liber de monarchia orbis, & de origine & differentia cujusvis principatus, tam imperialis quàm regalis, & de antiquitate & justitia utriusque, duobus libris. Primus agit de prædictis, & an Imperatores moderni justè possint prætendere jurisdictionem universalem & supremam super omnes orbis nationes, & an aliqua regna & provincię, præsertim Francia & Hispania, sint de jure libera & exempta ab imperio. Ostenditur etiam veram orbis monarchiam solùm residere in Romano Pontifice. Secundus liber agit, à quo, & ex quibus caussis Reges & principes orbis recognoscentes aut non recognoscentes superiorem in terris possint puniri aut deponi. Ubi deducitur solùm ad Romanos Pontifices spectare eandem punitionem, & non ad populum, nec ad barones cujusvis regni*. Dedimus totum libri argumentum, utpote adhuc inediti, ex ipsa ejus epigraphe, quam habet in dicto codice Vaticano. Meminit verò auctor ipse, tanquam nuper à se editi, sive, ut intelligo, publicati, lib. 1. *Speculi vitæ humanæ*, de quo infrà cap. 1. Item

595. *Defensorium* hujus *libri de monarchia orbis contra quosdam detractores super eisdem & aliis utilibus materiis*. In eodem codice Vaticano 4881. Habet hunc titulum: *Clypeus, sive defensio monarchiæ, editus ab eodem Episcopo, in quo confutat nonnulla scripta per quen-*

dam æmulum conantem adstruere universalem monarchiam orbis in temporalibus residere apud Imperatores. Continet duas partes. In prima ostendit decem errores qui resultant ex eisdem scriptis æmuli. In secunda confutat decem conclusiones per eumdem æmulum adductas. Item librum

596. *Apparatus, sive commenti super bullam Cruciatæ indictæ per Papam Pium contra perfidos Turcos.* Item librum

597. *Super commento bullæ depositionis Regis Bohemiæ per sanctissimum dominum Paull. II. publicatæ.* Hic fuit Georgius Podiebratius, seu Poggiebratius, Bohemiæ Rex, Hussitarum hęresi coïnquinatus, à Paullo exauctoratus, de quo, & isto ad Bullam exauctorationis commento Odericus Raynaldus agit *Annal. Ecclesiast.* volum. 18. ad an. MCDLXVI num. 25. & 26.

598. *De remediis afflictæ Ecclesiæ militantis. In quo adhibentur remedia contra omnes persecutiones quas Ecclesia à domesticis & persecutoribus patitur.*

599. Idem videtur liber *De remediis afflictæ Ecclesiæ militantis adversus extrinsecas Turcarum persecutiones, pressuras, & angustias: & an generalis Synodus hoc tempore sit expediens & sufficiens remedium ad eas exstirpandas. Demum ostenditur, quando, & quomodo, & ex quibus caussis generalia Concilia congregari debent. Rursus deducitur Romanum Pontificem habere in terris supremam auctoritatem, fereque summum ordinarium tribunal ad levanda quęvis mala & incommoda ab Ecclesia Dei.* ad Bessarionem Cardinalem Nicænum. Incipit: *Cunctorum sapientum ista semper verissima fuit sententia*, &c. Ms. exstat Patavii sic inscriptus in bibliotheca canonicorum *S.* Joannis in Viridario, ut affirmat *Bibliothecæ Pontificiæ* auctor lib. 11. Item librum dictum

600. *Speculum vitæ humanæ, de prosperis & adversis, dulcibus & amaris omnium statuum vitæ mortalis, tam in statu spirituali quàm temporali.* Editum hoc sępè fuit ita inscriptum: *Speculum omnium statuum totius orbis terrarum, Imperatoris, Papæ, Regum, &c. sortem generis humani, ejusque commoda & incommoda repræsentans.* Nuncupavit Paullo II. Papæ, in cujus libri præfatione educationem refert suam sub matre, contentionem inter eandem cognatosque de studiorum genere, cui addicere se puer deberet, instante ea ut theologiæ, cęteris ut juris doctrinæ; quam quidem persequutum se ait, non tamen pretermissis sacrarum literarum & moralis philosophiæ exercitiis. Rursus super capiendo vitæ statu dissidentibus eadem parente & propinquis, sæcularem his, matre autem Ecclesiasticum prężferentibus; vicisse tandem subjungit melius matris votum, cujus rei occasione disceptatum inter eos fingit, & huic scripto occasionem inde quęsitam supponit.

601. Editum id sub idem tempus ferè quo scriptum fuit Romæ, an. MCDLXVIII. quam editionem Labbeus [y] laudat. De alia ibidem anni MCDLXXIII. (nisi error sit) alicubi legimus. Bisuntii certiùs prodiit MCDLXXXVIII. in 4°. deinde Argentinæ apud Jo. Prys MDVII. Parisiis MDXLII. in 8°. Brixiæ MDLXX. in 16°. Basileæ MDLXXV. in 8°. Hanoviæ apud hęredes Joannis Aubrii MDCXIII. in 4°. quâ utimur, unà cum Macabri cujusdam *Speculo morticino*, curâ Melchioris Goldasti Haïminsfeldii, in cujus epistola libri nuncupatoria habere opus ait *multa præclara & lectu dignissima, nec minùs jucunda*, unde se multum profecisse ingenuè fatetur. Argentinæque iterum apud Lazarum Zetznerum MDCXVI in 12°. & Parisiis tandem MDCLVI. in 12°.

[y] *Nova Bibl. suppl.* p.

602. Fuit sanè facta in Hispanum *Speculi* hujus translatio non multò post priores Latinas editiones, cum titulo: *Espejo de la vida humana*, edita Cæsar-augustæ MCDXCI. Suspicor tamen non ita antiquam hanc editionem fuisse, ex quo cujusdam manu exaratum novimus Hispanum hoc *Speculum* anno MCDXCVIII. quod utique post editionem frustrà fuisset. In codice Vaticano ms. 4800. exstat, cujus notam hìc dabimus. *Comenza el libro intitulado* Espejo de la vida humana, *porque en èl todos los hombres en qualquier estado ò oficio, espiritual ò temporal, fueron constituidos, miraràn los prosperidades y adversidades de qualquier arte y vida, y los preceptos y enseñanzas de bien vivir. Compuesto por el reverendo Obispo de Zamora D. Rodrigo alcayde del castillo de Sant-angelo, e Referendario del muy santo padre Paullo el segundo; y à su santidad enderezado.* Cum hoc scilicet initio: *Como yo guardando este castillo de Sant-angelo de la ciudad de Roma.*

603. Neque dicitur exscriptúmne, an ab eo, qui scribit è Latino versum; nisi hęc nota in fine posita quicquam indicet de auctore versionis existimandum. *Acabóse el excelente libro intitulado* Espejo de la vida humana, *escrito por mi el bachiller Francisco de Arce en la muy noble ciudad de Toledo. Acabóse de escrivir vispera de S. Matheo Apostol 20. de Setiembre año del nacimiento de nuestro Salvador Jesu Christo de MCDXCVIII. años.* Librum hunc aureis fragmentis pretiosisque lapidibus coagmentatum Ægidius noster Gundisalvi Davila jure ac meritò ait; quantique statim ab ejus publicatione apud Germanos fuerit Joannis Botzhemi quædam epistola an. MD. data, Hanoviensi (& forsan aliis) editioni prefixa testimonio est. Nec minus quòd ex hoc *Speculo* synopsin dedit Jodocus Lorichius theologus Monachii MDLXXXIX. in 8°. *Optimum librum* vocat Alphonsus Ciaconius in schedis. Item librum.

604. *De regno dividendo, & quando primogenitura sit licita.* In codice Vaticano 4881. sæpiùs memorato habet hanc inscriptionem: *De regno sive principatu divisibili aut indivisibili, & an possint duo vel plures simul regnare pro diviso vel indiviso. Agitur etiam de primogenitura, quando & quomodo sit justa & tolerabilis de jure divino, naturali, & humano, tam in regnis quàm in ducatibus & baroniis, & an sint securi inducentes tali primogenitura, & eâ utentes.* Item librum

605. *De pace & bello, & de necessitate & utilitate bellorum.* In eodem codice Vaticano sic inscriptus legitur: *De pace & bello, habens*

duas

duas partes. In prima inserit laudes & præconia pacis adducta per eloquentissimum virum B. Platinam. In secunda Rodericus Episcopus agit de laudibus bellorum, & eorum necessitate & utilitate, & quòd omnia quodam conflictu & bello reguntur, & respondet ad rationes Platinæ: & quando sit pax digna commendatione. Baptista (quem aliqui Bartholomæum vocant ob perpetuam forsan ejus consuetudinem B. tantùm, quod & ad codicem istum Vaticanum transiit, proprii loco nominis scribendi) Platina, celebris ille Pontificum historicus, librum edidit ad Paullum II. *De pace Italiæ componenda, & bello Turcis inferendo.* Cui tam honesti voti argumento, nescio sanè quid noster opponere habuit. Item librum

606. *De eruditione puerorum.* In eodem codice Vaticano habet hunc titulum: *De disciplina alendi & erudiendi filios, & cæteros pueros, & quibus rudimentis sint instruendi.* Item

607. *Librum confutatorium sectæ & superstitionis Machometi, & quarundam errorum in ea contentorum in quibusdam epistolis per quendam eloquentem oratorem missis perfido Turco.* Item

608. *Librum dialogi De auctoritate Rom. Pontificis, & Generalium Conciliorum, & de pœna subtrahentium obedientiam à sede Apostolica, & de remediis schismatum.* Hæc ille, subjungens: *Item alios plures tractatus & epistolas quæ siquidem opuscula eidem sanctissimo Pontifici*(Paullo II.)*pro majore parte dedicata sunt, & sub illius glorioso & æterno nomine potius, quàm studio & ingenio meo conquiescunt.* Et liber hic *De auctoritate Papæ & Concilii* Paullo eidem II. dicatus, atque ejus anno quarto, Christi verò MCDLXVII. compositus, servatur MS. Patavii in bibliotheca Benedicti Silvatici, teste Tomasino paginâ 84. Supplebimus tamen nos ejus hoc silentium, in medium adductis aliis, quorum hic non meminit: præsertim è Vaticano isto, quem frequenter laudamus, codice 4881. qui totus compactus est è Roderici operibus, estque magni voluminis in folio. Præter ea igitur quæ exinde producta hucusque sunt, continet ille sequentia hæc:

609. *Librum de castellanis & custodibus arcium & castrorum, & de ducibus exercitûs bellorum, & de eorum officio, & quales debeant esse.*

610. *Librum de quæstionibus ortholanis, introductum inter reverendum patrem Alphonsum Episcopum Burgensem ex una, & eundem Rodericum Episcopum ex altera: quis sensus corporaliter altero sit utilior & præstantior, & præsertim an visus sit excellentior & utilior auditu.* Hic est Alphonsus de Carthagena Burgensis, præsul doctissimus, de quo jam diximus. *Hortolanas* fortè vocavit ab horto aliquo, in quo habitæ, aut *orthrolanas* à matutino tempore, quasi *matutinas*, à simili Græco nomine ὄρθρος, *matutinus*.

611. *Tractatum ad quendam religiosum Carthusiensem, quando liceat religiosis curias principum sequi aut frequentare. Et quod aliquando expedit eos apud principes manere.*

612. *Tractatum De mysterio SS. Trinitatis, & an possit probari naturalibus rationibus.* ad Pium II.

613. Sed antequam ad orationes & pias alias conciones in eodem codice exstantes deveniamus, cæteros tractatus, quorum alibi notitia superest, enarrabimus; nempe

614. *Libellum ad beatiss. & clementiss. D. D. Paullum II. P. M. in quo testimoniis juris divini, naturalis, & humani, damnatur appellatio à sententia Romani Pontificis non bene, ut ajunt informati ad eundem bene informatum. Adducuntur pro utraque parte rationes juris & auctoritates, tandem veritas multis testimoniis comprobatur, declaraturque quotuplex & qualis sit superioritas quæ in appellatione requiritur.* Incipit: *Ad Romanos scripsit vas electionis*, &c. Exstat inter libros MSS. Vaticanos num. 4167. folio 177. & Patavii in bibliotheca canonicorum Lateranensium Sancti Joannis in Viridario, teste Tomasino in *Bibliotheca Patavina manuscripta*.

615. *Dialogum De remediis schismatis:* Cujus præfatio est: *Reverendissimo in Christo patri ac D. D. Garsiæ Henrici Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopo Hispalensi, serenissimi ac illustrissimi principis ac domini Joannis eadem divina providentia Castellæ & Legionis &c. Regis domini nostri inclytissimi consiliario* (Hic est Garsias Henriquez Osorio, qui ab anno MCDXLII. ad MCDXLVIII. sedem administravit Hispalensem; quo medio tempore hic liber scriptus) *vestræ dignissimæ amplitudini humilis servitor & devotus capellanus Rodericus de Arevalo archidiaconus de Trevino, ejusdem regiæ majestatis secretarius, seipsum, &c.* Et mox ait de re ipsa libri præfatus: *Nuper itaque, cùm apud serenissimum principem Romanorum Imperatorem, aliquandiu demorarer, ad cœnam me traxit invitum quidam Theodericus juris professor insignis, vir arbitratu meo doctissimus, ac multarum rerum experientissimus. Ad mensam itaque nobis inter epulas considentibus, ecce, ut puto, illius industriâ verbum prodiit de hac flebili Ecclesiæ scissura, in qua re paullo antè egeram ipse verbum coram Cæsarea majestate. Tangebat vir ille plurima in rebus ipsis sciscitans, quidnam causæ tantorum esset malorum, quidve remedium futurum videretur*, &c. Tandem concludit, rogatum se ut de remedio discurreret, confecisse hunc tractatum, qui dialogus est inter prædictum Theodericum & se Rodericum. Incipit: *Vidi nuper (Roderice charissime) coram regia majestate*, &c. De schismate agit, ut credimus, è Basileensi Concilio circa annum MCDXXXIX. nato inter Eugenium & Felicem, quo super missus fuerat forsan Rodericus noster ad Fredericum Imperatorem, Regis sui, Joannis nempe II. cujus se vocat secretarium, orator. Quid enim aliud in Germania vir Hispanus, & sacerdos, Regi suo à secretis ageret? Librum continet Vaticanus MS. codex 4002.

616. *Epistolam ad doctissimum & religiosissimum virum Fr. Alphonsum de Palenzuela, in qua agitur de multiplici onere & periculo Pontificalis dignitatis, & de ambitionis vitio, ac modernis abusibus prælatorum. Agitur etiam de* modo

modo pascendi gregem, & de pluribus ad curam præsulatus spectantibus. Incipit: *Redditę sunt mihi literę tuę, reverende in Christo pater ac mi pręceptor amantissime,* &c. Epistola est decem foliis comprehensa in Vaticano cod. MS. 3899. fol. 37.

617. *Epistolam lugubrem & mœstam, simul & consolatoriam, de infelici expugnatione insulæ Eubœę dictæ Necropontis, à perfido crucis Christi hoste Turcarum impiissimo principe & tyranno nuper inflicta, ad rever. P. ac sapientiss. dom. dom. Bessarionem Cardinalem Sabinum, & Patriarcham Constantinopolitanum.* Incipit: *Audivi, & conturbatus est venter meus* &c. Exstat in cod. Vatic. MS. 5869. fol. 94. Et hanc epistolam scripsit ille uno ante obitum anno MCDLXX. quo malum hoc expugnatæ à Machometo II. Eubœæ in Ægæo mari Venetorum insulæ orbi Christiano contigit. Vide Raynaldum tomo 19. *Annal.* hoc anno §. 12.

618. Præter theologica hæc & juridica majori ex parte opera, ut historicis accenseretur, edidit Henrici IV. Regis obsequutus præcepto, ut ille ait,

619. *Historiam Hispanam*, quatuor partibus ad eundem Henricum; ab origine rerum scilicet usque ad sua tempora, ut quod Rodericus Toletanus Episcopus (quod ipse ait) Latinis literis usque ad suam ætatem perduxerat, Rodericus alter iisdem usque ad suam absolveret. Præstans opus quidem, & amœniorum literarum, exemplorumque veteris ævi ad pręsentia facta accommodatorum mistura variegatum, lectuque jucundum; quamquam & nævos aliquot habeat, quos excusabit aliquis exscriptorum oscitantiâ. Nam & propria Gotthorum nomina fœdè corrupta ibidem legas. *Limbam* pro *Liuba*, *Leonogildum* pro *Leovigildo* (à quo credidit Leonem urbem dictam) *Hermegildum* pro *Hermenegildo*, *Gundamirum* pro *Gondemaro*, *Enrigium* pro *Ervigio*; Fulgentium etiam vocat *Tingitanum* pro *Astigitano* Episcopo. Utitur quoque barbaris verbis, utpote, *effectualiter*, *deordinare*, *servitor*, *auctoritativè*, & aliis. Hanc se vidisse manuscriptam in bibliotheca Colonæa Hispali, dum illius curam ageret, prægrandi volumine, Romæ aut saltem in Italia editam, *Chronici Hispaniæ* cap. 4. Joannes Vasæus testatur; quam & Raphaëlem Volaterranum ait citare, & Vallisoleti eam in bibliotheca Cardinalis de Mendoza à se quoque visam. Raphaëlem ergo Maffæum Volaterranum *Geographiæ* lib. 2. dum de Hispaniæ Regibus, & Henrico IV. agit, asserentem legi, novisse nostrum se castri S. Angeli custodem sub Paullo Papa.

620. Ad historiam autem ejus paullò ante respicit quum in referendis Hispanis rebus Lucam Tudensem, & Rodericos duos sequuturum se ait. *Palentinam historiam* vocavit Mariana, ab auctoris munere ita dictam, piam magis quàm elegantem appellans, lib. 23. cap. 9. magis autem vulgare est, ut ita audiat: *Alphonsi de Palentia Regum catholicorum chronographi Hispana historia*, nondum edita. Cavendum sanè est à Prudentii Sandovalis inadvertentia, qui auctorem hujus Rodericum Laïnez alicubi appellat [a]. At quidem hæc ejus prodiit historia ante annum MD. Palentiæ scilicet MCDLXX. in fol. sed renovata fuit editio Franco-furti apud Aubrios anno MDCIII. *Hispaniæ illustratæ* vol. 1. *Palentini Episcopi descriptionem Hispaniæ* in Italia editam laudat Alphonsus Ciaconius in schedis ad Bibliothecam universalem, quas possidemus, de nostro Roderico indubiè intelligendus.

[a] *Notas à los Obispos pag.* 156.

621. Sed redeundum jam est ad codicem Vaticanum 4881. MS. aliaque ibi contenta opera quæ hoc loco dabimus,

Orationem scilicet *ad sanctiss. Papam Eugenium ex parte serenissimi Regis Hispaniæ* (Joannis II.) *contra factiones Basileensium. Ubi multa de devotione Regum Hispaniæ ad Romanam Ecclesiam.* fol. 194.

622. *Orationem* aliam *ad sacrum collegium Cardinalium super eadem materia.* fol. 198.

623. *Orationem ex parte* ejusdem *Regis Hispanię ad Philippum Mariam Ducem Mediolani exhortatoriam ad pacem Italiæ, & ut purè & simpliciter adhęreret dom. Eugenio* (Papæ) *& Basileensem factionem respueret.* fol. 199.

624. *Orationem ex parte* ejusdem *Regis Hispaniæ ad sereniss. Fredericum Imperatorem exhortatoriam ad unitatem & pacem Ecclesiæ, & quòd deceat Imperatores agere pro unione ac defensione Ecclesiæ, inducens eumdem Imperatorem ad puram adhęsionem dom. Eugenii, & ad detestationem Basileensium* fol. 202.

625. *Orationem ad sereniss. Carolum Regem Franciæ ex parte ejusdem Regis Hispaniæ, de laudibus ejusdem Caroli, & gloriosæ domus Franciæ & Hispaniæ, exhortatoriam, ad tollendas omnes occasiones dissidii inter utramque regiam domum.* fol. 204.

626. *Orationem ex parte sanctiss. dom. Nicolai Papæ ad illustrissimum Ducem Burgundiæ,* (Philippum) *ubi multa de devotione & favore ejusdem principis ad incrementa fidei.* fol. 209.

627. *Orationem ad sanctiss. Papam Pium II. nomine Regis Hispanię* (Henrici IV.) *in præstatione obedientiæ, ubi congratulatur de assumptione. Exhortatur ad exstirpationem Turcorum, & multa de devotione Regum Hispaniæ ad Ecclesiam Romanam.* fol. 212.

628. *Orationem lugubrem de obitu sereniss. Regis Joannis Hispaniæ ad sereniss. Regem Carolum Franciæ, & de laudibus ejus Regis Joannis.* fol. 216.

629. *Orationem habitam ad sanctissimum dominum Callistum Papam secundum* (ita semper nominat, quem vulgus Callistum III.) *in præstatione obedientiæ, & congratulatoriam de assumptione, & multa pia opera adducit, & singularem devotionem Regum Hispaniæ ad sedem Apostolicam.* fol. 218.

630. *Orationem habitam Romæ in nativitate primogenitę serenissimi Regis Hispaniarum,* (Henrici) *& de caussis gaudendi ob eundem natalem.* Hæc est Joanna, alterius Joannæ Portugalliæ Infantis, & Castellæ Reginæ, Henrici Regis conjugis filia, quam licèt uti primogenitam & hęredem regnorum solenniter juratam, exclusit postea Elisabetha certior, quàm quòd Joanna filia esset, Henrici

soror

soror & heres. Hanc, magno errore eorum qui Hispanam Roderici exscripsere historiam, appellatam *Elisabetham* in partis 4. cap. 36. legimus.

631. *Orationem ad sanctiss. Pium II. de felici victoria, & acquisitione civitatis de Gibraltar in stricto Oceani maris sitæ, per capitaneos Regis Hispaniæ, & ibi multa de situ illius urbis, & de utilitate fidei.* fol. 225. Id contigit anno MCDLXII.

632. *Orationem ad eundem Pontificem in conventione Mantuana ex parte Regis Hispaniæ. Commendat dictum conventum pro expeditione contra Turcas. Exhortatur ad eamdem expeditionem, & pollicetur omnia auxilia ex parte ejusdem Regis. Exhortatur & ad pacem Principum Christianorum.* fol. 227.

633. Sequuntur in eodem codice sermones aliqui de rebus sacris, nempe

Sermo coram sanctissimo Nicolao Papa V. in Dominica Passionis in Quadragesima. fol. 231.

634 *Sermo coram sacro collegio Cardinalium in die S. Thomæ de Aquino.* fol. 234.

635. *Sermo coram sanctissimo domino Callisto in die Ascensionis Domini.* fol. 238.

636. *Sermo coram eodem in die Annunciationis B. Mariæ Virginis.* fol. 239.

637. *Sermo coram sanctissimo domino Pio in die sanctæ Trinitatis.* fol. 242.

638. *Sermo coram sanctissimo domino Nicolao in die Apostolorum Petri & Pauli.* fol. 244.

639. *Sermo coram sanctiss. dom. Pio in die Pentecostes.* fol. 247. In bibliotheca etiam collegii S. Benedicti Cantabrigiæ in Anglia urbis codex visitur, cui titulus: *Opuscula Roderici Episcopi Calagurritani, Castellani S. Angeli de Urbe, & epistolæ ejusdem ad quosdam doctissimos & eloquentissimos viros, & illorum ad eum.* uti scribit Thomas James in *catalogo* MSS. *librorum in bibliothecis Angliæ existentium.*

640. Ex quibus omnibus in hoc & aliis, quos memoravimus, MSS. codicibus contentis tractatibus, quæstionibus, votis, orationibus, sacrisque concionibus, manifestum redditur unum Rodericum ferè omnes, tam Joannis quàm Henrici, regias vices Romæ, & alibi, eundemque theologi, jurisconsulti, atque oratoris, statusque ministri, partes, pro datis sibi rerum agendarum occasionibus, eâdem industria & facilitate, summorumque quinque Pontificum, Eugenii, Nicolai, Callisti, Pii, atque Paulli, duorumque suorum Regum, quos laudavimus, commendatione plausuque tractâsse. Cujus rei non postremum argumentum videri debet, quòd summus ille Pontificum apex Pius II. ex Ænea Sylvio, viro eloquentissimo, & literarum ornamentis clarissimo, ad hanc sedem exaltatus, historiam suam, quam *refertissimam* vocat Rodericus, & aliqua opuscula præclarè ingentique elegantia descripta, eidem suo referendario, antequam edita forent, communicare dignatus fuerit. quod ipse refert *Historiæ Hispanæ* quartæ partis cap. 40.

641. Huic eidem, Ovetensis dum esset Episcopus, à Jacobo quodam directam *Græcarum Bruti epistolarum* in Latinum translationem, à doctissimo Ranutio (ut ait) Nicolai summi Pontificis secretario factam, continet alius codex Vaticanus numero 1043. signatus, fol. 233. Cujus dedicationis auctor miris extollit nostrum laudibus, Castellę Regis legatum & consiliarium amantissimum appellans.

642. Jacet in Hispanorum templo Romano S. Jacobi Apostoli, in sepulchro marmoreo parieti inserto, cujus inscriptio tantùm habet obiisse IV. Nonas Octobris, Pontificatûs Paulli anno septimo, hoc est, non, ut Ægidius Gundisalvi Davila existimavit, anno MCDLXXI. sed MCDLXX. Cujus quidem anni die XXIX. Septembris incepit annus Pontificatûs Paulli septimus, cujus altero mense, nempe Octobri, Rodericum obiisse necesse est, cùm sequentis anni Octobri mense Paullus jam Julii XXVIII. die in vivis esse desierit. Stephanus Garibajus lib. 17. cap. 15. Roderici nostri memorię debitum meritę laudis officium exhibet.

643. FR. THOMAS DE TOLEDO Dominicanus Castellanæ provinciæ, S. T. Mag. in literis sacris ac theologia, quæ ab schola vocatur, apprimè versatus, præter tabulas, sive indices (utilissimo id tempus labore) in S. Thomę Summam, Jacobi de Voragine, & Joannis a S. Geminiano Sermones, Nicolai Lyrani quædam opera, item Anonymi *De vitiis & virtutibus*, Innocentii Papę in psalmos pœnitentiales, Alberti Brixiensis Summam, & alia; scripsit super Quodlibeta D. Thomę, necnon *Mariale*, atque item tractatum, si diversus est, *De laudibus portæ Paradisi*, hoc est Deip. Virginis. Claruisse dicitur circa hunc annum MCDLXX. De quo consuli possunt bibliographi Dominicani.

644. Alphonsi Joannisque Aragonensium Regum consiliarius & à secretis fuisse dicitur JOANNES VALERUS Majoricensis, qui, teste Vincentio Mut in *Historiæ Balearis* tomo 2. lib. 8. cap. 6. *Rosarium* scripsit *summæ veritatis*.

CAPUT XII.

De BONIFACIO *Lusitano, auctore operis cui titulus:* Peregrina. JOANNES STEPHANUS *Valentinus*. JACOBUS PONS *Catalanus*, PETRUS DE TURRI, & FRANCISCUS ROMANUS *de eadem re scriptores. Certamen quoddam poëticum hujus sæculi.* JOANNES VILLAR *Catalanus*. PETRUS DE CIXAR, *sive* SITJAR, *Aragonensis*. MARTINUS ALPHONSUS A CORDUBA *Augustinianus*. JOANNES DE SOCARRATS *Catalanus jurisconsultus*. LUDOVICUS FONTANUS, JOANNES MARTINEZ, & LAURENTIUS COMPANIS *Mercenariorum sodales*. D. FRANCISCUS DE TOLETO. JOANNES VALENTINUS, *seu* DE VALENTIA, *Minorum fratrum sodalis*. JOANNES DE S. FACUNDO. *Ejus merita ac virtutes*. PETRUS UXAMENSIS, *atque ejus laudes & scripta*. FR. VINCENTIUS MAZUELA. LAURENTIUS *Lusitanus, monachus Cisterciensis*. GOMEZIUS JOANNES DE ZURARA. CARSIAS MENESIUS *orator*

orator celebris. ANONYMUS *poëta*. LUPUS VASQUEZ DE SERPA. PETRUS DE CANALES.

645. BONIFACIUS Lusitanus, filius Petri Garsiæ, Ulyssipponensis, qui serenissimæ dominæ Joannæ Reginæ Castellæ & Legionis auditorem sese appellat, hunc locum sortiri debet. Existimamus enim de Joanna intelligendum eum, Eduardi Portugalliæ Regis filiâ, Henricique Regis Castellæ uxore, quam verisimile est in Castellam Lusitanum Lusitanam sequutum.

646. Hunc absque dubio auctorem habet juridicum opus *Peregrina*, sive *Peregrina glossa Bonifaciana* de nomine compilatoris inscriptum; quæ veluti index est juris legum, conclusionumque ab eo, ut verbo utar barbaro, glossatarum. Vidimus id excussum cum hac ad calcem, juxta morem recentis typographiæ, nota: *Exactum absolutumque hoc præclarum atque insigne opus* Peregrinæ *mandato, operâ, & impensis Lazari de Gazanis sociorumque, impressum per nos Meinardum Ungut Alemannum & Stanislaum Polonum socios, anno Incarnationis salutiferæ MCDXCVIII. die xx. Decembris*. grandi quidem volumine. Diversus est ab eo auctor alius ejusdem ferè argumenti, certè nuncupationis operis, *Peregrinæ glossæ* etiam inscripti, Gundisalvus Episcopus Segobiensis, de quo suprà egimus.

647. Anno septuagesimo secundo sæculi scripsit JOANNES STEPHANUS Valentinus, & in urbe ipsa regni principe notarius, nuncupavitque Ferrario Torrellæ medicinæ, uti vocat, professori eximio, dictionarium quoddam & phrasiologium duarum linguarum, Valentinæ vulgaris & Latinæ, quod *librum elegantiarum* inscriptum Venetiis editum in folio vidimus operâ atque impensâ Paganini de Paganinis anno MCDLXXXIX. apud amicum nostrum D. Hippolytum Samper Montesiani ordinis sacerdotem, virum probum atque eruditum, post alia munera cappellanum regium, & Matritensis Aragoniæ coronæ nosocomii rectorem.

648. His qui artem arma tractandi, præcipueque gladio feriendi ac se tuendi docent, noti sunt, etiam hujus sæculi & ætatis homines hac eadem arte instructi, atque ejus præceptores, quę non infima est inter mathematicas, bellicisque decertationibus valdè utilis. Alter est JACOBUS (sive appellatione gentis, JAIMES) PONS Catalanus, Perpinianensis, alter PETRUS DE TURRI. Quorum quemlibet anno MCDLXXIV. de hoc argumento seorsum scripsisse, auctor est nostri temporis professor insignis, nulli verò secundus, Ludovicus Paciecus de Narvaëz Beatiensis in libro suo cui, *Engaño y desengaño de la destreza de las armas* inscripsit fol. 48.

649. Quibus adjungendus venit FRANCISCUS ROMANUS, quem Hieronymus de Carranza, alter in gente nostra hujus studii veluti Achilles, dialogo secundo libri sui *De la destreza de las armas*, nescio cujus sæculi, ejusdem doctrinę magistrum laudat.

650. Vidimus quidem hujusmet anni MCDLXXIV. apud amicum nostrum nuper laudatum D. Hippolytum Samper *poëticum certamen* olim Valentiæ habitum hoc anno sub auspiciis D. Ludovici Despuig Montesię ordinis Magistri, regnique Pro-regis *De laudibus Mariæ Deiparæ Virginis*, in quo ei qui quavis lingua cęteris melius designatorum judicum sententiâ fecisset satis argumento, serici texti, quantum sufficeret conficiendo thoraci coloris nigri, dictum fuit præmium. Cujus certaminis exitus quidem ille fuit, ut, ne ulli ex ad bravium currentibus fieret injuria, Deiparę ipsi præmium, quę disertas fecerat linguas poëtarum, decerneretur. Id quod propter antiquitatis venerationem, poëticæque artis, etiamnum rudis, hoc genus velitationem posteris commendandum prętermittere noluimus. Editio in 4°. prodiit Valentię, ut credimus.

651. JOANNES VILLAR, juris doctor, Catalanus, ut suspicari æquum est, anno MCDLXXV. edidit Barcinone vernaculam hujus linguę translationem operis *De epidemia & peste magistri Valasti Tarentini, artium medicinæque doctoris eximii*. quam vidimus. *Valescus de Taranta Monspeliensis* hic audit apud Lindanum *De scriptis medicis*, diligentem auctorem, qui tamen hoc opus *De epidemia & peste* non laudat, neque Villarium interpretem.

652. Floruisse his annis refertur inter sodales instituti redimendi captivos sub invocatione Deiparę Virginis de Mercede PETRUS DE CIXAR (SITJAR cognomine vocat Vincentius Mut mox laudandus) Aragonensis, sacrę ac civilis literaturę, necnon & amœniorum disciplinarum studiis vir ornatissimus. Qui quidem Cæsar-augustanæ domui prœerat (referentibus Alphonso Ramone [a], Marco Salmerone [b], Mercenariorum historicis, atque item Vincentio Mut in *Historiæ regni Balearis* secundo volumine lib. II. cap. 9. qui tamen Balearem patriâ fuisse eum contendit) quum familiæ suæ munus redimendi captivos ab infidelium manu & potestate libello edito defendit, quo tempore id rei non sine multorum oppositione transigeretur. Nempe à quinque tractatis in eo quæstionibus ejusdem argumenti taliter inscriptus liber prodiit:

[a] Lib. 2. Histor. Mercenar. cap. ult.
[b] *Recuerdos historicos de su orden.*

653. *Opusculum tantùm quinque*. Barcinone editum anno MCDLXXXI. Scripsit item, eandem forsan caussam agens,

654. *De potestate Papæ, & votorum commutatione in redemptionem captivorum, ingeniosas decretorum ac theologorum auctoritatibus argutissimè probatas quæstiones*. Parisiis editas anno MDVI. apud Joannem de Gourmont, uti Verderius refert in *Supplemento bibliothecæ Germanicæ*. Quod opus ei quoque attribuunt Franciscus Zamel in *Vitis SS. PP.* hujus sui ordinis, & Petrus à S. Cæcilio, *De scriptoribus* ejusdem scribens, adhuc ineditus. Quorum posterior adjungit collegisse eum, & in unum volumen conjecisse pleraque summorum Pontificum privilegia ordini suo concessa & elargita, elaruisseque Xysto IV. Pontifice Maximo (qui electus fuit v. idus Augusti MCDXXI.) anno Domini MCDLXXV.

Vi-

Videndus Bernardus de Vargas lib.2. historię ejusdem ordinis primę partis cap. 16. ad annum MCDLIX. Item scripsisse dicitur

655. *Historiam ordinis Mercenariorum* Latinam; cujus originalis scriptura in archivo domûs Barcinonensis asservatur, atque ejus exempla in Matritensi, Burgensi, & Pinciano cœnobiis. Hujus notitię nobis auctor fuit illustrissimus dominus D. Fr.Gabriel Adarzo de Santander ejusdem instituti, concionator regius magni nominis, qui presul Hydruntinus ante aliquot annos obiit, dum de sui ordinis viris illustribus commutaremus aliquando inter nos literas. Idem nobis retulit docuisse Cixarem nostrum Barcinone decretorum è cathedra, scripsisseque etiam

656. *Sermones de Dominicis & Sanctis*. Quos uno volumine characteribus adhuc rudibus Barcinone editos fuisse mihi retulit.

657. Gallum falsò hunc appellat Ludovicus Jacobus à S. Carolo *Bibliothecæ Pontificiæ* auctor, qui & ait sub Julio II. eum floruisse. At nos domesticorum fidem, nec tam mortis tempus, quod ignoratur, quàm quo maximè is floruisse dicitur, sequuti sumus. Lapius idem auctor fuit pro uno eodemque tres Rodericos laudans rerum Pontificiarum scriptores; *Rodericum* scilicet *Novotensem*, pro *Ovetensi*; *Rodericum Zamorensem*, & *Rodericum Sancium de Azeculo Episcopum Ovatensem ac deinde Palentinum*, pro *Roderico Sancio de Arevalo*. Adeò est res ardua in rebus exteris plerumque non labi.

658. Martinus Alphonsus a Corduba, natus in cognomine urbe, ut creditur, ibique inter Augustinianos sodales regularis vitę sacramento addictus, Joannis & Henrici Regum tempore integritate morum, doctrinaque perutili valdè floruit. Cùm Gallię Tolosam, & apud nos Salmanticam professor theologus nobilitâsset, haud mediocri ęqualium ejus ęvi compendio navavit sacris concionibus operam, adeò quidem totus Deo impensus, ac temporalium securus, ut nec Pacensis Ecclesiæ infulis, nec præcipuo quodam apud eos loco dignitatis & charitatis iisdem duobus Regibus olim invitatus, animi propositum, quod sibi fecerat, in paupertate, longeque à secularibus manendi, usquam mutaverit. Immo & magnatum illius temporis immensam, nullisque officiis exorabilem dominandi libidinem perosus, curiâ quoque decessit. Nulla hujus viri mentio ultra annum MCDLXXVI. habita in Augustinianis monumentis, suadet nos hæc tempora eum non excessisse, saltem Vallis-oleti decessisse constans fama est.

659. Plura scripsit, atque ea quidem à sodalibus Pincianis, ignotum quâ caussâ, pignori apud Benedictinos posita, Hieronymus Romanus in *Chronico Augustiniano* scriptum reliquit. Latina hæc scilicet:

660. *Hexaëmeron, sive in Genesis priora capita de opere sex dierum*.

661. *In divi Paulli epistolas commentaria & quæstiones*. Quod saltem opus apud laudatos sodales S. Benedicti Pincianos asservari ad Philippum II. Regem Ambrosius Morales retulit, in *Itinerario* suo, quod cum inscriptione *del santo viage* confecit, servaturque manu exaratum.

662. *Apocalypsis explanationem*.

663. *Logicam* & *philosophiam*. Vulgaris quoque linguæ hæc:

664. *Vergel de nobles doncellas*. Ad Elisabetham tunc Infantem, Henrici IV. sororem, nondum, ut credimus, regno inauguratam. Editum fuit anno MDXLII. in 4°.

665. *Alabanzas de la virginidad*. Ad Virgines Deo sacras. Quę quidem ei Alphonsus de Horosco, vir sanctitate & doctrinâ clarissimus, adtribuit opera. Romanus verò aliud pręter ista servari adhuc Pincię ad S.Benedictum acceperat; nempe

666. *De prospera y adversa fortuna*. Alvaro à Luna Comestabili, fato quodam, qui exemplum exstitit utriusque mirabile, nuncupatum, auctores de his habuimus Josephum Pamphilum *De scriptoribus Augustinianis*, Hieron. Romanum, & Alphonsum de Horosco, in historiis hujusmet ordinis, & Thomam de Herrera in ea quam scripsit *Augustinianæ domus Salmantinæ*.

667. Joannes de Socarrats Catalanus, jurisconsultus, in oppido S. Joannis de Abbatissis Vicensis diœcesis natus, civis Barcinonensis, quo tempore Ferdinandus Aragonię Infans, vivo adhuc Joanne patre, propter Elisabetham conjugem Castellę jam & Legionis ab anno LXXIV. regnis pręerat, opus juridicum dicavit ei, ita inscriptum:

668. *In feudorum consuetudines Cataloniæ Principatûs commentaria, sive in consuetudines Cataloniæ inter dominos & vasallos, ac nonnullas alias, quæ commemorationes Petri Alberti appellantur*. Quę ait absoluta à se XXIX. Octobris anni MCDLXXVI. fuisse. Prodiit liber Barcinone ex officina Joannis Guardiolæ MDLI. in folio, Lugdunique eodem anno. Petrus Albertus canonicus Barcinonensis scripsit sub Ferdinando I. Aragonis Rege. Laudantur quoque ejusdem Socarrati

669. *Additiones ad titulum de pace & tregua*.

670. Mercenariorum historię clarum his diebus hujus instituti virum celebrant Ludovicum Fontanum (de la Fuente vulgò) quē ajunt *in primam S.Paulli ad Corinthios epistolam* eleganter scripsisse, & Romæ aliquando professorem fuisse, sub Xysto IV. anno circiter MCDLXXIX. maximè florentem. Videndi Alphonsus de Roxas in *catalogo virorum sui ordinis illustrium*, & Petrus de S.Cæcilio *De ejusdem scriptoribus*.

671. Ejusdem religiosi ordinis pars fuit Joannes Martinez Catalonię civis, quem nuper laudati rerum domesticarum illustratores anno MCDLXXVIII. vixisse referunt, scripsisseque

672. *Ordinis sui historiam*. Atque item

673. *De perfectione quarti voti Mercenariorum se pretio eorum infidelibus sistendi & mancipandi, quorum apostasia prudenter timeri potest*.

674. At præcipuum quendam locum in hoc Mercenariorum albo Laurentius Com-

PANIS Valentinus habet, vitę sanctimoniâ & miraculorum etiam laude insignis. Patriâ fuit ex oppido *Puig* ejus regni prope Valentiam, ob eximiam virtutem in vicesimum ordinis sui Præfectum Generalem electus. At cùm in captivitate totis duodecim annis fuisset, pignori à se ipso pro iis quos redimere non aliter poterat, oblatus Mauris, *de captivitate* librum composuisse dicitur. Mortuus est sanctissimè in domo Podii, seu *del Puig*, quæ ei & vitæ religiosæ natalia dedit circa annum MCDLXXIX. uti idem Petrus à S.Cæcilio refert. Ad eundem tamen indigitamus Stephanum de Corbera in *Vita venerabilis matris Mariæ de Socòs*, cap. 14. qui mira de rebus ejus sanctè gestis prodit.

675. Sub Xysto Papa IV. qui ab anno MCDLXXI. usque ad MCDLXXXIV. Sedi Romanæ præfuit, D FRANCISCUS à patria DE TOLETO dictus, valdè magnę vir famę, Cauriensis Episcopus, Hispanæ genti honoris & Pontificię auctoritati compendii plurimum attulit. Exstrema è paupertate is emergens, succollatus virtutis perpetuę humeris, idem semper & bonus, doctrinę, quam in Parisiensi schola Reginę Aragonię Marię sumptibus ibi per decennium exhibitis acquisiverat, vitęque innocentiâ, plusquam opibus aut generis commendatione munitus, eò devenit pręcipuę cujusdam inter ęquales existimationis, quò paucissimi, quos ęquus (veteri verbo) amavit Jupiter, pervenere. Nam si vera dixit in orationis Romæ in ejus funere habitæ N. Rancanus auctor, quam typis editam vidimus, in deferenda Elisabethæ Infanti ab Henrico fratre Castellæ regnorum successione, opera ejus & sententia præcipuè valuit.

676. Eidem oratori fidem habentes (& quid ni gesta nuper defuncti coram sacro Cardinalium collegio recitanti?) missum novimus eum ab Henrico Rege ad Paullum II. Pontificem, qui an. hujus sęculi LXIV. Pio successerat, minimè verò novum Romanæ curiæ hospitem. Constat enim Dominici Capranicæ Cardinalis, ab Episcopatu suo Firmani dicti, atque optimis comparandi, familiæ olim adscriptum, sacramentales ejus confessiones ex munere audivisse; morientique officium supremæ ejus voluntatis exsecutioni mandandæ exhibuisse: quod quidem Ferdinandus Pulgaris in elogio ejus vulgaris linguæ affirmat.

677. Legimusque in Dominici hujus Capranicæ Cardinalis rebus à Joanne Baptista Poggio descriptis, quo auctore in eo laudando inter Martini V. Cardinales Alphonsus Ciaconius fuit usus, Franciscum archidiaconum Toletanum aliis ejus familiaribus viris utique lectissimis, in quibus Æneas Sylvius, Pius deinde II. Papa, Jacobus Amanatus, Cardinalis postea dictus Papiensis, Amicus Aquilanus, & ipse Cardinalis, Blondus quoque Foro-liviensis, fuere, nec sine elogio viri, tum bonitate tum scientia sacrarum literarum omnium illius ætatis facilè principis annumeratum. Atqui mortuus fuit Capranicensis anno MCDLVIII. Cujus si voluntatem defuncti exsequutus est, Romæ tunc esse debuit. Immo & Pulgaris testimonio post Cardinalis obitum familiæ Pontificiæ à Pio II. adscriptus, & archidiaconatu Toletanæ Ecclesiæ tunc primùm honoratus, varia legationum munera exercuit; quibus propter facundiæ atque prudentiæ dotes sapientissimo Pontifici aptus natus fuit visus. Ad Ludovicum nempe XI. Galliarum Regem, & Alphonsum Aragoniæ & Neapolis, non semel, necnon & in Bohemiam bis pro reducendis ad viam salutis ejus regni hæreticis, cui negotio totis doctrinæ theologicæ, quâ pervicacem ornaverat animum, incubuit viribus.

678. Cui quidem ad nos (si Deo placet) post exhibita hęc officia reverso, iterum in urbem veniendi ad exhibendam Paullo Papę post sexennium exaltato obedientiam commissæ ab Henrico Rege partes fuere. Xysti autem IV. tempore majores adhue honores fuit consequutus. Datarius enim Papæ creatus, homo exterus, Cauriensem quoque ab eo Episcopatum obtinuit; Hispaniæque regnorum negotia unà cum regiis vicibus apud eundem Pontificem administravit, raro ad hoc tempus exemplo, ut idem & Xysti Papæ & Henrici Regis minister esset. Genuensem & ipse legationem ejusdem Paulli pro sedandis ejus urbis tumultibus cum magna laude & successu obivit. Sacroque purpuratorum patrum collegio jamjam accensendus, quinquagesimo quinto ętatis anno Romę decessit, ad S. Jacobi Hispanorum sepultus, vir constantissimo castè, sobriè, piè, atque integrè vivendi tenore ad summam dignitatem & auctoritatem evectus.

679. Scripsisse dicitur quædam philosophicæ atque theologicæ doctrinæ opera, & in iis *Conciones*, necnon & *Theologico-juridicum contra eos qui ad dividenda & conferenda privatis factionibus regna impotenter aguntur, commentarium*, occasione, ut credimus, declarati per eos dies ab Hispanis magnatibus Alphonsi Infantis, exauctorato Henrico fratre, Castellæ Regis.

680. Nam alius non est Franciscus Toletanus (quem tamen decanum vocat Ecclesiæ istius) cujus prolixè meminit huc deveniens Alphonsus de Palentia, rerum hujus temporis scriptor, cùm vernaculâ, tum Latinâ linguâ, lib. 8. cap. 8. *Historiæ Latinæ*, quam exaratam manu habemus. *Franciscus Toletanus* (inquit) *& decanus professor sacræ Theologiæ, vir eruditissimus, singulari honestate præditus, cùm in Ecclesia Toletana resideret, ante depositionem Henrici frequenti populo in publicis concionibus suadebat, ne quid ad exemplum iniquissimi Regis, immo veriùs dissolutissimi tyranni efficeret: & præ flagrantia prædicationis audebat recensere multitudini innumerabilia Henrici delicta, abominatus populum, quòd jugum tam diuturnum, appellationemque Regis illicitam injustamque pateretur. Hic ipse congratulatus est lætitiæ publicæ tempore exaltationis Alphonsi Regis. Sed refrixit illicò percepta iniquitate propositi Marchionis* (Villenæ) *pravæque cupiditatis procerum nonnullorum, vel quoniam in civitate*

Tole-

Toletana ex industria malignantium , & aliis urbibus falsò vulgata fuerit fama , quòd persuasissent Regi Alphonso Magnates persequutionem neophytorum , insimulata corruptela & abusu cæremoniarum atque religionis . &c. Et mox. *Itaque consanguineorum factioni adhærens decanus facilè persuadetur à Calagurritano benevolente* (hic erat D. Petrus Gundisalvi à Mendoza , Toletanus postea præsul , & S. R. E. Cardinalis) *ut posthabitis antiquis prædicationibus retractaret veteres suasiones , & in scriptis caussam Henrici tueretur* , &c. Et illicò : *Igitur compendio collegit ex libro Regum* &c. Et post pauca , quibus argumentum & collectionem scripti comprehendit , *Adversus hæc* (subdit) *Episcopus Ampuriensis Fr. Antonius de Alcalà apprimè inter Hispanos eruditus , professorque theologiæ egregius , ordinis Minorum , necnon Magister Fr. Joannes Lupus , ordinis Prædicatorum,quem valdè venerabatur Comes Placentinus , valuerunt facillimè refellere conclusiones Francisci , prout in libellis eorum largiùs explicatur* . &c. Quæ quidem omnia libuit hìc inserere , quòd historia hæc lectu jucundissima lucem adhuc non viderit ; & ut memoria duorum horum præstantium theologorum , qui Francisco Toletano , & ejus Henricianę apologiæ scriptis se opposuere , dum de viris agimus doctrinâ illustribus , non desideretur.

681. Nec video quemnam alium hominem significare Joannes Eisengreinius voluerit , in *Testium veritatis catalogo* suo hæc annotans : *Franciscus de Toleto philosophus , rethor , atque theologus suæ ætatis clarissimus , & cùm in disputationibus vir magnus , tum in argumentorum ac demonstrationum probationibus argutus atque subtilis , omni doctrina consummatissimus , contra Joannem Rokizanam Bohemum Hussi discipulum de Eucharistia scripsit* . Hæc ille minus aptè ad ann. MCCCLXXXVII. cùm Rokizana non hujus , sed inferioris , cui nunc insistimus,sęculi fuerit . Meminit etiam Possevinus .

682. Hominem descripsit , ætatis sui paucissimis cessurum , eleganti calamo Ferdinandus Pulgaris , qui nec tacet more suo Judaïci sanguinis majores ejus fuisse ; in quo convenit ei Alphonsus de Palentia , ut vidimus ; quasi meritum eo tempore , non dedecus haberetur divina ope in lucem à barathro infidelitatis emergere . Quantum ab illo nunc mutata existimatio gentis nostræ! Simile aliud Lucii Marinæi elogium lib. 6. *De rebus Hispaniæ* legere est . Suumque Ægidius Gundisalvi Davila in *Cauriensis Ecclesiæ theatro* symbolum dedit .

683. Joannes Valentinus (de Valentia vulgus dixerit , nisi patrium velis agnomen credere) Minorum fratrum sodalis , à Luca Wadingo *Annalium* sui ordinis volum. 7. ad annum MCDLXXX. pag. 76. laudatur , eo quòd opus scripserit

684. *Doctrinale salutis* nuncupatum . Hujus tamen *De scriptoribus* agens non meminit .

685. Superiore anno MCDLXXIX. tertiò idus Junii vir sanctissimus evolavit ad cœlos Joannes de S. Facundo , vulgò de Sahagun , à patria , quod Castellæ veteris oppidum est , cognominatus , familiaris aliquando Alphonsi de Carthagena Burgensis Episcopi , canonicus inde hujus Ecclesiæ ; quibus & aliis beneficiis , ut nudus & pauper Dei opus ageret , concionator verè Apostolicus , renunciatis , tenui cappellaniæ cujusdam Burgensis dote contentus vixit , mira in Ecclesiastis ad unguem gerendo munere operatus . In Bartholomęanum inde collegium tunc recèns constructum admissus fuit ad cappellani , ut vocant , interioris officium . Quo post quadriennium dimisso , concionibus ferè quotidianis ad populum habendis , cui ministerio totum se inflammatum sentiebat , Salmantinæ reipublicæ sumptibus sufficienter exhibitis omnem impendit operam . Neque intermisit quicquam , postea dicto inter eremitas S. Augustini religiosæ vitæ sacramento in ejusdem urbis cœnobio ; quod quidem sanctissimè vitâ functi exuviis , honorificentissimo propriæ cappellæ sepulchro commendatis , gaudet .

686. Nihil nobis aliud quàm summa capita ex historia tanti viri decerpere animus fuit . Virtutibus enim ejus heroïcis uberibusque , & miris captis è concionum semente fructibus , patratisque supra vires naturæ operibus , duorum usque ad hunc diem sæculorum plena sunt commentaria . Incidimus jam & in id tempus , quo solennis dies canonizationis , ut vocant , sancti heroïs ab Innocentio XI. Pontifice adsignandus quotidie exspectatur [a] . Hoc enim anno , quo hęc *scribimus* , MDCLXXIX. decretum S. Congregationis Rituum ab eodem Pontifice approbatum , deveniri posse ad hunc actum , quando sanctissimo placuisset , emanavit . Neque alienum dicas ab instituto Bibliothecę nostrę scriptorem quarundam vitæ suæ *confessionum* , quas Augustini parentis exemplum sequutus post se reliquit , in actisque caussæ sanctitatis ejus laudantur , & *in Biblia marginalium notarum* , quarum eas , quæ legi potuerunt , ex auctographo ipso , quod Augustini Antolinez Compostellani pręsulis fuit , ad historiam suam *Salmantinæ Augustinianæ domus* transtulit vir diligens Thomas de Herrera ejusdem ordinis cap. 12. qui & Notas ejusdem alias *super Summam Bartolinam* (nescio autem quò respiciens) laudat . Dies ejus obitûs Junii undecima fuit , ad quam in *Martyrologio Hispano* Joannes Tamajus celebratores Sahaguntini heroïs rerum collegit .

[a] Jam inter divos relatus est ab Alexandro VIII. anno MDCXC. Card. de Aguirre.

687. Nec tantus sanctitate vir dedignabatur post se admittere hoc in loco Petrum Uxamensem , qui quantumvis à veræ doctrinæ via deerraverit , citò pedem retulit ad se reversus , Petrus de Osma hic vulgò ab urbe natali dictus , quæ *Uxama* olim audiit , Salmantini gymnasii , cùm nondum desiperet , in paucis honos & lumen fuit , magister theologus renunciatus , & sacri hujus studii primarius , & antemeridianus professor , idem & canonicus Salmantinæ hujus urbis Ecclesiæ , & Bartholomęani togatorum collegii an. MCDXLIV. receptus sodalis . Qui cùm in libro quodam *De confessione* inscripto non-

nullis erroribus se implicuisset, apud Synodum provinciæ Toletanæ, expediendi huic rei Pontificia Xysti IV. Papæ auctoritate ab Alphonso Carrillio antistite MCDLXXIX. Compluti congregatam, salubriter admonitus iis renunciavit, dogmatibusque catholicis adhęrere se in posterum velle, ex animi sententia protestatus fuit. Rem, uti facta est, cum capitum damnatorum, & abjurationis de iis factæ publici instrumenti notitia, Bartholomæus Carranza in *Summa Conciliorum* prodidit.

688. Virum autem, nisi hac macula sese fædâsset, optimis Hispaniæ doctoribus annumerandum his verbis laudat Antonius Nebrissensis: *Quanto ingenio & eruditione fuerit magister Petrus Oxomensis* (in *Apologia* inquit *earum rerum, quæ sibi objicerentur*) *nemo est qui ignoret, cum post Tostatum illum, omnium judicio apud nos fuerit, nostra ætate in omni genere doctrinæ facilè princeps. Is fuit ex portione beneficiarius in Ecclesia Salmanticensi* (non ergo canonicus, sed portionarius, contra id quod aliorum fidem sequuti diximus) *cui ex decani & capituli decreto delegata fuit provincia libros Ecclesiasticos emendandi, proposita illa mercede laboris, ut pro quinis quotidie chartis emendandis mereretur quas appellant distributiones quotidianas, tametsi rei divinæ non interesset. Est in ea Ecclesia utriusque Testamenti codex pervetustus, qui mihi sæpe fuit usui ad eam rem, de qua nunc agitur. Ab eo castigationum suarum initium Oxomensis fecit, conferens illum, opinor, ad aliquem è recentioribus libris, atque dispungens vera, & inducens falsa, distorsit à prototypo exemplari plusquã sexcentos locos, quos tibi pater clementissime* (ad Franciscum Ximenium Toletanum antistitem loquitur) *ostendi, cùm illic esset curia.*

689. Pręter hanc collatam Bibliorum recognitioni operam, scripsit Petrus noster *super sex libris Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum commentaria*, quæ grandi volumine MSS. exstant in Toletanæ sacræ ędis maximæ bibliotheca pluteo 37. num. 2. atque in lucem prodiisse Salmanticę anno MCDXCVI. in folio è Ciaconio didicimus: quæ quidem editio est in bibliotheca Hispalensis Ecclesię, quæ fuit Ferdinandi Coloni, ut sepiùs diximus.

690. Librum item *De confessione* memoratum, unde ei tota mali labes.

691. Necnon *super libros metaphysicorum*, ac denique *De comparatione deitatis, proprietatis, & personæ, disputationem seu repetitionem*. quæ fuit inter libros MSS. Antonii Augustini Tarraconensis Archiepiscopi.

692. Fr. Vincentius Mazuela, nescio cujus religiosi ordinis, vertisse dicitur è Gallica in vernaculam nostræ gentis linguam

693. *El peregrinage de la vida humana*. Tolosæ editum per Henricum Aleman ann. MCDLXXX. Auctor operis Gallici Fr. Guilielmus de Gralleville abbas Silvanectensis urbis, qui versibus composuit; at prosaïcum fecit religiosus alter anonymus, jussu serenissimæ Joannæ Siciliæ Reginæ. Hæc totidem ferè verbis D. Thomas Tamajus in *Magna collectione librorum Hispanorum*, quam vidimus MS. Vereor tamen, ne Tolosana illa editio non versionis Hispanæ, sed anonymi illius Galli, qui prosâ loqui fecit primùm auctorem, Gallicæ transformationis sit; Vicentinsque Hispanus interpres, recentior aliquis, aut non hujus sęculi.

694. Sub Alphonso V. Portugalliæ Rege, qui anno MCDLXXXI. fato functus est, Laurentius monachus monasterii *de Alcobaza* Cisterciensis ordinis floruit, cujus ignotum posteris genus, at non sanctitas morum. Hunc sexta Martii in Hagiologio suo Lusitano Georgius laudat Cardosus, adjiciens inter schedas suas reliquisse eum nonnulla opera, præcipuumque in his tractatum *De conceptione Deiparæ Virginis*.

695. Fatalem hunc laudato Alphonso Regi annum destinavimus memoriæ historici cujusdam ejus famâ celebris. Gomezius Joannis (vulgò Eanez) de Zurara hujus temporis æqualis fuit, ordinis Jesu Christi eques, ac regii Ulyssipponensis tabularii custos (*Guardamor da torre do Tombo* audit munus) qui rei sibi ab Alphonso Rege commendatæ facturus satis, Ferdinandi Lupi veteris chronographi Eduardi, hujus Alphonsi parentis, filo in manus sumpto, historiæ suorum temporum telam continuavit. Obscurum quidem in Lusitaniæ Regum chronicis habetur, cujusnam auctoris, quodque eorum sit, inde scilicet contractis tenebris, quòd absque auctoris nomine, solo Regis, cujus rebus gestis inhęrebat, ornatum titulo, unumquodque per exempla circumferretur.

696. Attamen Damianus à Goes, Emmanuelis historicus, rem hanc, quâ potuit homo diligens ac industrius, luce donavit. Ex eo & aliis Lusitaniæ scriptoribus colligimus historiam Joannis I. Regis, quæ ante aliquot annos Ulyssippone in lucem è tenebris tandem emersit, non totam Ferdinandi Lupi esse. Quandoquidem Gomezius ipse in historia sua *expugnationis Septensis in Africa urbis* paullò pòst laudanda, disertè ait Ferdinandum hucusque, hoc est ad hujus expugnationis tempus, Joannis Regis res gestas perduxisse. Neque huic affirmationi contrarium est, quod Ferdinandus ipse hujus historiæ secundæ partis capiti 149. consignaverit verba hęc, quæ pro Lusitanis Latina damus.

697. *Habuit Rex filium, cui Eduardo nomen, in urbe Visensi natum, qui post eum regnavit, ut in sequentibus audietis.* Ex quibus Goësius duo colligit, alterum, scriptum ita fuisse defuncto jam Rege Joanne, & alterum, Eduardi quoque vitam ab eodem Ferdinando conscriptam fuisse. Sed prius concedi, posterius autem negari, nec temerè, potest. Cùm neque à vero absonum sit, post Joannis obitum ejus historiæ conscribendæ dedisse adhuc operam Ferdinandum Lupi; atque id, quod de Eduardo promisit se scripturum, intra spem, quam conceperat, factamque ejus etiam partis promissionem, steterit. Certè clavus mihi trabalis est Gomezii asseveratio, Ferdinandum in Joãnis historia expugna-

tæ

tæ à Mauris Septæ urbis tempora non excessisse. Quicquid ergo abhinc ibidem legitur Gomezii esse, non dubitavit Franciscus Suarez Toscanus in *Parallelorum* suorum cap.28. & 44. laudatam Joannis Regis historiam, vel Gomezio, vel utique & Ferdinando Lupi & Gomezio Joannis, tribuens. Sed & is conscripsit specialem commentarium, ejusdem Alphonsi Regis jussu, eorum quæ post laudatam Septensem expeditionem sub primo ejus urbis præfecto D. Petro Menesio contigere: quod ut qua majori poterat diligentia conficeret, in Africam transfretare jussus fuit, ibique certiora magni hujus ducis monumenta colligere. Id circumfertur cum Lusitano, quâ linguâ scriptum est, hoc titulo: *Chronica dos feitos do Conde D. Pedro de Menefes primeiro capitaõ que foi de Septa.* nec hactenus lucem vidit.

698. Nihilominus celeberrimi ejusdem inter Lusitanos herois bello paceque gesta ante quadraginta ferè annos D. Augustinus Emmanuel Vasconzelius eques Lusitanus, vir disertus, atque infelici fato suo ad posteros clarus; eleganti quodam libello renovataque operâ describens, Gomezii commentarium, stylo quantumvis rudi, & ex temporis captu, necnon quandoque inopem, & supplementi, quòd à se procuratum ait, ne jam desideraretur, indigentem, plurimum certi ac diligentis continere ait. Sed ab confecta per Gomezium, auspiciis præceptoque Regis Alphonsi, hac historia, quæ duorum Petri atque Eduardi ejus filii Septæ præfectorum gestas res comprehendit, rectè meo judicio Goësius colligit, jam eo tempore absolutam fuisse historiam Eduardi Regis, Alphonsi parentis. Neque enim alienis ornandis virtutibus, historiaque propagandis tam sedulò Alphonsus incubuisset, nisi priùs res patris gestas literis tradi procurâsset.

699. Sed idem Goësius de Eduardi historia ita censet, Ferdinandi Lupi eam esse, cui Gomezius orationes quasdam, ut volumen parvum hoc augmento ditaret, adjecit; necnon & relationem exsequiarum Joannis Regis, quæ proprior erat historiæ ejusdem Joannis, quàm Eduardi filii. Sed & his duobus tertium subjunxit, Rodericum de Pina scilicet, qui cum iis partem habuit in absolvenda Eduardi hac historia.

700. Præter hanc, describendis Alphonsi rebus incubuit, saltem (ait Goësius) usque ad Petri Infantis obitum. Nec dubitabat, quin & expugnationem Arcillæ urbis Africanæ oræ, quæ anno MCDLXXI. contigit, idem descripserit, cùm instrumentum quoddam ejus manu sequenti MCDLXXII. roboratum ipse viderit, nec nisi aliquot post hunc annis fato functus sit.

701. Hæc omnia de Gomezio nostro à Goësio desumi opus fuit. Cui quidem etiam tributum vidimus *De Guineæ inventione*, tempore Eduardi Regis Henricique ejus fratris, cujus auspiciis hæc expeditio facta fuit, librum, quem cum aliis, qui Garsiæ Loaïsæ olim fuere, inventum, Joannes Tamajus Salazarius non nusquam laudat. Certè hic apud D. Hieronymum Mascarenas Segobiensem Episcopum, cùm in vivis esset, fuit. Neque ad alium oculos habere potuit vir cætera diligens Antonius de Leon Pinelo, quum in *epitome bibliothecæ*, indiceque hujusmet, Gomezii historiam *De las conquistas y descubrimientos de la India* manuscriptam extare ait. Neque enim nisi post plures annos Indicæ res Lusitanis Argonautis patuere.

702. Sed & opus ab his aliud *De miraculis magni Portugalliæ Comestabilis D. Nonnii Alvarez Pereira*, vernaculâ non minùs linguâ scriptum, Georgius Cardosus in Hagiologio duodecima die Maji laudatum reliquit. Hæc de Zurara.

703. Ab Alphonsi Regis historico sejungendus non est laudatissimus orator. Hic est Garsias Menesius, amplissimæ hujus familiæ ornatissima proles, qui cùm florente adhuc ætate militarem vitam egisset, ad sacram conversus, atque Eborensis Ecclesiæ præsul factus, cum classe ad Italiam ivit in Neapolitani Regis Ferdinandi auxilium adversus Turcas Hydruntum in Apulia occupantes; occasioneque opportuna interim capta, Romam ivit ad Xystum IV. Pontificem Regis sui legatus; ad quem orationem elegantissimam habuit in templo Paulli Apostoli coram purpuratorum patrum senatu, quâ eum mirum in modum, omnibusque rhetoricæ doctrinæ armis usus, bello ut hostibus Christianæ religionis inferendo, expellendisque ab Italia Turcis, auxilium ferret, exhortatus fuit.

704. Hanc pronunciâsse eum sic aptè atque acriter pro rei dignitate bene Latinam atq; elegantem fama est, ut Pomponius Lætus, celebris ejus ævi philologus & rhetor, concioni præsens, *Pater sancte* (ad Xystum dixisse feratur) *quis est iste barbarus, qui tam disertè loquitur?* Eo enim opprobrii nomine quoscumque exteros Itali vocabant, quo tempore iis auctoribus renascebantur literæ, ut olim Græci quoscumque alios qui Græci non erant. Gaspar quidem Barreiros Lusitanus, cùm in urbem, Cardinalis Henrici Portugalliæ mandato agendi gratias Paullo III. Papæ pro misso sibi Cardinalitii galeri ornamento, instructus se contulisset, hanc orationem, Romæ olim eo ipso anno quo recitata fuit, millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio aut circiter editam à Jacobo Sadoleto Cardinali eloquentissimo accepit; ac in Portugalliam reversus, unà cum *Itinere* suo vulgaris linguæ *à Pacensi urbe usque ad Mediolanum* anno MDLI. iterum edidit, cujus ad orationem eam prolocutio lectu dignissima est. Ea enim singularis à Sadoleto & aliis præstitum oratoris Lusitani facundiæ & actioni testimonium laudis continet.

705. Anonymus quidam ejusdem Alphonsi Portugalliæ Regis jussu confecit, atque ei nuncupavit, *Desprecio del mundo, en octavas Castellanas exemplificadas*. Quem librum asservari in Brigantinæ domus bibliotheca, testis est mihi Georgius Cardosus in schedis.

706. Sub eodem Rege, atque ejus dicto audiens, Lupus Vasquez de Serpa, ab oppi-

oppido iſto Trans-taganæ provinciæ forſan dictus, ex Latino in vernaculum vertit *la toma de Conſtantinopla per lo gran Turco*, ſive expugnationẽ Conſtantinopolitanæ urbis Turcarum armis factam, quam ſcribebat Monte-forti XVII. Julii MCDLX.

707. Debemus quidem nil relinquere ad argumentum pertinens, quamvis informe & indigeſtum, excitaturi alios, ut majori induſtria rem perficiant. Ludovicus Pons Icart in vulgari libro *De las grandezas de Tarragona*, cives hujus urbis ſcriptores colligens, PETRUM DE CANALES monachum Benedictinum monaſterii S. Cucuſatis (vulgò *S. Culgat de Valls*) Cataloniæ Principatûs, refert Joannis Regis Aragoniæ juſſu hiſtoriam quandam è Latino in vulgarem ſermonem, hoc eſt Caſtellanum, ut credimus, vertiſſe. nec ultrà de ea quicquam.

CAPUT XIII.

DIDACUS DE VALERA *Conchenſis*. *Ejus peregrinatio*. *Scripta*. B. AMADEUS LUSITANUS. ANONYMUS *ſcriptor libri De las virtudes*. ALPHONSUS HISPALENSIS DE CORDUBA Tabularum aſtronomicarum *auctor*. ANONYMUS *Valentinus*. FERDINANDUS CORDUBENSIS. D. JOANNES MOLES MARGARIT *Gerundenſis Epiſcopus*, *& S. R. E. Cardinalis*. PETRUS DE OPTA *auctor operis cui titulus*: Splendor fidei.

708. POSTREMAM gerebat his diebus, quos proſequimur, ætatem DIDACUS DE VALERA Conchenſis natu, animi fortitudine, prudentia, & literarum amore, atque ſcriptis frugi operibus tranſmitti ad poſteros impensè dignus. A tenera ætate videtur is curiam ſequutus, Joannis Caſtellæ Regis familiam auxiſſe, ſive Henrici principis, quum formata ei propria familia fuit, puerorum numerum; ſi quidem cum domicelli titulo (*donzel* vulgò) regiiſque literis inſtructus, ne in aulæ otio marceſceret, patriam reliquit, Europæ magnam peragraturus partem, regiarumque in ea curiarum notatu & imitatione dignum quicquid eſſet obſervaturus. Gallicanam priùs Caroli Regis ſeptimi adiit, Auſtriacam deinde Alberti Ducis ante annum hujus ſeculi ſeptimum ſupra triceſimum. Cujus aciem ſequutus, contra Bohemos bello interfuit. Viennam hinc reverſus, ad cœnamque ab Alberto cum aliis invitatus, Auſtriaco cuidam proceri de regio Caſtellæ vexillo in Alcobazæ monaſterio ſibi oſtenſo procax dictum prudenter non minus quàm fortiter repulit, quod Garibajus noſter cap. 26. libri 16. *Compendii* ſui *hiſtorialis* narrat. In cujus gratiſſimæ ſibi rei teſtimonium (idem auctor ait) certior factus, Joannes edixit Rex *Moſſen Didacum*, quod præcipui honoris titulum exprimit, exinde nominari eum debere. Alicubi & ipſe ſcriptum reliquit ſe Pragæ Bohemorum anno MCDXXXVII. eundem Albertum jam Imperatorem (in Sigiſmundi ſoceri locum hoc ipſo fuerat anno electus) Barones ritu ſolenni creantem vidiſſe.

709. In patriam reverſo, cùm annus ageret ſeculi quadrageſimus, iſque inter Hiſpanos fortiſſimus & duellis aptiſſimus reputaretur, nulli alii per Joannem licuit Regem provocationi Petri Chernei cujuſdam Burgundionum Ducis ſubditi, pro more illorum temporum ſeſe paratum offerre; atque ea occaſione Regis nomine Daciæ Reginam, Angliæ Regem, atque eundem Burgundiæ Ducem adiit, ut Stephanus Garibajus ejuſdem 16. lib. hiſtoriarum cap. 28. refert. A quo tempore nil memoriæ conſignatum feciſſe novimus, uſque ad annum quadrageſimum octavum, quo, uti legitur in vulgari *Joannis II. hiſtoria*, procurator cùm eſſet ſuæ Conchenſis urbis, unà cum aliis, ad comitia totius regni evocatus, irato Regi adverſus quoſdam illius magnates, ſeveraque omnia proponenti ut aſſenſum quomodocumque ſuffragiaque extorqueret, cæteris ſive tacentibus, ſive ſecundantibus, in faciem pari modeſtia ac virtute reſtitit; nec eo contentus, idem clementiæ pacique magis conforme votum literis ad Regem datis conſtantiſſimè, Alvari Lunæ contrarium ſuo conſilium, atque impotentem iram nihili ducens, confirmavit. Quo animi vigore Petro Srunicæ Placentiæ Comiti adeò ſe commendavit, ut ad ejus evocari domum, Petrique nepotis formandis moribus præfici meruerit.

710. Poſt hujus Petri obitum in Alvari Stunicæ, atque ejus filii Petri alterius, alumni ſui, comitatu manſiſſe videtur. Ipſe enim annotatum nonnuſquam voluit ſequutum ſe nuper laudatum Petrum eo tempore quo Thereſiam Guzmanam Joannis Alphonſi primi Ducis Aſidonenſis filiam conjugem duxit. Sed rexiſſe eum ann. MCDLXXIX. urbem Segobienſem, aliunde compertum eſt. Jam verò rerum dominis Ferdinando & Eliſabethæ, Catholicis cognominatis Regibus, pro merito ſuo commendatus, cùm chronographi & conſiliarii, tum etiam (quod in Chronici cujuſdam ſui fronte reliquit annotatum) epularum diribitoris (*maëſtre-ſala* vocant) functus fuit muneribus. Cuinam autem veteri teſtimonio credens Thomas Tamajus his addiderit cappellani etiam aliud munus, neſcire me ajo; niſi ſacris, poſt laïca officia omnia priùs dicta, initiatus, miniſterium hoc iis quoque pręſtiterit.

711. Apud Marinęum Siculum lib. 6. *De rebus Hiſpaniæ* hoc elogium habet: *Didacus quoque Valerianus & literarum & rei militaris gloriâ ſplendidus fuit, qui ſermone Hiſpano plures compoſuit hiſtorias, atque magis ingenio quàm doctrinâ fretus*. Ad ſcripta ejus opera jam accedentibus nota hęc ſunt, quæ laudemus,

712. *La Chronica de Eſpaña, abreviada por mandado de la muy poderoſa ſeñora Doña Iſabel Reyna de Caſtilla por Moſſen Diego de Valera ſu maeſtre-ſala, y de ſu conſejo*. Prodiit primùm Cęſar-auguſtæ an. MCDXCIII. ex officina Paulli Huruz Conſtantienſis, deinde Hiſpali MDXXXIV. atque iterum è

Seba-

Sebastiani de Truxillo anno MDLXVII.fol. Hanc se absolvisse auctor ait in pervigilio S. Joannis MCDLXXXI. in Portu S. Mariæ (Gaditani sinus admodum celebri nunc oppido) cùm ætatis ageret sexagesimum (alias septuagesimum) nonum. Priorem enim numerum Cæsar-augustana, posteriorem aliæ editiones præferunt. *Nunquam satis laudatum Chronicon* in Notis ad Luitprandum Thomas Tamajus vocat, cujus & Joannes Vasæus meminit in præambuli ad suum *Chronicon Hispaniæ* cap. 5. An autem distincta sit *la Cronica de los Reyes catolicos Don Fernando y Doña Isabel*, quod opus nostro attribuitur in MS. codice bibliothecæ Vill-umbrosanæ, nondum compertum habeo.

713. *Coronica de algunos Reyes de Castilla, desde el Rey D. Sancho el de Zamora*. Fuit in bibliotheca Olivariensi in fol. MS. ut ex ejus constat catalogo, ad cujus oram curiosus quidam homo, qui bibliothecam tanquam digitos notam habebat, monitos lectores voluit, hunc librum esse ipsum quem manu sua scripsit auctor Didacus de Valera, continereque historias Alphonsi VI. Urracæ Reginæ, Alphonsi VII. & successorum, usque ad Bereogariam Ferdinandi Sancti matrem inclusivè.

714. *Chronica de la antiguedad de Francia*. Ms. exstitit in eadem Olivariensi bibliotheca in folio.

715. *De los ilustres varones de España* liber quoque eidem tribuitur.

716. *Historia del Rey D. Henrique quarto* inter libros fuit, quibus ad Bæticam describendam nobilitatem Gundisalvus Argote de Molina usus fuit, ut ipse testatur.

717. *Libro de las divisas*. Hunc etiam laudat Gundisalvus Argote. Diversus, an idem, cum eo qui sequitur?

718. *Tratado de las armas*. Hunc vidimus MS. in domo Marchionis de Benamexi, nostri ex sorore nepotis, ex quo codice specimen totius operis, inediti ad hoc tempus, dare hic placuit. Nuncupatio: *Introduccion al muy alto, muy excelente, e virtuoso principe Don Alonso V. Rey de este nombre de Portugal y del Algarve, señor de Cepta y Alcacer Zaguer en el tratado de las armas, compuesto por Diego de Valera*. Quod quidem scriptum fuisse ante annum MCDLXXI. facilè cuivis persuadebit silentium, inter nova, hoc est Africana, dominia Regis, Arzillæ, ac Tingi hoc anno expugnatarum. Tribus partibus opus constat. *La primera trata de las armas necesarias, que por querella se hazen, y las costumbres de los Rietos en Francia, España, y Ingalaterra*. *La segunda de las armas voluntarias, que sin necessidad alguna se emprenden, como son las hechas por prueva de valor ò destreza, ò en defensa de alguna divisa*. *La tercera de las señales, que llaman comunmente armas, de que usan los nobles*. Huic ita inscripto, ac breviter descripto operi, subjungitur in eodem MS. codice:

719. *El ceremonial de principes, compuesto por Mossen Diego de Valera, al muy magnifico y inclyto señor D. Juan Pacheco Marques de Villena.*

720. *Tratado de la nobleza y lealtad*. Pinciæ hunc editum à Didaco Gumiel anno MDII. in 4°. vidit alicubi D. Thomas Tamajus. At in libris Comitis Olivariensis erat unà cum Ferdinandi Mexiæ *Nobiliario* sic inscriptus: *De la nobleza y cavalleria*.

721. *Libro de los linages*. Fuit in eadem bibliotheca Olivariensi.

722. Habeo apud me librum ejusdem, ac forsan eundem, hoc titulo: *Libro de las armas y blasones de muchos linages del Reyno de Castilla, y Leon, Galicia, Toledo, Andalucia* &c. Incipit impropriè satis: *Del Preste Juan de las Indias*. Deinde de Regum Hierusalem, Cypri, & aliorum initiis & insignibus: unde ad Hispanorum Regum principia & stemmata nobiliumque Hispaniæ familiarum tractanda procedit. Scripturæ genus auctori æquale, &, si credimus cuidam notæ initio affixæ, auctoris autographum.

723. *Arbol de batallas, traducido de Frances en Castellano por Mossen Diego Valera à instancia de D. Alvaro de Luna*, præsefert codex membranaceus bibliothecæ Comitis de Villa-umbrosa, in qua & alter exstat liber cum hac epigraphe: *Obras de Mossen Diego Valera, en que se contienen varios tratados historiales*. additurque: *Fue este libro de su visnieto Don Bartholome Basurto*. Ms. in folio.

724. *Historia de la casa de Zuñiga*. Alvari Placentiæ Ducis, cujus suprà meminimus, tempore, an. videlicet MCDLXXIII. hanc scriptam, & Joanni Stunicæ Alvari filio Alcaotareosis ordinis magistro dicatam, non ab alio auctore esse, quàm à Didaco Valera, eorundem procerum domestico, quem quidem tota styli & sententiarum aptè usurpatarum facie, atque ipsa admonendi libertate, propemodum reddit io *Memoriali Mirandensis Stunicarum familiæ* a historicus regius D. Josephus Pellizerius, valdè suspicatur. Hujus viri memoriæ, cùm ignoretur mortis annus, non incongruum fuit visum nobis hunc assignare, quo historiæ seu Chronici compendium, cujus suprà meminimus, absolvisse dicitur.

a Fol. 15.

725. Sequenti verò ad superos abiit sanctitate vir clarissimus, & Lusitaniæ magnus honos, Joannes Menesius de Sylva, aliàs B. AMADEUS, dictus à patria LUSITANUS. Natus hic è familiis nobilissimis, patrem habuit Arium Gomezii à Sylva præfectum (*Alcaide major* vocant) Campi majoris & Ouguellæ, matrem verò Elisabetham de Meneses, Petri Comitis de Viana filiam, Beatricis de Sylva heroïnæ sanctissimæ, sacrarum Deo sub Conceptionis Mariæ Deiparæ appellatione Virginum fundatricis, germanus frater, Eleonoram Augustam Eduardi Portugalliæ Regis filiam, Frederico Cæsari desponsatam secutus, in Italia restitit. Ibi enim sæcularium rerum pertæsus, eremitarum S. Hieronymi priùs, deinde Minorum ordini sub laïco habitu Assisii nomen dixit. In Insubriam inde vocatus à Francisco Sforcia Mediolanensium Principe, auctoritateque Pontificiâ instructus, novum Amadeorum ordinem seu congregationem instituit. Ipse enim Joan-

nis

nis nomen, cùm primùm ſęculo vale dixit, in *Amatoris*, ſeu *Amadei* commutaverat.

726. Xyſto autem IV. cui ob inſignem virtutem, Minoritæ olim, charus valdè fuerat, ad Petri ſedem exaltato, Romam venit humanè ab eo invitatus, à quo & ſacerdotalem ordinem, inſuperque ſodalibus ſuis habitandum S. Petri, quod à Monte-aureo vocant, monaſterium accepit; cui & conſcientiæ arcanorum fidem commiſit. Deſiderio tandem reviſendi Inſubricam religioſi fœtus originem, qui eo tractu & alibi jam octo ſupra viginti habitabat cœnobia, Mediolanum veniens viceſimo ſecundo Minoriticæ profeſſionis anno, atque hujus ſęculi octogeſimo ſecundo, in B. Mariæ Pacis diem clauſit extremum, claruſque ante & poſt mortem miraculis ſepultus jacet, magnaque in veneratione habetur. De cujus mira ſęculi abſtinentia, exorandique aut contemplandi Deum ferè nunquam intermiſſa occupatione, aliiſque egregiis virtutibus, apud Gonzagam & Wadingum Minoritarum chronographos multa lectu digniſſima collecta habentur. Hęc Amadeorum congregatio ſub Generali totius ordinis Pręfecto ab initio ſui uſque ad Leonis X. tempus habita, ab hincque ſub obſervantię, ut vocant, novo creato tunc miniſtro, Pio V. demum auctore in ejuſdem obſervantię corpus unà cum aliis peculiaris notæ congregationibus tranſiit. In ſeceſſu quidem S. Petri Romam (ait Gonzaga)

727. *De revelationibus & prophetiis* pulcherrimum libellum compoſuit: *Romanæ Eccleſiæ ſtatum, angelicum quemdam Pontificem, regnorum, dominiorum, atque religionis mutationem concernentibus. Quem tamen alii quidem* (proſequitur) *propriis imaginationibus conſpurcantes adeò obſcurârunt, atque in ordinem pro libito redegerunt, ut ipſorum potiùs quàm B. Amadei dicendus libellus jure optimo veniat.* Cui convenit Theophilus Raynaudus in ſuo *S. Joanne Evang.* ſect. 2. puncto 2. *Dolendum eſt* (inquit) *fluenta ſpiritus, quibus B. Amadei hortus rigatus eſt, pura ad nos non manſiſſe, ut ſincerè proditur in Minorum Chronico, notaruntque etiam Cornelius à Lapide ad cap. 1. Apocalypſis, Adamus Tannerus diſput. 5. De angelis dub. 4. & Jacobus Hautinus De angelo cuſtode cap. 1. §. 1. num. 1. Infectæ quippe ſunt B. Amadei revelationes peregrinitate doctrinæ & falſiloquiis; cujuſmodi ſunt quæ in iis nunc leguntur de quibuſdam dæmonibus fatuellis & hebetudine ingenii laborantibus; de angelis in cœlo empyreo diu ante cœlos mobiles ac terram conditos; de cœlo creato prima mundi die; de materia prima eadem die producta & inſignita nomine terræ, de Adæ corpore à tribus angelis creato. Paſſim Scoti ſententiæ ut cœleſtia oracula funduntur in iiſdem revelationibus, quales nunc habentur: ut propterea non dubitaverit vir gravis dicere, angelum B. Amadei fuiſſe Scotiſtam. Exemplo enim non novo interpolatores dum bonori ordinis velificantur, puros latices cœnoſa admiſtione inficiunt. quod hîc contigit. Ipſæ tamen revelationes, quales à B. Amadeo exaratæ erant, illimes proſtabant ac labis puræ.* Hęc Raynaudus. Hæc & alia obſervavit in his carbone notanda Cardinalis Robertus Bellarminus in ſchedis, quas è manu Hyacinthi Libelli Dominicani ex Magiſtro Sac. Palatii Pontificii Archiepiſcopi Avenionenſis creati à ſe habitas Julius Bartholoccius Ciſtercienſis, amicus noſter bono Hebraïcarum literarum natus vir, *Bibliothecæ* ſuæ *magnæ Rabbinicæ* tomo 1. pag. 241. & ſequentibus in publicum edidit.

728. In regia Laurentina domo ipſum, ut exiſtimant, ſervatur autographum; ex quo à ſe habitum quoddam exemplum poſuit in bibliotheca ſacri Montis Granatæ urbis D. Petrus de Caſtro Archiepiſcopus Granatenſis, & Hiſpalenſis, inclytæ hujus canonicorum domus auctor, ſub titulo *Apocalypſis novæ*. Aliud poſſident Salicetani, apud nos cœnobii Franciſcani ſodales, aliudque Romæ Auguſtiniani nudipedes Hiſpani Hildephonſini hoſpitii bene antiquum. De quo opere jam per manus omnium curioſorum paſſim eunte judicium abſtinere ſatius eſt, quàm ut viri præſtantiſſimi, totiuſque ordinis ſui Generalis olim Pręfecti, & aliorum priùs laudatorum, cenſuræ quicquam adjungamus. Cui Wadingus conſonat, videndus *Annalium Franciſcanorum* ſexto & ſeptimo voluminibus, & in *De ſcriptoribus*, ubi notat Henricum Willotum falsò huic tribuiſſe *Homilias de beata Virgine*, quæ Amadei Lauſanenſis ſunt; hujuſque noſtri Poſſevinum quater ſub *Amedei*, *Amatoris*, *Ameoli*, & *Amodei*, titulis meminiſſe.

729. Anonymus quidam hujus temporis dicavit Alphonſo Carrillo Archiepiſcopo Toletano librum, qui *De las virtudes* inſcriptus in ejuſdem Eccleſiæ bibliotheca ſervatur, Ægidio Gundiſalvi Davila teſte in *Segontinæ Eccleſiæ theatro*.

730. Alphonsus Hispalensis de Corduba (ſic enim audit, quin ſit alicui, quod ſciam, notum à quanam harum urbium originem aut agnomen acceperit) artium & medicinæ doctor, qui circa MCDLXXXIV. claruiſſe dicitur. Scripſit

731. *Tabulas aſtronomicas, atque in eaſdem demonſtrationum theoremata*, Eliſabethæ Reginæ dicatas. Quas quidem Venetiis unà cum Tabulis Alphonſi Regis editas fuiſſe legitur in *Epitome bibliothecæ Geſnerianæ*.

732. Anonymus alter Valentinus circa eadem hęc tempora ſcripſit *Repertorium Inquiſitorum pravitatis hæreticæ*. In quo omnia quæ ad hęreſum cognitionem, ac S. Inquiſitionis forum pertinent, continentur. Opus hoc Michaëli Alberto J. C. Valentino recognoſcendum & emendandum tradidit. Præfationem abſolvit his verbis auctor (cùm jam id dedicâſſet reverendiſſimis dominis ſacri Concilii generalis Inquiſitionis &c.) *Sed quum tibi Michaël Albert utriuſque juris clariſſimo doctori placuit videre quæ mea inſufficientia reportavit, nimis te exoro, ut ea diligenter examines &c.* In fine hæc nota legitur: *Explicit Repertorium perutile de pravitate hæreticorum & apoſtatarum, ſummâ curâ examinatum emendatumque per præſtantiſſimum virum ingenii, juris utriuſque interpretem, ac doctorem famoſum*

Mi-

Michaëlem Albert Valentinum in nobili civitate Valentina impressum à Nativitate Domini ann. MCDLXXXIV. die verò XVII. *mensis Septembris*. Quam editionem vidi in bibliotheca S. Isidori Agricolæ cœnobii Franciscanorum Hibernorum in Romana curia, quæ fuit Lucæ Wadingi.

733. Prodiit autem idem opus *correctionibus & annotationibus præstantissimorum jurisconsultorum Quintiliani Mandosii & Petri Vendrameni decoratum & auctum*, Venetiis ann. MDLXXV. in 4°. ex officina Zenari, atque iterum ex eadem an. MDLXXXVIII. in 4°. Direxit hanc Venetam editionem Simon Galasus canonicus Messanensis Joanni Baptistæ Cardinali Castaneo, tunc Rosani Archiepiscopo, & apud Rempublicam Venetam legato, qui postea Urbanus VII. Pontifex fuit. Notatque Galasus auctorem operis ignorari; constare tamen ex opere ipso notarium fuisse sanctæ Inquisitionis, deindeque Inquisitorem, & clericum conjugatum, scripsisseque post publicata Joannis Imolensis & Jasonis Maïni scripta, formatumque indicem operum abbatis per Joannem Corsetum, quos allegat. Totum insuper ait Joannis Calderini *De hæreticis* librum, ac quamplurima *De Inquisitorum Directorio*, in hanc sparsim tabulam contulisse. *Quas autem instructiones* (Galasus inquit) *quæ delitescere creduntur, ex parte tertia Directorii conjicere possumus composuisse; quoniam ibi multa ad hujusmodi instructionem pertinentia traduntur, quod prope diem è latebris in vulgus speratur exiturum*. Hæc ille de *Directorio* loquens Nicolai Eimerici, de quo nos suo loco.

734. Sub Xysto Papa IV. qui ad annum hujus sæculi octogesimum quartum Ecclesiæ clavum moderatus fuit, Romæ floruit FERDINANDUS CORDUBENSIS, à patria forsan urbe nostræ Bæticæ inclyta cognominatus, qui se subdiaconum appellans sedis Apostolicæ, scripsit in gratiam ejus curiæ *De jure medios exigendi fructus, quos vulgò annatas dicunt, & de Romani Pontificis in temporalibus auctoritate*, ad eundem Xystum Papam. Incipit: *Etsi indignos, quorum sententias refelli conveniat* &c. Sed in fine nota hæc posita fuit: *Secundam hujus operis partem* De potestate Papę in temporalibus *ob id in alterum transtulimus volumen, quòd altissima materia sit, & speciale desideret opus, & quòd principalior de mediis fructibus tractatus in majus volumen surrexerit*.

735. Manuscriptum vidimus librum Romæ in Barberina bibliotheca cod. 465. necnon & typis editum in folio absque loci temporisve annotatione in alia Sapientiæ Romanæ, quæ Ducis Urbini fuit, ab Alexandro VII. Papa in hac gymnasii Romani domo collocata. Exstat quoque in Hispalensis Ecclesiæ bibliotheca Colonæa. Miror utique hunc invisum fuisse Antonio Massæ Galesio, cultissimo atque eruditissimo jurisconsulto, qui de eodem argumento commentarium nobis reliquit. Quæstio est, *an liceat Pontifici Maximo, ejusque Cardineo collegio, Beneficiorum vacantium medios fructus exigere*.

736. Aliud ejusdem hominis, ut credimus, opus est, quod in bibliotheca Vaticana cod. MS. 3177. hunc titulum habet: *Ferdinandi Cordubensis De artificio omnis, & investigandi, & inveniendi naturâ scibilis. Ad Rever. in Christo patrem, & omnium sapientissimum, D.D. Bessarionem Episcopum Sabinensem, S. R. E. Cardinalem, & Patriarcham Constantinopolitanum, Nicænum vulgò appellatum*. Initium: *Quos vides inter scholasticos & præstanti ingenio viros, vel sustulisse penitùs, vel in dubium revocâsse, sit ne artificium, quo omne naturâ scibile in singulis disciplinis, & investigari, & inveniri possit, eos constat rerum origines nescisse videri*. Et mox: *Itaque hæc ars nobis subtiliter & artificiosissimè investiganda est, & tuo jussu, & mea promissione debita. Nam de duabus philosophiis, idest Platonis & Aristotelis, utra alteri præstet, differentem me, subitò è cursu suo revocavit voluntas tua; quippe qui jussisti intermittendum esse opus, & in artificium omnis investigandi & inveniendi scibilis calamum esse referendum. Nam quod ad comparationem cum Aristotele Platonis attinet, ad multam partem ejus operis tractationem perduxeram*.

737. In processu prologi damnat, quasi ineptiis plenam, & fructu, quam promittit, vacuam, Raymundi *Artem*, refertque se ipsum ad tractatum *De discretione spirituum à se factum*. De Raymundo ita censet: *Unde facilè conjicere potes hunc laïcum merè fuisse, & omnium literarum expertem; sed per humorem melancholicum elevatum habuisse ingenium; quo, ubi fundamentis careas eruditionis atque doctrinæ, & phantastico ingenio conjungas, nihil periculosius esse possit, ut in extremos, & fidei orthodoxæ adversos, labaris errores*. Omnia hæc non prætermittere opus fuit, quo de aliis ejus operibus hoc ab ipso oblatum specimen daremus, nec judicium ejus de Raymundo Lullo, atque illius *Arte* factum ignoraretur. Exemplum hujus *Artificii* è Vaticano extractum codice penes nos habemus.

738. Item in Vaticano cod. MS. 5739. alius ejusdem commentarius *De Pontificii pallii mysterio* conservatur, *& an pro eo aliquid temporale absque simoniæ labe exigi possit. Ad reverendum in Christo patrem & dominum dominum Franciscum Piccolomineum S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Eustachii, Senensem vulgò appellatum*. Incipit: *Pallii, quo in argumentum supremi fastigii Pontificiæ dignitatis amiciri solitos constat novi Testamenti Pontifices maximos, tanta majestas est, ut inter sacratas vestes nihil vel concipi sacratius possit*. Justæ molis opus est, vereque luce dignum.

739. Idem hic Ferdinandus ad opus Alberti Magni *De animalibus* pręfationem formavit, quâcum editus fuit commentarius hic Romæ anno MCDLXXVIII. in folio, quem & ipsi vidimus in Vaticana bibliotheca, pręfixo catalogo nominum ipsorum animalium, quod in pręfatione facturum in se receperat, Græcè & Arabicè redditorum. In hac etiam editione vocat se Xysti IV. sanctęque sedis Apostolicæ subdiaconum, artiumque ac theologiæ magistrum. Jacet Romę noster Ferdinandus in Ecclesia S. Ja-

cobi

cobi nationis Hispanę ad lęvam portę majoris templi. Hunc eundem esse cum illo Ferdinando Cordubensi, quem in *Bibliothecæ* altera parte Abrahami Bzovii verbis laudavimus, affirmantibus inficias non ibimus.

740. D. JOANNES MOLES MARGARIT, Gerundensis Episcopus, S.R.E. Cardinalis, memorandus hoc loco venit, aliàs dictus JOANNES GERUNDENSIS, Chronici cujusdam Hispanię scriptor. Gerundę in Catalonia hic natus ex familia pręclara, quod Joannes Rex Aragonię II. expressit quodam in privilegio, quo huic & Bernardo Margarit ejus germano fratri, ob egregia utriusque de se merita concessit, ut supra suis propriarum familiarum insignibus, Aragonię, Navarrę, atque Sicilię regnorum insignia in parmis, seu scutis, & quomodocumque, portare possent. Instrumentum hujus rei publicum anno MCDLXV. confectum, & ex archivo Barcinonensis urbis solenniter habitum, in *Historia Romanorum Pontificum* Ciaconii & aliorum, ubi de Xysti IV. Cardinalibus sermo est, legitur.

741. Sub Nicolao V. Papa Romam venit, ab eoque Cameræ, ut vocant, clericus institutus, eo decedente, Joanni Regi Navarræ adhęsisse dicitur, necnon Alphonso Neapolis & Aragoniæ ejus fratri, cujus nomine sub Pio II. Papa Mantuano Concilio interfuit. Postea ad Xystum IV. à Ferdinando Castellæ legatus meruit ad sacram assumi purpuratorum patrum dignitatem. Legatus fuit Campaniæ & maritimæ, quæ hodie legatio per gubernatorem non Cardinalem gentur, obtinuitque in Hispania Oscensis, & in Sicilia Pactensis Ecclesiarum administrationem, retento, ut credimus, titulo Gerundensis. Præfuit quoque, ante Gerundensem istam, Elnensi Ecclesiæ annis octo, quod idem, dum de Ruscilionis terra in Chronico, de quo jam diximus, ageret, lib. 1. refert. Mortuus fuit anno MCDLXXXIV. octogenarius Romæ calculo, & in templo S. Marię de Populo juxta portam Flaminiam sepultus. Cænotaphium, inscriptione quadam laudes & munera Gerundensis continens (propinqui alicujus ferè post sesqui-sæculum curâ & operâ) Neapoli in S. Spiritus Ecclesia marmore cælatâ hodie legitur, hæc scilicet:

JOANNI MOLES
S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali,
Gerundæ in Iberia illustri genere orto,
eloquentiâ, doctrinâ, ac pietate insigni,
discordiis inter summum Pontificem Nicolaum V.
& Alphonsum Regem I. sua solertia sedatis,
Regum Aragoniæ & Castellæ ad Pontifices Max.
Pium II. ac Xystum IV. aliosque principes,
& Reipub. ad eorum bella pacanda oratori,
atque Italiæ pacis compositori.
Julius Molès

Ne tanti viri suæ gentis post annos CXXV.
memoriæ periret P. MDCVII.
Romæ lucem amisit Nonis Novembris
anno MCDLXXXIV.

Mansit etenim Molesia hæc familia in regno Neapolitano, à Francisco Molès, Cardinalis Joannis ex aliquo latere nepote, ibidem propagata; cujus filius Julius hic exstitit; atque ejus & cæterorum, qui frequentet reipublicæ gerendæ admoti sunt, & gravissima gesserunt munera, in *Additionibus ad Bibliothecam Neapolitanam* honorifica mentio fit, sub hujusce *Julii Molès* nomine paginâ 140.

Scripsit noster, ut ad perennatura magis monumenta jam veniamus,

742. *Paralipomenôn Hispaniæ libros decem.* Nam Græca hæc operis inscriptio, ad exemplum sacrorum Bibliorum cujusdam portionis, auctoris est; is licèt *Obliteratorum Hispaniæ* titulo in nuncupatoria ad catholicos Reges epistola non semel usus sit, initium à descriptione adventuque orientalium gentium in Hispaniam sumitur. Liber autem decimus, qui ad Theodosii Magni tempora, Gotthorumque in Hispaniam ingressum extendere narrata debuit, imperfectus mansit. Motum se ad scribendum ait, quòd vidisset tam grandia clarissimaque Hispaniæ gesta nusquam, vel satis aridè, tradita fuisse à quatuor gentis historicis, quorum tres *laudabiles*, Trogum à Justino abbreviatum, Paullum Orosium, & Isidorum Hispalensem; quartum verò Rodericum Archiepiscopum Toletanum *tolerabilem* appellat. Ab his si abieris, cæteros ait ignorantium catervam, somnia contexuisse.

743. Ac verè quidem plurima is ad Hispaniæ res pertinentia ex antiquorum monumentis, quos quatuor illi prætermiserunt, in medium protulit, alioqui solidè laudandus, nisi errores non tolerandos ex non perfectâ antiquitatis cognitione, & ignoratione veteris geographię, aut eum nova idoneæ collationis admiscuisset. Nam ecce in præfatione ipsa, Isidori Chronicon ab Isidoro & Sulpicio continuatum prodit, non alium intelligens à Severo (nullus enim hujus nominis fuit, ad quem respicere potuerit historicum) qui tamen duobus ante Isidorum sæculis in vivis esse desiit. Nec sine arrogantiæ quadam nota, eorum, quibus usum se fuisse ait, antiquorum

rum historicorum & geographorum nomina in fine ejusdem præfationis cumulavit; cùm eorum major pars non solùm ejusce Gerundensis ætate, sed diu antè deperdita, quædam tantùm præsegmina, veluti è naufragio tabulas, in aliorum scriptis conservaverint.

744. Sequutum quippe se ait *Hipparcum*, *Eudorum* (*Eudoxum* potiùs) *Eratosthenem*, *Hippiam*, *Sebosum*, *Bionem*, *Xenophontem*, *Betonem* (*Bathonem Sinopensem* fortè) *Themaum* (immo *Timæum* Siculum) *Dionysium*, *& totius artis splendorem & constantem artificem Claudium Ptolemæum*, *Plinium insuper*, *Pomponium Melam*, *Polybium*, *Artemidorum*, *Posidonium*, *ac Strabonem Cretensem* (potiùs *Amasenum*) *Diodorum*, *Titum Livium*, *Trogum Pompejum*, *aliosque plurimos*. Cùm planè laudatis tantùm, quos videre potuit, Xenophonte, Dionysio (si Afer est) Ptolemæo, Polybio, Strabone, Diodoro, Græcis, sive historicis sive geographis, atque itidem Plinio, Pomponio Mela, Tito Livio, Trogo Pompejo per Justinum abbreviato, contentus esse debuisset.

745. Inspersum quoque opus totum est quam pluribus parum aptè ac verè dictis, dum antiquitatem omnem exhaurire voluisse videtur. Nam in descriptione Hispaniæ veteris partium, Lusitaniam inter Bætim Tagumque collocat, cùm Lusitaniæ ad meridiem Anas amnis limes fuerit; Oretanorum, qui mediterranei populi sunt, Orantiam, sive Oriolam urbem (*Origuela* nunc) paucis à mari leucis distantam, caput constituit. Deinde quamplura populorum, veluti antiqua, memorat vocabula, quorum (si Deo placet) vel in geographiæ, aut rerum olim gestarum scriptoribus, vel in lapidibus inscriptis, aliisve antiquæ rei monumentis, non ulla memoria superest. Nec minùs in designanda Pompejanorum reliquiis fatali ad interioris maris oram *Munda* urbe à vero abit, quam in Portugallia ad Oceanum & Mondegi fluminis ripam exstitisse credit. *Ascapam* esse hodiernum *Caspe*; Numantiam Ibero fluvio allui, atque eam suo jam tempore Cæsaraugustam appellari Melam dixisse; hodiernam urbem *Leon*, non à *Legione* Romani temporis, sed ab *Eleona* Libyæ provincia; *Numantiam*que à *Numidia* ejusdem Libyæ nomen accepisse; *Astures* coloniam fuisse Asturum Libyæ gentis secundum Ptolemæū, qui *Astacurum*, non *Asturum*, in ea plaga meminit. Cantabrorum hodiernam linguam à Latina non admodum distare; Eram Cæsaris viginti sex tantùm annis Incarnationis Christi annum antecedere; aliaque plura passim hujus commatis, nemo eruditiorum admittet. Planè in rebus Valentinus nihil veritati consonum ab eo dictum, notavit in *Historię Valentinæ* lib. 1. cap. 21. num. 8. Gaspar Escolanus.

746. Interim ex hujus operis lib. 3. ubi de Galatis seu Gallæcis loquitur, perspicuum est, auctorem anno MCDLXXVII. in comitatu Ferdinandi Castellæ Regis Biscajam venisse, ubi oculatus testis quædam de illius populi moribus reticenda potiùs quàm posteritati communicanda literis consignata reliquit. Hanc quidem historiam, tanquam ignoti adhuc sibi auctoris, primus edidit Xanthus, seu Sancius Nebrissensis, Antonii grammatici filius, unà cum Roderici Toletani alia, Alphonsi Carthagenæ *Anacephalæôsi*, Antoniique parentis, tum *catholicorum Regum*, tum *Navarrensis belli historiis*, Granatæ anno MDXLV. in folio, tersiorem stylo hac Rodericianâ, neque, ut illam, Gothicum sonantem, jure existimans. Andreas Schotus postea in collectione Latinorum, qui Hispaniæ res scriptis suis illustraverunt, auctorum, Joannem Margarinum, cujus cognomentum hactenus ignorabatur, natalibus suis, uti ait, à se restitutum, iterum edidit. Ejusdem Gerundensis Episcopi est

747. *Epistola*, *seu libellus De educatione Ferdinandi Aragoniæ principis*. Eidem nuncupata, unà cum præfatione *ad illius præceptores seu magistros*. Incipit: *Siquidem principem, dive Cæsar, moribus atque præstantiâ verè institutum esse convenit*, &c. Absolviturque: *Vale Aragonensium exspectatio, ex urbe Gerunda*. Atque in hoc libello, ne de auctore dubitetur, refert se ad historiam suprà dictam his verbis: *Ut alio volumine Hispaniæ antiquitates, antecessorumque tuorum gesta renovare, quæ cæteri omnes scriptores Hispaniæ omiserunt* (significata intelligis *Paraleipomena*) *opus sum usque ad medium persequutus*. Ms. vidimus in codice qui fuit D. Garzerani Albanelli præsulis Granatensis, ac nunc est penes Thomam de Leone Jesuitam, virum doctissimum æquè ac nobis amicissimum, in eadem Granata urbe.

748. Alphonso Carrillo antistiti Toletano, qui anno MCDLXXXII. obiit, PETRUS quidem DE OPTA (an DE HUETE, ab ea urbe dictus?) baccalaurei contentus nomine, & artium professoris, nuncupavit opus quoddam, *Splendor Fidei* inscriptum; quòd asservari apud Benedictinos Pincianos scriptum reliquit in *Sacra* sua *expeditione* toties à nobis laudata, & adhuc inedita, magnus vir Ambrosius Morales.

CAPUT XIV.

MICHAEL VERINUS *poëta*. JOANNES VELASCUS *Lusitanus orator*. PETRUS DAGUI *Catalanus*. MARTINUS DE ALMODOVAR *Calatravensis eques*. DIDACUS DE TORRES *astrologiæ professor Salmanticensis*. FERDINANDUS DIEZ PROVERE *Valentinus*. JOANNES ANDREAS *ex Machometano Christianus*. LUDOVICUS DE ESCOBAR *Minorita*. DIDACUS RODRIGUEZ DE ALMELA. *Ejus scripta*. FERDINANDUS PEREZIUS GUZMANUS. PETRUS DIAZ DE LA COSTANA. PETRUS GARZIA *Setabitanus*. BERNARDUS DE BOIL *eremita*. JOANNES (aliàs LUDOVICUS) TEIXEIRA *Lusitanus*. ALPHONSUS DE LA TORRE. JOANNES PEREZ DE VALENTIA *Augustinianus*. PAULLUS HEREDIA *ex Hebræo Christianus*. JOANNES LOPEZ DE SALAMANCA, *&* JOANNES LOPEZ *Salmantinus*, *forsan unicus auctor*. LUPUS GARZIA DE SALAZAR *Cantaber*. ALPHONSUS DE PA-

LENTIA. *Ejus scripta.* ALPHONSUS DIDACI A MONTALVO *Jurisconsultus*. HIERONYMUS CUCALON, & FRANCISCUS A VELASCO.

749. CIRCA hoc tempus, nempe anno MCDLXXXIII. decessit Florentiæ MICHAEL VERINUS poëta, qui cùm optimis moribus adolescens disticha *De puerorum moribus* scripsisset, in morbum incidens, quem usu Veneris expellere potuit, *ne se pollueret* (ut Politianus ait) *maluit ipse mori*; & quidem anno ætatis decimo septimo. Hunc Baleares suum fuisse contendunt, ac *Michaëlem de Veri* appellant, ex nota ibi familia, ut videre est in *Historiæ Balearicæ* altero volumine, qui D. Vincentium Mut habet auctorem, lib. 8. cap. 6. & 9. Quod & credidit Martinus de Ibarra Cantaber in Vita hujus poëtæ, *Distichis* ejus, quæ Barcinone anno MDLXXXI. in 8°. ex officina Jacobi Cortesii emisit in publicum, præfixa. Attamen insigniter errant. Michaël enim hic Verinus Ugolini Verini filius fuit, Florentini ejusdem, atque poëtæ celebris; de quibus adiri possunt Michaël Poccianitus in *Catalogo scriptorum Florentinorum*; Vossius *De historicis Latinis* lib. 3. cap. 8. pag. 626. Daumius epistolâ 57. inter amœbæas Thomæ Reinesii & ejus.

750. JOANNES VELASCUS LUSITANUS (*Pontificiæ bibliothecæ* auctor ait) Joannis II. Portugalliæ Regis orator, scripsit

Orationem habitam Romæ in aula regia nomine sui Regis ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum, qui anno MCDLXXXIV. Pontificatum inivit.

751. PETRUS DAGUI Catalanus presbyter, si Montis-albi, ut libri præferunt, appellatio, *Mont-blanc* oppidum hujus provinciæ significare positum est, sacrarum literarum magister ac professor in arte Raymundi Lulli peritissimus, idemque à sacris Ferdinando & Elisabethæ catholicis Regibus, composuit in majori Balearium insularum, quam *Majoricam* vocant, in Podio Randæ anno MCDLXXXV.

752. *Metaphysicam, sive De formalitatibus*, cum tribus præambulis, quę quidem priorem & majorem libri partem conficiunt. Typis ea fuit Hispali edita anno MCDXCI. in 4°. ab Stanislao Polono, impensis Joannis de Monserrat artium magistri, ad quem auctor direxerat. Vidimus quoque ejusdem

753. *Januam Artis Raymundi Lulli*, ibidem eodem anno.

754. Post hanc sequuntur, *absolutæ distinctiones per dominum fratrem MARTINUM DE ALMODOVAR, ordinis militiæ de Calatrava*. In fine libri apponitur hęc nota: *Et talis est sententia dicti magistri Petri, quam nos uniformiter laudamus, Antonius Episcopus Fanensis, Nojanus Episc. Xephalensis* (an *Cephaludensis* in Sicilia) *Ferdinandus Cordubensis subdiaconus domini nostri* (*Xysti* nempe IV. hic est enim Ferdinandus de Corduba superiore capite à nobis laudatus) *Joannes abbas S. Bernardi Valentini, Jacobus Conil, Gulielmus Bodonit*. Omnes nempe Raymundinę doctrinę asseclę.

755. Valentini regni, ut videtur, civis sequenti anno MCDLXXXVI. *Immaculatæ Virginis Deiparæ conceptionis mysterium*, recèns à Xysto IV. Pontifice approbatum, defendit scripto FERDINANDUS DIEZ PROVERE, cujus hæc inscriptio est patriæ linguæ: *Comenza la obra de la sacratissima concepcio de la immemorata mare de Deu, examinada, & dignament aprovada per multos mestres en sacra theologia, divulgada & publicada en la insigne ciutat de Valencia, dins la casa de la loable Cofraria de la gloriosa Señora nostra, en lo anni de nostro Señor Deu Jesu Christ fill seu MCDLXXXVI.* Valentiæ editum eodem anno, in 8°.

756. Vidimus Matriti penes excellentissimum Marchionem Mondexarensem, tot locis in hoc opere à nobis laudatum, *Astrologicum commentarium*, regulas continentem, quibus uti debebunt ii, qui judiciaria arte futura se indagare profitentur. Libri titulus deest, sed id quod subscribitur, auctoris temporisque notam retinet. *Explicit hoc opus compilatum per dominum licentiatum in artibus & medicina, cathedraticum in astrologia Salmantinæ universitatis DIDACUM DE TORRES anno MCDLXXXVII. mense Maji xxv die.* Idem hic procul dubio est cum Didaco de Torres Mathesis professore Salmantino, cujus librum quendam astrologico-medicum vidit D. Thomas Tamajus de Vargas regius historicus ita inscriptum vernaculâ linguâ: *Medicinas preservativas y curativas de la pestilencia que significa el eclipse del sol del año MCDLXXXV.* Salmanticæ editum anno MCDLXXXV. in 4°.

757. Hujusmet anni MCDLXXXVII. res est JOANNES ANDREAS, eo factus ex Mauro seu Machometano Christianus & sacerdos, qui *Confusionem sectæ Machometanæ* scripsisse perhibetur. Cujus mentionem non aliò debemus quàm Joanni Henrico Ursino *Analectorum sacrorum* lib. 4. cap. 7. qui disertè Hispanum vocat.

758. Circa hunc ipsum in vivis erat LUDOVICUS DE ESCOBAR, ordinis Minorum, cujus è literario habito cum principe illius temporis viro Frederico Henrici Castellę architalasso, neque illi infructuoso, commercio, natus dicitur liber ille inscriptus: *Las quatrocientas respuestas à otras tantas preguntas del Almirante D. Fadrique Enriquez, que hizo à un fraile Menor*. Pinciæ MDL. in folio.

759. In urbe Murcia natus, atque ejusdem urbis cathedralis Ecclesiæ canonicus fuit DIDACUS RODRIGUEZ DE ALMELA, doctrinâ historicâ & probitate morum suo tempore spectatus. Nec potuit aliter in domo magni illius Burgensis antistitis Alphonsi à Carthagena à puero habitus, cui & à cubiculo major annis fuit. Hunc enim, quotiescumque data est ei in scriptis suis nominandi occasio, dominum suum reverenter appellat. Deinde catholicorum Regum domesticus, Elisabethæ gloriosissimarum Reginarum principi in cappella ministravit, &, uti fama est, chronographi munus ab ea obtinuit. Bello autem adversus Granatæ Dynastam Sarracenum validè ab iis suscepto, non domi mansit,

sit, aut asymbolus venit; sed quod sacrum quamvis hominem non dedecuit, equitibus duobus, peditibus sex suo ære exhibitis, Christianarum copiarum vires & robur auxit: quod ex monumentis à se visis Franciscus Cascales, dum in *Murciæ urbis historia* familiæ hujus *de Almela* meminit, posteritati consignatum reliquit. Dignitatem hominis non obscurè id ostendit, quòd in quibusdam ejus operum, quæ mox subjecturi sumus, exemplis *venerabilis* nuncupatione ornatus legitur. Hæc autem ejus opera ad nos pervenerunt.

760. *El Valerio de las historias escolasticas y de España*. Murciæ apud Joannem de la Roca MCDLXXXVII. in folio, indeque Matriti MDLXVIII. in 8°. & Medinę-Campi apud Franciscum del Canto MDLXXXIV. in 8°. quarum primam & ultimam vidimus Romæ in bibliotheca gymnasii Sapientię amplissima, libris omnibus Urbinatum Ducis ultimi typis mandatis, quos Alexander VII. literarum Mecænas, ab hæredibus ei fini coëmit, instructa. *Valerium* appellavit opus hoc historicum, quia Valerium Maximum *De dictis factisque memorabilibus*, Latinum atque gravissimum auctorem, cujus ordinem argumentumque novis tamen & hucusque intactis exemplis imitaretur, ante oculos habuit. Id enim inter nos fecit Almela noster, quod Italicâ olim linguâ, quę quidem in Latinam pòst conversa fuit, Baptista Fulgosius, sive Fregosus, Dux aliquando Genuensium, *De factis dictisque memorabilibus* simili commentario in lucem emisso.

761. Nec indictum relinquam huic libro alium, nempe FERDINANDUM PEREZIUM GUZMANUM, cujus est majori ex parte *Joannis II. Regis Castellæ historia*, auctorem non nunquam datum fuisse; cùm Almela ipse in aliis infrà laudatis operibus fœtum hunc domi natum agnoscat & profiteatur; diserteque id ipsum confirmet cum aliis, doctus planè vir, atque Hispaniæ nostræ decus, D. Thomas Tamajus, cùm in *Defensione historiæ Joannis Marianæ adversus Pet. Mantuanum* fol. 285. tum etiam in Notis ad Luitprandum pag. 34. Historiam hanc Joannes Vasæus *Chronici Hispaniæ* cap. 4. tam diligentiâ quàm varietate laudabilem censet.

762. *Tratado ò copilacion de las batallas campales, que son contenidas en las estorias escolasticas e de España. Dirigido à D. Fr. Juan de Ortega Malvenda Obispo de Coria*. Qui anno MCDLXXXIX. obiit electus proximo superiore. Prodiit cum *Valerio historiarum* in editione Murciensi MCDLXXXVII. & aliis,

763. *Coronica general de España*. Quam dicatam catholicis Regibus inter libros Adami Centurionis Marchionis Estepani olim, dum viveret, fuisse, nunc jam successoris illaudabili permissione dispersos, à Martino Vasquio Siruela, portionario Hispalensis Ecclesiæ ac Musarum corculo, certiores facti sumus. Hujusmet aliud exemplum historiæ est, quod se vidisse D. Thomas Tamajus in *collectione* affirmavit *Hispanorum librorum* hactenus inedita, cum hoc titulo: *Copilacion y genealogia de los Reyes de España*. Cui etiam attestanti credimus visa etiam sibi fuisse

764. *Copilacion de los vitoriosos milagros de Sant-Jago*. Itemque

765. *Epistolas à diversas personas*. Quarum duas à Francisco Cascales, Murcianarum rerum, uti suprà diximus, enarratore, laudatas novimus. Altera est ad Antonium Martinez de Cascales directa, urbis Toletanæ juridicum (*Alcalde* vocat vernaculi sermonis titulo) *sobre los matrimonios e casamientos entre los Reyes de Castilla e de Leon de España con los Reyes y casa de Francia*. sive, de matrimoniis inter Castellæ ac Legionis Hispaniarum Regibus, & Francicam domum regiam initis. Cui argumento illustrando valdè consulit hac nostra ætate Petrus Rosellus sacerdos Gallus *De antiqua Gallias inter atque Hispanias in divinis & humanis rebus communione* Lugduni edito MDCLX. commentario historico. Posterior verò ad juratum (sic vocamus secundi subsellii atque ordinis administrationi urbium præpositos, & quasi plebis tribunos) Joannem à Corduba, *De como no se deven dividir, partir, ni enagenar los reynos y señorios de España*. Hoc est, de dominio & regnis Hispaniæ non dividendis nec alienandis. Editæ sunt epistolæ istæ cum *Valerio historiarum* Murciæ MCDLXXXVII.

766. Salmantino gymnasio debuit educationem in literis theologicis, & honores vigiliis scholasticis debitos, PETRUS DIAZ DE LA COSTANA, quodam loco diœcesis Burgensis natus, & in Bartholomæi Apostoli collegium anno hujus sæculi septimo supra quadragesimum, quod in monumentis ejusdem domus amplissimæ legitur, admissus. Sacras literas de loco superiore ibidem vespertinus professor, & magister creatus docuit. Jamque sacerdotio canonico Burgensis Ecclesiæ ornatus, in ea tempora incidit, erecti novi à catholicis Regibus adversus fidei perduelles sanctæ Inquisitionis utilissimi magistratus, qui latrantibus, quantum volent, hæreticis, suæque infelicitatis miserè securis, Hispaniam, quanta est, cum ditionibus, quæ participavere, ab hæresis & schismatis contagione, quæ cæteras Europę Christianas regiones, atque ipsam Christianissimam & florentissimam Galliam, turpiter inficit, nec labii unius in colendo Deo esse permittit, felicissimè hactenus præservavit. Hujus ordinis inter primos judices fuit cooptatus noster, unà cum Francisco Sanctio Fontano, ad S. Bartholomæi item collega, ut per ditionem Toletanę sedis uterque sartam tectam curaret religionis caussam. Canonicus idem fuit ac decanus ejusdem Toletanę Ecclesię ab anno MCDLXXXVI. atque unus ex his, qui de Petri Oxomensis scriptis in Complutensi Synodo anni MCDLXXX. cum aliis censuit, nominatus ea propter in bulla Xysti IV. quę in *Bullarii* primo volumine pag. 431. legitur. Scripsit hic

767. *De confessione sacramentali adversus* ejusdem *Petri Oxomensis errores*, librum, obiitque anno MCDLXXXVIII. loco sepulturę in S. Eugenii sacello ejusdem Toletani majoris

ris templi accepto. Scripti ab eo catholici hujus operis & vitę geſtorum notitiam debemus Petro Salazario Mendozio in *Vita D. Petri Gundiſalvi à Mendoza Cardinalis* lib.1. cap.56. §.1. & D. Franciſco de Vergara & Alava in *Vita D. Didaci de Añaja Hiſpalenſis præſulis, notitiaque virorum illuſtrium Bartholomæani collegii ab eo fundati*, num.79.

768. Sed & alius ab hoc, ut videtur, exſtat liber ejuſdem auctoris in Hiſpalenſis Eccleſię bibliotheca, quę olim fuit D. Ferdinandi Coloni; nempe hoc titulo inſignis:

Petrus de Coſtana licentiatus, ſuper Decalogo, & ſeptem peccatis mortalibus, aliiſque materiis moralibus. Salmanticæ MDII.

769. Petrus Garzia Valentinus ex urbe Setabi (hodie *Xativa*) ſacrę theologię magiſter Pariſienſis, cùm in famulitio eſſet Roderici Borgię Cardinalis Vice-cancellarii, quem poſtea vidit Roma & Chriſtianus orbis ſub Alexandri VI. nomine ſibi præfectum, ſcripſit ad Innocentium Papam VIII. hoc eodem anno MCDLXXXVIII. factus jam Uſſelenſis in Sardinia Epiſcopus

770. *Determinaciones magiſtrales contra concluſiones apologales Joannis Pici Mirandulani Concordiæ Comitis.* Quę editę ſunt Romæ per Eucharium Silver, alias Franck Alemannum anno MCDLXXXIX. in folio. Quę, quòd rarus valdè liber ſit, ne ignoretur Garſię noſtri cum *Phœnice literarum* (quomodo ſuo audiit ævo) Joanne Pico iſto contentionis materies, concluſiones hic ponemus.

Prima eſt *De deſcenſu Chriſti ad inferos ſecundum animam.*

II. *De pœna mortali peccato debita ſecundum quantitatem temporis.*

III. *De adoratione crucis & imaginis Chriſti, & reliquiarum aliorum Sanctorum.*

IV. *De aſſumptibilitate naturæ irrationalis quoad potentiam Dei abſolutam.*

V. *De libertate actûs credendi fidei Chriſtianæ.*

VI. *De exiſtentia accidentium in ſacramento altaris.*

VII. *De poſſibili exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti cum ſubſtantia panis & vini in ſacramento altaris.*

VIII. *De forma conſecrationis panis & vini quoad ſuppoſitionem perſonalem vel materialem.*

IX. *De intellectu & intelligere divino, quomodo & qualiter dicuntur de Deo.*

X. *De intelligere abdito animæ humanæ corpori conjunctæ.*

XI. *De magia & cabala ſecundum ſe & omnes ſuas partes, quoad probibitionem & certificationem de divinitate Chriſti.*

XII. *De miraculis Chriſti, quomodo ſunt argumentum certiſſimum ſuæ divinitatis.*

771. Motum ſe ait ex eo, quòd cùm Papa remiſiſſet ei legendum & examinandum *Apologeticum librum* Joannis Pici, in quo magorum & cabaliſtarum ſuperſtitiones ſuſcitâſſe videtur, & in quo nonnulla etiam ad fidem catholicam pertinentia falsò interpretata & defenſa eſſe deprehenderentur, plurimaque ex philoſophicis diſciplinis ad ſacrę Scripturę contrariam ſenſum exponerentur; exiſtimavit gratam rem illi facturum & profeſſioni ſuę convenientiſſimam, ſi adverſus eos errores fidem clypeis Davidicę turris pro modulo intelligentię ſuę muniret, aut potiùs munitam demonſtraret: quam rem eò libentiùs & confidentiùs ſe feciſſe ait, quòd idem Pontifex (Innocentius) prędictos errores damnavit atque anathematizavit. Humili autem ſtylo & ſcholaſtico, Pariſienſium more, ſe ſcribere inquit. Laudat autem Picum his verbis: *Scio enim & expertum habeo, pluribus concertationibus ſuper hoc habitis coram rever. Patre domino Joanne Epiſcopo Tornacenſi, tuæ ſanctitatis magiſtro domus, & in hujuſmodi cauſſa commiſſario digniſſimo, præfatum virum ſingulari ingenio pariter doctrinâ ac eloquentiâ eſſe præditum.* Hæc ille ait in fine libri.

772. Planè Apologeticus hic Pici liber apologia eſt floridiſſima ſtylo & varietate rerum pro nongentis concluſionibus à ſe Romæ, cùm eò Innocentii Papæ deoſculaturus pedes acceſſiſſet, ad oſtendendam doctrinam & ingenium propugnatis, Laurentio Mediceo dicata, & inter opera ejuſdem *Joannis, & Joannis Franciſci, Picorum, Mirandulæ & Concordiæ Comitum*, typis edita. In cujus calce propoſitiones iſtæ duodecim inter quadraginta ſex, quas pro catholicis agnoſcere ſe ac defendere ajebat, & nunc leguntur. At quidem Joannem Picum patruum ſuum altero libro à Petri Garſiæ accuſatione Joannes Franciſcus defendit, qui licèt hodie non alia inter exſtet hujus opera, indicatur tamen ab auctore in quadam epiſtola ad Lilium Giraldum, quæ incipit: *Quoniam deſideras*, ubi *Joannis Pici apologiam* (inter alia inquit, catalogum ei poſtulanti operum à ſe factorum exhibens) *à Petri Garſiæ calumniis vindicavimus*. Legitur altero volumine utriuſque Pici operum Baſileenſis Henric-petrinæ editionis pag.879. lib.4. epiſtolarum.

773. Malè hunc confundit cum Petro Garſia de Galarza *Evangelicarum inſtitutionum* auctore Alphonſus Ciaconius in ſchedis ad *bibliothecam univerſalem*. Garſiæ meminit Gaſpar Eſcolanus *Valentinæ hiſtoriæ* lib.9. cap. 22. in fine; & ante eum æqualis tempore Gaubertus Fabricius de Vagad Ciſtercienſis in prologo 3. ad hiſtoriam rerum Aragoniæ, & Joannes Eckius in *Chriſto paſſo*.

774. Bernardus de Boil ſacerdos, eremiticam agens vitam in Montis Serrati Cataloniæ Deiparæ Virginis ſacri rupibus, edidiſſe dicitur à ſe verſum vernaculum *Iſaaci de religione* librum, qui editus fuit in monaſterio S. Cucufatis Vallis Aretanæ anno MCDLXXXIX. in 4°. Inter multos verò Iſaacos, quos Ant. Poſſevinus laudat, aliique, nullum adhuc inveni, qui hujus inſcriptionis librum edidiſſe memoretur.

775. Joannes (aliàs Ludovicus) Teixeira Luſitanus, hoc eodem anno ſæculi octogeſimo nono orationem habuit ad Joannem Regem II. hujus regni, cùm Petro Meneſio Marchionatûs de Villa-regali dignitatem conferret, Latinam, ut credimus; ſiquidem hanc in vernaculum converſam Michaëlis Suare-

zii

zii operâ Conimbricenses typi anno MDII. in 4°. dederunt foras. Ludovicum aliâs vocari audio, equitemque ordinis S.Jacobi fuisse, Angeli Politiani in Italia discipulum, Græcæ ac Latinæ linguarum, poëticę ac Juris artium doctum, Regisque Cancellarium. Huic attribuunt *Commentaria in subtilem & necessarium Digestorum titulum De rebus dubiis*. Venetiis in fol. MDVII. deinde Senis MDXV. edita, ac Emmanueli Regi dicata, cujus filii Joannis III. Regis præceptor fuisse dicitur.

776. Alphonsus de la Torre, baccalaurei appellatione, qui primus & infimus academicus honorum gradus est, juxta hujus ævi morem contentus, neque aliud de se enuncians, foras dedit hujus notæ opus:

777. *Vision deleytable de la filosofia, y artes liberales, metafisica, y filosofia moral*. Quod excusum vidimus Hispali anno MDXXVI. à Jacobo Cromberger in folio, Joanni Beaumontio, equiti Hierosolymitano, & Navarræ Priori, dicatum. Attamen mandatum typis olim jam Tolosæ ann. MCDLXXXIX. in catalogo regiæ bibliothecæ Scorialensis librorum annotatum legimus. Cui convenit ævo, quòd Cataloniæ linguâ conversum, ac Barcinone editum anno MCDLXXXIV. in bibliotheca domini Laurentii Ramirez de Prado olim exstiterit. Ms. exstat in bibliotheca olim Olivariensi, nunc Marchionis del Carpio, ut ex ejus catalogo, quem penes nos habemus: in cujus ora notatur, ad nutum Caroli Navarræ principis hunc librum formatum ab auctore fuisse. Boëthii nempe Severini inventum ac propositum imitatus, per somnum sibi dictatam, quę opere isto exponitur, doctrinam confingit, duabus partibus commentarium distinguens; alterâ liberalium artium conditionem, finemque, utilitatemque speculatur; alterâ de virtutum, ut appellamus Christiani, moralium potestate in affectionibus moderandis edisserit.

778. *Las poësias del gran filosofo Alonso de la Torre*. In bibliothecæ Regis Galliarum codice 993. alterius partis seu xysti exstare ait Philippus Labbeus in *Bibliotheca* sua *manuscripta* pag. 324. Hunc *Joannem* vocat magno errore D. Thomas Tamajus in *magna librorum collectione* adhuc inedita.

779. Jacobus Perez de Valentia (vulgari nomenclatura Jaime Perez, in Valentino regno atque oppido *Ajora* Oriolensis diœcesis, quod in Castellę situm est confinio, natus, eremitarum S.Augustini amplexatus institutum, titularis, ut vocant, sive suffraganeus Roderici Borgiæ Cardinalis & Archiepiscopi Valentini, antequam summus electus fuisset Pontifex, Episcopus fuit Christopolitanus, nomine tenus dictus, quod oppidum *Christopol* est hodie, olim autem *Neapolis Thraciæ*. Divinis ille atque humanis literis, &, quod ante alia est, probitate morum vitæque multum se commendavit æqualibus, quemadmodum & posteritati libris verè doctis utilibusque. Celebres autem in primis sunt ejus

780. *In centum & quinquaginta psalmos expositiones*, Roderico prædicto nuncupatæ, in quo de Christo & Ecclesia omnes Davidis prophetias subtiliter interpretatur. Accedunt

781. *In cantica ferialia in Bibliis contenta.*

782. *In cantica Euangelica: Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis, & Gloria in excelsis.*

783. *In canticum Ambrosii & Augustini.* Quæ omnia simul edita sunt, præmissis

784. *Quæstionibus, & earum subtilissimis resolutionibus contra Judæos fidei Christianæ adversarios*. Quem librum laudat Joannes Martinus Figuerola in opere suo *Lumbre de fè contra el Alcoran* inscripto, quamvis æquivocatus appellet eum *Episcopum de Valencia*. Adjicitur in fine

785. *Symbolum S.Athanasii cum expositione*. Omnia hæc Jodocus Badius Ascensius, celebris ævi sui chalcographus tradita sibi à Joanne Focaudo Clare-vallensi abbate, & quidem operâ monachi cujusdam sedulò correcta, & indice alphabetico illustrata, primùm anno MDVI. atque iterum ac tertiùm MDXVIII. typis mandavit.

786. *In cantica canticorum Salomonis expositiones, cum illius quæstionis discussione: Utrùm sòlus Christus sit metrum, largitor bonorum omnium, & reparator humanæ naturæ*. Alphonso Aragonio Archiepiscopo Cæsar-augustano dicatum hoc opus Parisiis, Lugduni, Venetiisque prodiisse, auctores sunt Valerius Taxander in *De scriptoribus Hispanis*, & Thomas de Herrera in *Alphabeto Augustiniano*.

787. Desiit autem Jacobus in vivis esse anno salutis MCDXC. conditus honorificè in domo Augustinianorum Valentina; cujus pia spolia revoluto sepulchri lapide anno hujus, quod vivimus, sæculi decimo, in omnium oculos incurrerunt; admirationique præcipuè lingua, sive potiùs cerebrum, fuit: integrum id quidem, & ab omni noxa putrefactionis illæsum. Quæ illustrissimo præsuli ejusdem sedis D. Joanni à Ribera jubendi occasio fuit, ut de Jacobi vita, rebusque ab eo gestis, & miraculis, eo intercedente à Deo dispensatis, testimonia ritu solenni acciperentur. Gaspar Escolanus videndus lib.9. *Historiæ Valentinæ* cap.1.

788. Unus ex iis, quos sterilis damnataque à Deo Hebræorum planta, raros quidem, at bonos, in Hispania produxit fructus, Paullus fuit Heredia cognominatus, quem Hispanum omnes, Aragonenses civem suum jactant; qui ex Judaïsmo ad veritatis per Christum revelatæ fidem conversus, pugnavit, ut strenuus, adversus hostes, jam olim fratres, ejusdemque cæcitatis consortes, Euangelicæ aciei miles, scribens

789. *De mysteriis fidei* librum. In quo ex arcanis Judæorum Rabbinicis & cabalisticis multa scitu dignissima in Latina castra, veluti auxiliares copias, ad Judęos errorum suorum convincendos, transtulit. Editum hunc in Italia monet Conradus Gesnerus.

790. *Coronam regiam ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum pro intemerata conceptione Mariæ Virginis*. Simulque

791.*Nebu-*

791. *Nebumi filii Haccanæ epiſtolam de ſecretis ad Haccanam filium, atque aliam ejuſdem Haccanæ Nebumi filii pro adventu Meſſiæ Chriſti*, Latinè è ſe converſas cum propriis ſcholiis. Operis titulus: *Niggbereth bazodoth*. hoc eſt, *epiſtola ſecretorum*. interrogationeſque octo ſeu petitiones continet Antonini Conſulis urbis Romæ à Rabbino Haccados, quarum hic meminit in libro ſuo *Gale Razaya*, hoc eſt *ſecretorum revelatore*. Nuncupavit hanc interpretationem cum poſtillis illuſtriſſimo ac ſapientiſſimo domino D.Ennico de Mendoza Comiti Tendillæ, ſacræ majeſtatis Regis Hiſpaniȩ legato, ſcilicet apud Innocentium VIII. Cujus ad Pontificatûs finem anno MCDXCII. locum Herediæ, cùm de ulteriore hujus vita non aliunde conſtet, nos hic dedimus:

792. JOANNES quidam LOPEZ Dominicanus vulgari lingua Caſtellæ reddidit *los Euangelios deſde Adviento haſta la Dominica in Paſſione*, Duciſſȩ Arevali rogatu, quȩ Zamorȩ edita anno MCDXC. in folio vidit D.Thomas Tamajus de Vargas. Neſcio an alius ſit JOANNES LOPEZ DE SALAMANCA, quem Dominicanum ad ordinem receptum in cœnobio S. Stephani ejuſdem urbis, ſcripſiſſe *Controverſias contra Judȩos*, Ægidius ait Gundiſalvi de Avila in *Salmantina hiſtoria*, atque item JOANNES LOPEZ Salmantinus, quem laudat Antonius Senenſis in *Bibliotheca Dominicana*, quem ait ad preces dominæ Eleonoræ Pimentelliæ, Comitiſſȩ Placentinȩ, ſcripſiſſe B. Vincentii Ferrerii Vitam. Sed quod ex Vincentio Juſtiniano Antiſtio in ejuſdem argumenti commentario adjungit, ȩqualem eum vixiſſe eidem B. Vincentio, qui anno MCDXVIII. aut ſequenti ad ſuperos abiit, falſum eſt; cùm Eleonora Pimentellia uxor ſecunda fuerit Alvari Stuniȩ ſecundi Comitis Placentiȩ, & primi Ducis de Arevalo ac de Bejar, catholicorum Regum tempore.

793. LUPUS GARZIA DE SALAZAR è Cantabriȩ hujus familiȩ equitibus, qui vixit Joannis II. & Henrici Regum, & fortaſſe Ferdinandi & Eliſabethȩ hoc tempore, reliquit nobis manuſcriptum opus hiſtoricum, quod ita appellatum quidam dicunt:

794. *Primera, ſegunda, y tercera parte de los ſionarios de la hiſtoria del mundo*. Adjunxit D.Thomas Tamajus: *Eſcriviòlas eſtando preſo en ſu caſa de S. Martin. Acabòlas Criſtoval Mieres. Eſtan repartidas en veynte y cinco libros. Eſcriviéronſe año de MCDXCII.* Ms. in in fol. Hȩc Tamajus. Ms. vidit in bibliotheca ſereniſſimi Ferdinandi Cardinalis Infantis D.Petrus de la Eſcalera Guevara, uſus hoc opere in hiſtoria *Del origen de los Monteros de Eſpinoſa* cap.11.

195. Vidimus nos penes Marchionem Acropolitanum, jam Mondexarenſem, aliquam hujus hiſtoriȩ partem, ſcilicet quinque poſteriores libros, quorum XXI. eſt de familiarum Guipuſcoȩ, Viſcajȩ, Alabȩ, & orȩ maritimȩ quatuor, ut vocant, villarum uſque ad Aſtures. XXII. de diſſidiis & prœliis inter privatos nobiles earundem partium. XXIII. de eadem re. XXIV. de eadem re. XXV. de Aſturum familiis, & earum diſſidiis. In fine XXIV. libri de rebus ſuis non perfunctoriè agit, uſus ea excuſatione, ne periret earum memoria, quȩ pro defenſione honoris ſui, ſemperque ab adverſariis provocatus, atque ideo nunquam non feliciter, geſſiſſet. Opus integrum in fine cujuſque libri cùm hiſtoriam generaliter, tum *La bienandanza y fortunas* in ſpecie vocat. In bibliotheca Olivarienſi fuere tomus 1. & 2. hujus hiſtoriȩ: nunc, ut credimus, in Marchionis del Carpio. Necnon & ſcripſiſſe dicitur *Hiſtoria de los Condes de Viſcaja*, quam aliquam majoris jam laudati operis portionem exiſtimamus.

796. Uſque ad hȩc tempora ſacri belli Granatenſis à catholicis & victorioſiſſimis Regibus noſtris feliciter continuati produxiſſe vitam creditur ALPHONSUS DE PALENTIA, ſeu PALENTINUS (dubium an domo ex hac urbe Caſtellȩ veteris nobiliſſima) natus anno hujus ſȩculi XXXIII. De qua ejus origine fidem facit nota quȩdam ab eo ſubjecta grammatico ſtatim laudando, *De ſynonymis* operi, hȩc ſcilicet: *Anno Dom. MCDLXXII. quo quidem anno ipſe auctor duodecimo Kalendas Auguſti quadrageſimum nonum ſuæ ætatis annum complevit*. Septemdecim verò annis natus in familia Burgenſis antiſtitis Alphonſi à Carthagena cenſebatur: quod idem diſertè monet in MSS. commentariis Latinis *De rebus Henrici Regis IV.* lib.1. cap.3. Grammaticȩ igitur profeſſioni adjunxit hiſtoriam, atque in hoc ȩvum incidens, quo de Henrici IV. Caſtellȩ Regis ſucceſſione inter Joannam in matrimonio ejus cum Joanna Regina Portugalliæ Infante natam, atque Eliſabetham ſororem, quæ legitimæ prolis orbo Regi jure Hiſpano ſuccedebat, pernicioſiſſimis totius regni factionibus, vivo etiam & vidente Henrico, decertabatur, Eliſabethæ ſaniori parti adhærens, de rebus Henrici elucubratus fuit, neſcio an omnino ingenuè, aut potiùs (quod moris eſt iis qui obnoxio animo in literas geſta quæque referunt, ſive de rebus, ſive etiam de hominibus, per quæ res agerentur, indicandum fuit) partibus omnia deſervire faciens. Cui ejus hiſtoriæ iccircò contraria eſt alia Didaci Henrici à Caſtello, eadem quantumvis tempora & res complexa, ad guſtum tamen Henricianorum & Joannȩ, utpote ab ejuſdem Henrici Regis cappellano formata: de quo homine ſtatim agendum nobis eſt, cùm de Alphonſi Palentini hoc & aliis operibus mentio facta ſit. Nempe is ſcripſit, uti jam diximus,

797. *Coronica del Rey D.Henrique quarto. Primera y ſegunda parte*. Quȩ lucem hactenus typorum non vidit, per manus eorum in ſchedis ambulans, quorum ſtudium eſt, ut hiſtorica iſta rerum olim geſtarum ab ȩqualibus erecta, & poſteritati ſacra monumenta permaneant. Ms. tum alibi, tum Matriti eſt in Vill-umbroſana bibliotheca horum ditiſſima, de qua ſtatim dicemus. Nec eo contentus, generalem ſui temporis aliam, ſed Latinam, formavit hiſtoriam, cujus primam partem *Annales Hiſpaniæ ſui temporis*, ſive *Hiſtoriæ Regis Henrici IV. primam decadem*, inſcri-

inscriptam excellentissima Marchionissa de Mont-alegre, D. Petri Guzmani, senatus Castellę presidis, Comitisque Villumbrosani vidua, magni mariti lectissima curiosisque literis bene imbuta conjux, in supellectili libraria ditissima, cujus mentio sępiùs facienda occurret, Matriti habet. Sed continuâsse hunc eundem historicum eosdem annales per totam Henrici vitam, immo & Ferdinandi & Elisabethæ successorum Henrici, usque ad Bazæ urbis in Granatæ regno expugnationem res gestas cœptæ jam telæ pertexuisse, Garibajus libro 18. cap. 1. sui *Compendii* testatur. Necnon & Marinæus Siculus initio libri 20. *De Hisp. rebus* hunc recensuit inter eos, qui de Granatensi bello commentati sunt.

798. Certè hujus Latini commentarii annalium meminit *elogium Alvari de Luna* Castellæ Comestabilis, quod cum aliis aliorum *Historiæ Joannis II. Regis* subjicitur Laurentio Galindo Carvaxalio auctore, sive ampliatore, quo loco de matre Alvari ad ea se refert, quæ, cùm Ferdinandus Perezius Guzmanus, tum eo luculentiùs Alphonsus Palentinus in *Chronico sui temporis*, Latinè scriptum reliquerat. Cujus elogii meminit Palentini hoc opus, quod nec se vidisse, nec ab alio citatum invenisse, laudaturus ait Joannes Vasæus *Hispaniæ Chronici* cap. 4.

799. Indigitavit planè hoc annalium Latinum opus *Gesta Hispaniensia ex annalibus suorum dierum*, decadibus quibusdam divisum. In præfatione 1. decadis ait: *Magna cum voluptate qui retuli jam dudum antiquitatem Hispanæ gentis* (ad aliud opus à se confectum certè respicit, de quo infrà) *cogor nuper scribere quæ calamus horret; nil mirumque, si stylus præ fœditate rerum decidat, atque obscuretur mens, cùm nil clarum offeratur; sed diu anceps fuerim inter alterutrum, vel omittendi vel adeundi præsentis historiæ considerationem* &c. Recordatur ipse auctor conceptæ jam à se hujus historiæ in *Dictionarii*, de quo paullò pòst loquemur, fine, ubi mentionem operum suorum habet: *Solicitatur demum haud lentè animus, non solùm ad continuationem annalium belli Granatensis, quod post decades tres nostræ tempestatis scribendum accepi; sed ea omnia resumere priscorum principum gesta qui eximiè in recuperatione partis maximæ Hispaniæ à Mauris occupatæ prævaluerunt, & ab obscuritate vulgari hæc omnia in lucem Latini sermonis traducere, si obstamenta senectutis meæ impedimento non essent*.

800. Decades quatuor sunt, tres priores integræ, quarta ad librum 34. tantùm pervenit; exstantque in bibliotheca MS. regia Escorialensi tres quidem priores elegantissimè descriptæ, quarta autem quibusdam locis deleta, & addita à manu forsan ipsius auctoris. Tres habuit Matriti D. Alphonsus Siliceus, selectissimæ possessor bibliothecæ, unde nos exemplar quo utimur exscribi curavimus. Habet & D. Joannes Lucas Cortesius in ditissima supellectili sua libraria. Primam verò Marchio Mondexarensis, alias fortè alii; sed dimidiatæ & imperfectæ, quatuórve aut quinque libris constantis quartæ decadis, in qua res catholicorum Regum, ac de bello adversus Granatenses Reges Mauros ab iis gesto tractaturus fuit, reliquias inter Escorialenses adhuc latere libros fama est, nec foras unquam communicatas fuisse. Nec dissimulandum est, me alicubi legisse integram & absolutam tributam decadem, hoc est decem libros, huic parti in bibliotheca ista relictæ; quæque, uti & pars aliqua decadis tertiæ ad catholicorum Regum historiam pertinet.

801. Dignissimum lectu, & manibus omnium nostrûm, oculisque versari & contrectari fœdissimorum temporum commentarium planè elegans; ut emicaret magis portio ultima, de qua nuper loquuti sumus, Ferdinandi & Elisabethæ res continens; laborantisque ambitione procerum, & inertiâ Regum, & quasi naturalium huic tempori omnis generis vitiorum Hispaniæ in aliud felicissimum & justissimum restauratio, ad utriusque status longè habenda horribilia mala, & appetenda procurandaque Reipublicæ bona, veluti pædagogum ac ducem experientissimum præstaret sese omnibus nobis, qui rerum vicissitudines, & data hujusce rei exempla, quàm philosophorum ac theologorum monita, ipsiusque rationis & naturæ regulas intentiùs contemplari, procliviusque suevimus consequi. Vereor tamen ne alio ex capite, & quarundam splendidarum hodie familiarum respectu, de quarum origine aut hominibus tacenda ibi dicuntur, calamo tantùm exaratum, paucarumque bibliothecarum angulis, tanquam insulæ vinculo, inclusum, veluti fato quodam scriptorum veritati litantium, silentii & obscuritatis damnationem sortiatur. Præter hæc Hispanâ linguâ historicum aliud opus composuit

802. *De la historia de España*, ab exordio rerum sumpto initio, nostræ gentis origines & bella cum exteris nationibus gesta, usque ad tempus illud, quo sive Romanorum, sive Arabum Maurorum juga subiit, accuratè & cum judicio pertractans. Meminit ipse in jam laudato *Dictionario Latino-Hispanico*, de quo infrà. *Decem namque libris antiquitatem Hispanæ gentis enarraveram eo animo, ut decem aliis imperium Romanorum in Hispania, & Gothorum deinde ferociam, usque ad Arabicam rabiem explicarem*. Cujus historię hoc secundum volumen, quod Pœnorum, & Romanorum res apud nos gestas prosequitur, Matriti habet D. Joannes Lucas Cortesius. Inter historica hæc pensa, grammaticis ut gratam rem faceret, ante quàm Antonius Nebrissensis ab Italis rediens mercatum hunc faustioribus avibus instituisset, dedit foras, anno hujus, quod persequimur, sęculi secundo & septuagesimo, biennio scilicet ante Henrici Regis obitum.

803. *De synonymis tres libros* ad Alphonsum de Fonseca & Azevedo Compostellanum præsulem, alterum ex tribus, qui huic Ecclesiæ præfuerunt, ejusdem nominis & familiæ; qui libri editi sunt absque nota loci aut tem-

tempotis in folio. Necnon jussu Reginæ catholicæ

804. *El universal vocabulario en Latin y Romance*, anno MCDXC. etiam in folio editum Hispali apud Paullum de Colonia & socios, cum hoc titulo: *Universale compendium vocabulorum ex lingua Latina eleganter collectorum, cum vulgari expositione*. Vastum opus, & quod vix in aliqua parte cedere debeat subsequenti ejusdem propositi magni illius Antonii Nebrissensis, idque ut dicto audiret selectissimæ heroïnæ sui sæculi Elisabethæ principi. Vertit quoque è Latino in Hispanum idioma

805. *Los libros de Flavio Josefo de las guerras de los Judios con los Romanos, y contra Appion Gramatico.* Hispali MCDXCI. in folio.

806. *Las vidas de Plutarco.* duobus tomis; quibus adjuncta est *la vida de Carlo Magno, de Donato Acciayolo*. Hispali prodiere ex officina Paulli de Colonia MDVIII. fol. Quod opus D. Roderico Petro Pontio de Leon Gadirano Duci nuncupatum fuit. Quarum vitarum aliquas ex Joannis de Castro Salinas altera interpretatione recentiore habemus Antuerpiæ anno MDLXII. publicatas

Item ex Italica lingua in vernaculam

807. *El espejo de la Cruz.* Nescio è cujus fonte. Quam interpretationem se confecisse ait in ejus fine rogatum à Ludovico de Medina centurione Hispalensis urbis, Thesaurarioque domus monetariæ rei; sumptibusque Fr. Joannis Melgarejo cœnobii S. Isidori de Campo, ut vocant, prope Hispalim, ordinis Hieronymianorum præfecti, qui librum Italicum ex Italia primus in Hispaniâ invexerat. Prodiit Hispali ex officina Antonii Martinez de la Talla MCDLXXXV. in 4°. In Ecclesiæ cathedralis Toletanæ bibliotheca loculo 17. num. 27. MS. exstat. Habemus quoque ejusdem

808. *Alphonsi Palentini De perfectione triumphi militaris*, minori, ut loquuntur, forma; hoc est, ut credimus, in 4°. qui quidem liber etiam MS. in regia bibliotheca Escorialensi asservatur, D. Alphonso Carrillo Archiep. Toletano dicatus, ab eo autem ipso auctore conversus in sermonem vulgarem, Ferdinandoque Guzmano Militiæ Calatravæ Commendatario, seu Præceptori majori, nuncupatus. Prodiit in 4°. sine loci mentione. Affixa tamen ad calcem nota prodit scriptum fuisse opus *De la perfeccion del triunfo militar* anno MCDLIX. Hanc & superiorem versionem in bibliotheca vidimus D. Joannis Lucæ Cortesii.

809. Meminit aliorum à se scriptorum operum ipse auctor in fine *Dictionarii*, quorum hæc series, ejusmet verbis explicata: *Bellum luporum cum canibus morali sub figmento descripsi. Vitam beatissimi Ildephonsi Archipræsulis Toletani ad evidentem notitiam exempli accuratioris explicui. Sufficienter etiam Canariorum in insulis Fortunatis habitantium mores atque superstitiones profectò mirabiles enarravi. De vera sufficientia ducum atque legatorum, & de obliteratis mutatisque nominibus provinciarum fluminumque Hispaniæ breviter mentionem feci. Quid nihilominus sentirem de adulatoriis salutationibus, laudationumque epithetis, opinione, non ratione usitatis, explicui* &c.

810. Ignoratur sanè mortis Alphonsi tempus: ex eo tamen quòd Marinęus Siculus, dum adhuc viveret Regina Elisabetha (quę quidem anno sequentis sæculi quarto obiit) in literas quicquam redigens de Alphonso, uti jam fato functo, *claruisse eum literis*, nisi fallor, dixerit, colligimus rectè, vivâ adhuc clarissimâ Reginâ cessisse eundem vitâ.

811. Joannis atque Henrici Regum ætate florere doctrinæ laude cœperat, qui Ferdinandi atque Elisabethæ catholicorum pręcipuè nobilitavit ęvum, ALPHONSUS DIDACI (sive DIAZ) A MONTALVO, Juris olim professor clarus, deinde eorum consiliarius, & judex clarissimus. Maximâ is fuit rerum ex pręscripto Juris agendarum, totiusque practicę artis peritiâ vir; atque eo ęquitatis studio, ut non antequam vocatis coram se litigatoribus negotii rationes ac momenta perpendisset, omnemque transigendę inter eos rei conatum frustra adhibuisset, suscipi ab adversario judicium, aut (uti vocant) contestari litem, pateretur. Quod ex fide, ut suspicor, ejusdem Montalvi, nonnusquam de se id affirmantis, Antonius Quesada jurisconsultus tradit *Juris quæstionum* tricesimo capite. Horatianam nempe illam viri boni appellationem æmulatus fuit, cui poëtę talis est:

Quo multæ magnæque secantur judice lites.

812. Explanando atque illustrando hic nostro Juri maximè incubuit; cujus rei testimonium perhibent Hispanæ ferè omnes leges, sive legum compilationes ab eo explicatæ, & glossis seu interpretationibus luculentiores redditæ, ac veluti ornatiores & justiores demonstratæ. Nimirum post Vincentii Arii antiquiorem operam, de quo suo loco diximus,

813. *El fuero real de España glossado* &c. Credimus hoc opus editum Salmanticæ anno MD. ac Medinæ MDXLIV. in folio, & Salmanticæ iterum apud Joann. Bapt. Terra-novam MDLXIX. in folio. Hæc est collectio Hispanicarum legum omnium (si demas Gotthorum constitutiones, quas *Forus* continet *judicum*) antiquissima, vulgari sermone promulgatarum ab Alphonso Rege Castellæ Legionisque, hujus nominis ultimo. Inserta huic commentario Alphonsus voluit opuscula, sive tractatus duos à se olim elucubratos. Prior est *circa perduellionis cujusdam Daciæ Comitis pœnam*, Joannis II. Regis jussu scriptus, quem auctor titulo 4. libri 1. *Fori* hujus adjunxit. Posterior est *De Judæis ad fidem conversis, ad officia publica Ecclesiæque honores admittendis*. Quæ Toleti quæstio per eos dies ventilata fuit, ejusdem Regis præcepto editus, & commentariis legis secundæ tituli tertii libri 4. insertus. Persuasum enim nobis est Alphonsum sub Rege Joanne hoc opus compilâsse, regioque consiliario Ferdinando Didaci primùm exhibuisse, diuque postea in multis auctiora commentaria iterum, hoc est sub catholicis Regibus,

gibus(quod apparet è prologo his præfixo) edidisse; nec tamen quicquam ex his mutâsse, quæ olim inibi legebantur; unde factum, ut Joannis II. Regis mentio, veluti tunc adhue viventis permaneret. At insumptam hoc in libro operam alia sequuta fuit iis, quæ inde ab aliis Regibus promanaverunt, sanctionibus, æquè utiliter addita, in commentario illo, qui præsefert hanc inscriptionem:

814. *Secunda compilatio legum & ordinationum Regni Castellæ, quæ à Regibus Hispaniæ in generalibus curiis conditæ & promulgatæ fuerunt, usque ad serenissimum Regem Ferdinandum, & serenissimam Reginam Elisabetham laboriosè & utiliter compilatæ, & abbreviatæ, ac de idiomate* (ita vocat vernaculam linguam) *in Latinum translatæ*. Quæ Hispali anno MCDXCVI. prodiit. Nimirum index est alphabeticus verborum Juris, adjunctâ singulis verbis regiâ quæ exstabat circa rem, constitutione, unà cum glossis & additionibus ex utroque Jure. Septem-partitum quoque Jus nolens intactum sinere, ante Gregorium Lopezium id publicavit primus, & glossam addidit; quod opus ita inscriptum typi dedere:

815. *Las siete Partidas del sabio Rey Don Alonso el Nono, por las quales son dirimidas las questiones y pleitos que en España ocurren, sabiamente sacadas de las leyes canonicas y civiles, con la glossa del insigne doctor Alonso Diaz de Montalvo, e con las addiciones, emiendas, e decisiones, que por los Reyes successores fueron hechas, nuevamente sobre todos los exemplares hasta agora publicados, corregidas y ordenadas*. Ita habet Lugdunensis Galliæ editio anni MDL. in folio. regali ex typographia Mathiæ Bon-homme. Hæc sequuta est Complutensem MDXLII. quâ antiquior fuit alia Veneta MDXXVIII. apud Lucam Antonium de Junta Florentinum, correctione doctoris Francisci de Velasco præcedente; & utramque Hispana præcesserat, princeps forsan, Burgensis anni MDXVIII.

816. *Alphonsum* hic se appellat *Didaci de Montalvo, indignum doctorem, Regum catholicorum* (Ferdinandi Elisabethæque) *suorumq; progenitorum antiquiorem, & minimum consiliarium, & Auditorem*. Refertque in grandæva admodum ætate jam constitutum se esse. Unde palam fit non catholicis tantùm Regibus, sed (uti diximus) Henrico & Joanni eorum decessoribus à consiliis, hoc est, à munere juris pro iis dicendi fuisse. Publicâsse autem hoc suum opus innuit post Granatensis belli laborem exantlatum.

817. Meminit quoque ibi doctoris Hieronymi Cucalon, & Francisci a Velasco, quos ait *primam* ex *septem Partitis*, sive, quod idem est, partibus, expurgâsse à mendis, puritatique ac nitori suo restituisse. Cujus quidem Velasci (ut se vocat) Burgasii (pro *Burgensi* fortè) *Compendium* seu *summarium titulorum & legum* ad calcem totius operis exstat. Unde forsan in novioribus *Partitarum* editionibus titulorum ac legum inscriptiones, sive summaria, quæ hodie legimus iis præfixa, mutuavit aliquis. *Partitarum* verò harum auctoritas à quo venerit, Montalvus ipse ostendit in Commentarii fine. *Cujus sacratissimæ leges* (ait) *à Christianissimis Regibus Ferdinando & Elisabetha jubentur, ut jacent, ad unguem inviolabiliter observari, reservatâ suę regali majestati earum legum interpretatione.*

818. Editas igitur eo fine tunc temporis fuisse dicas, ut in posterum observarentur; nec nos contrà dicimus, si adjungamus, non tunc primùm auctoritatem iis *Partitis* datam, quas omni dubio procul Alphonsus hujus nominis ultimus an. MCCCLXXXVI. Compluti manens, quadam promulgata sanctione, quamvis usque ad id tempus hac auctoritate carentes, (quod in lege 1. *Tauri* legimus) pro legibus suis haberi voluit.

819. Sed juris Hispani origines dabit peculiari opusculo huic operi, si per eum non steterit, inserendo, eruditus æquè atque amicus noster civisque D. Joannes Lucas Cortesius, regius criminum vindicandorum olim judex in curia Matritensi, nunc jam Indicarum rerum consilii senator optimus. At Lugdunensis ea, quam vidimus, editio quædam adjunxit, non è Montalvi penu, *leges* scilicet appendicis loco quibusdam adjectas titulis, è nova illa collectione *Taurinarum legum* à Joanna & Carolo filio post Alphonsi Montalvi obitum promulgatarum.

820. Compilatorem sive formatorem eundem Montalvum fuisse alterius operis, *Ordenamiento real* nuncupati, affirmat in hujus Commentario Didacus Perezius ad leg. 2. tit. 28. lib. 2. his verbis: *Virum mihi* (ait) *sanè literatissimum, & veritatis plenum, in suis commentariis Fori & Partitarum, qui etiam fuit compilator istius libri* Ordinamentorum, *ideòque maxima in æstimatione, veneratione, & pretio sunt ejus dicta à quocumque tenenda*. Hæc ille. Has etiam *Ordinamenti* leges, quas in syllogen istam redegerat, & glossis exposuerat, elencho exornavit; nam & ejus exstat cum eodem *Ordinamento*, & ad id *glossis & additionibus*.

821. *Repertorium super easdem leges* Hispali primùm operâ Meynardi Hungut & Stanislai Poloni anno MCDXCVI. in fol. deinde Salmanticæ editum MDXLIX. in folio.

CAPUT XV.

Ferdinandus Mexia Nobiliarii *auctor. Fortè idem cum* Ferdinando Aria Mexia. Franciscus de Leone *historiographus*. Bernardus Fenollar *Valentinus*. Joannes Lopez *Segobiensis*. Vincentius de Burgos. Julianus *Toletanus medicus*. Michael Perez *Valentinus*. Petrus Ximenez de Prexano, *sive* Prexamo. *Munera ab ipso obita*. *Ejus scripta*. Hieronymus Torrellas *Valentinus*. Alphonsus Camara *Conchensis*. Vascus da Gama *Lusitanus*. Joannes Arias de Avila *Segobiensis*. Hieronymus Paulus. Julianus Gutierres *Toletanus, medicus*. F. Thomas de Torquemada *Dominicanus*. *Ejus res gestæ*. Joannes de Ca-

pua. Gaubertus Fabricius de Vagad *Cisterciensis*. *Ejus Chronicon quo apud eruditos loco habetur*. Alphonsus Alvarus de Villa-sandino *poëta*. Angelus Estanyol *Barcinonensis*, *ordinis Prædicatorum*. Ferdinandus Vasurto. Georgius Manriquius, & Gomezius Manriquius. *Hic illius patruus*.

822. HUJUS temporis est Ferdinandus Mexia, urbis Giennensis in Bætica decurio, auctor cujusdam operis genealogici, quod vocavit *Nobiliario vero*, Hispali editum anno MCDXCII. folio, apud Petrum Brum & Joannem Gentilem. Unde multa de nobilium conditione, statuque, & muneribus, ac nobilitatis originibus, armorumque, & insignium gestamine & usu juxta mores nostros hauriri possunt. Nescio tamen an diversus idémve sit Ferdinandus Arias Mexia, quem è libro ejus *De la genealogia de España* laudavit Alphonsus Vanegas Toletanus in libro suo *De la agonia de la muerte* puncto 6. pag. 320. Air de genere materno suo, lib. 2. cap. 15. Rodericum de Narvaëz, celeberrimum illum temporis sui Antiquariæ urbis præfectum, avi sui fratrem fuisse.

823. Alphonso de Cardenas magno Magistro militaris ordinis S. Jacobi, qui hac florebat ætate, dicatam ejusdem ordinis historiam à Francisco de Leone, qui se vocat Commendatarium, laudatam invenio à D. Josepho Pellizerio regio chronographo in *Informatione domus de Sarmiento* fol. 13.

824. Anno MCDXCIII. in 4°. Valentiæ editum vidimus à Jacobo de Villa poëmatium vulgaris linguæ istius regni, auctore Bernardo Fenollar presbytero, cujus inscriptio hæc: *Istoria de la Passiò de nostre senyor Jesu Christ, ab algunes altres piadoses contemplacions, seguint lo Evangelista sant Johan: parlant per aquell Pere Martinez, & per tots los altres Mossen Bernat Fenollar*. Dicatum opus Elisabethæ de Villena, monasterii sanctæ Trinitatis in Valentina eadem urbe abbatissæ. Servat Matriti D. Hippolytus Samper sacerdos ordinis S. Mariæ de Montesa, & rector domûs Hospitalis Coronæ Aragoniæ.

825. Joannes Lopez Segobiensis, à Salmantinis præceptoribus acceptâ juris utriusque disciplinâ, deinde in hujus urbis gymnasio præceptor & ipse claruit. Porrò canonicum Decanumque Segobiensem anno MCDLXXVIII. jam creatum, Synodus per eos dies à Joanne Aria Davila, hujus civitatis præsule, habita, cui quidem is interfuit, in literas relata prodit. Eum exinde novercali fastidio tumens patria longè à se Romam usque expulit. Quò vindicandi honoris, parum ex decoro apud suos tractati, causâ profectus, variisque eo etiam loci ærumnis, necnon & castri S. Angeli carcere aliquot mensium vexatus; liber tandem Ecclesiæ urbis Senarum pro Francisco Piccolomineo antistite, eodemque S. R. E. Cardinali, Pontificeque sub Pii III. nomine nonnunquam creando, vicarium, turbatissimis Italiæ atque hujusce urbis sub Caroli VIII. Galliarum Regis Italicam expeditionem temporibus integrè gessit.

826. Ejus quidem vel hodie superstites libri auctoris sui commendationem, solidæque doctrinæ meritum ad posteros ferunt. Tractatus nempe

De matrimonio & legitimatione.

827. *De libertate Ecclesiastica*. Parisiis editus à Joanne Petit MDXIII. in 8°. & priùs Senis cum sequenti

828. *De confœderatione principum, & potestatum, unà cum quæstionibus aureis, notatuque dignissimis*. In cujus tractatus epistola nuncupatoria ad eundem Franciscum Piccolomineum Cardinal. data Senis VI. Kal. Septemb. MCDXCI. *Joannem Lupi de Segobia, & Protonotarium sedis Apostolicæ* se appellat. Prodiit Argentinæ ann. MDXI. Parisiisque MDXIII in 8°. necnon

829. *De bello & bellatoribus*. Quorum duo priores inter *Doctorum tractatus* vol. 9. ac reliqui 16. circumferuntur. Ejusdem alium

830. *De hæresi* tractatum inseruit suis in Partitarum leges commentariis Alphonsus Montalvus, nempe ad titulum 26. partitæ 6. Cujus rei admoniti sumus in commentario summi viri Didaci Covarrubiæ ad Reg. *Peccatum*. parte 2. principio, num. 7. *De regulis Juris* in 6. Erat quidem inter libros Olivariensis bibliothecæ, priusquam discerperetur inter varios post Comitis Olivarum obitum, *Joannis Lupi decani Segobiensis De hæresi & hæreticorum reconciliatione, eorumque pertinacium damnatione* tractatus in folio. De ulteriore autem Joannis vita post editionem horum de bellicis rebus tractatuum, quæ hac ferè tempestate Gallorum Regis Caroli huc adventantis, nempe circa annum MCDXCIV. & sequentem in urbe ipsa Senarum facta dicitur, deque exitu vitæ, nihil dum ex libris certum, aut ævi illius aliis vestigiis deprehendimus. Virum laudat Didacus Colmenares in *Viris illustribus Segobiensis* suæ *urbis* ad calcem historiæ.

831. Hoc eodem anno sæculi senescentis XCIV. editam novimus Tolosæ Gallorum ab Henrico Mejer in folio Hispanam versionem libri famigeratissimi Thomæ Anglici *De natura & proprietate rerum*, cui *De la naturaleza y propriedad de las cosas* inscripsit auctor Vincentius de Burgos ordinis . . .

. . . .

832. Julianus quidam Toletanus medicus, qui de curia se vocat Regis & Reginæ Hispaniæ, duo edidit his annis opera, alterum *De regimine potûs in lapidis præservationem*, MDXCIV. alterum *De computatione dierum criticorum* MDXCV. Toleti è Joannis Tellez officina emissa.

833. Legimus per eos dies prodiisse ex urbe Barcinonensi vernaculâ gentis linguâ Michaelis Perez Valentini *Deiparæ Mariæ Virginis vitam*, ann. scilicet MCDXCV. Cujus Castellanam versionem Hispali editam MDXXXI. in folio à Joanne Cromberger cum hoc titulo vidimus: *Vida y excelencias de nuestra señora, y de sus milagros*.

834. Pe-

834. Petrus Ximenez de Prexano (alii de Prexamo enunciant) natus in oppido quodam hujus nominis Calagurritani sacri territorii, eximius vir morum honestate, literis, prudentiaque in Salmanticensi lycæo sub Alphonso Tostato preceptore, simul & ad S. Bartholomeum collega, sacras literas didicit, idemque eas postmodum vespertinis horis S. T. Magister docuit. Ab schole muneribus Joannis Ariæ Davila Segobiensis Episcopi vicarius generalis, atque inde Toleti canonicus magistralis (uti vocant eum qui ex providentia Apostolica concionibus ad populum habendis preest) & quidem primus ab institutione fuit, necnon in eadem Ecclesia decanus, Complutensisque Synodi sub Alphonso Carrillo an. MCDLXXIX ad examinandos Petri Oxomensis errores habitæ, non minima pars. Certè illius in primis meminit bullato suo diplomate circa eam rem expedito Xystus Papa IV. Pacensi postea Ecclesiæ anno LXXXVII. Cauriensique præpositus anno LXXXIX. diem suum obiit in oppido Sanctæ-Crucis ejusdem diœcesis anno MCDXCV.

835. A Lucio Marineo Siculo inter viros ejus seculi principes hoc elogium meruit: *Hoc loco Petrus Ximenius Episcopus, præstantissimus theologus, & vitâ sanctissimus, commemorandus est. Hic enim & doctrina singulari & vitæ integritate maximam quidem meruit laudem. Nam cùm in juventute Salmanticæ literis laboriosissimè diligentissimeque operam dedisset, doctissimus evasit, adeò ut omnium suffragiis theologiæ professionem fuerit assequutus. Quam quidem facultatem plures annos professus, fructum uberrimum cunctis præbuit auditoribus. Postea verò suis meritis Toleti decanus electus est, deinde virtute ejus magis perspectâ, & vitæ sanctitate, Pacensis Episcopus institutus. Qua dignitate etsi libenter contentus, non ultrà quæreret quicquam statuerat; à Ferdinando tamen & Elisabetha, Christianissimis Hispaniæ Siciliæque principibus accersitus, Cauriensis Episcopatûs onus suscepit. Ubi ætate jam ingravescente atque urgente senecta, non se otio, non voluptatibus, non deliciis, ut plerique, sed componendis libris & clarissimis operibus destinavit.*

836. Sequuntur in elogio, eo ordine quo dabimus, elucubrata ab eo monumenta. Opera namque, & volumina Abulensis Episcopi, quæ latiùs & in immensum ferè diffusa erant, in duo volumina redegit,

Floretum scilicet nuncupans, hoc est, summam commentariorum illius in Mattheum, Hispali MCDXCI. duobus tomis in folio. *Composuit præterea* (ait) *opus excellentissimum, quod*

837. *Confutatorium errorum contra claves Ecclesiæ nuper editorum* appellavit, Alphonso eidem Carrillo Archiepiscopo dicatum, hoc est Petri Oxomensis à Synodo Complutensi damnatam doctrinâ Toleti MCDLXXXVI. Exstat & MS. in bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ pluteo 30. num. 10. *Scripsit quoque* (prosequitur) *opus aliud egregium Hispano sermone ad communem omnium utilitatem, quod, quia Christianis lumen præbet immensum, Christianæ vitæ Luciferum vocant*. Prodiit quidem hoc ita vernaculè inscriptum;

838. *Lucero de la vida Christiana*. Ad Elisabetham Reginam, Salmanticæ ann. MCDXCV. in folio. Prohibitum tamen *expurgatorio* nostro ultimo libro quanam ratione fuerit, nobis non adhuc notum. *Edidit præterea* (Marinæus inquit) *& alia quæ ad Christianam religionem fidemque Catholicam plurimum pertinent*. Quorum quidem non ullam alibi factam mentionem legimus. Prexani certè meminit historicus Henrici IV. Didacus Henrici à Castello in historia sua hujus Regis cap. 100. ut conscium eum traducens consignatæ in manus procerum, qui ab Henrico desciverant, Segobiæ urbis, unà cum Petro Aria Davila rationum regiarum præfecto, & Joanne Aria Segobiensi Episcopo, ejus fratre, cujus noster vicarium tunc temporis agebat. Sed Didacus Henrici totus est in rebus Henrici impotenter tuendis, & contrariis quibuscumque vituperandis.

839. Hieronymus Torrellas, medicus Valentinus, parente editus medico, & mathematico (si laudato filio credimus) egregio ..... Neapolis Reginæ ..... conjugi, Ferdinandi Regis Hispaniarum catholici sorori medicas operas ex munere habuit mancipatas. Scripsit denique ad eundem Ferdinandum Regem catholicum

840. *De imaginibus astrologicis* completum opus, ut ipse loquitur, anno MCDXCVI. editum verò absque anni mentione in 4°. Valentiæ apud Alphonsum de Orta; scilicet de hac quæstione: *An imagines cœlestes auro impressæ habere vim morborum expultricem sine ulla superstitione valeant*. Quod tandem in fine operis ex sententia S. Thomæ improbare videtur. De hac re vulgare Gallicæ linguæ opus exstat Jacobi Cafarelli *Curiositez inouyes*, hoc est, *Curiositates inauditæ*. Quod in Latinum versum cum Notis eruditis in lucem emisit Gregorius quidam Michaël Danus Flensburgensis Hamburgi MDCLXXVI. in 8°. duobus tomis.

841. Meminit ibidem alterius operis à se editi hisce verbis: *Saltem sequendo communem opinionem eorum qui tenent cœlos moveri ab intelligentiis per intellectum & voluntatem (ut aliquibus doctoribus placuit) aut per potentiam exsequutivam ab intellectu & voluntate distinctam, ut magnæ auctoritatis viri pro diffinito habent, sicut in opusculo nostro de hac materia ad utramque partem edito legere poterit Majestas tua* &c. Hic ille absque dubio est dominus Torrellas insignis astronomus, medicusque regius præstantissimus, ad quem literas dedit hac honoris nota inscriptas Lucius Marineus Siculus, quæ hodie lib. 17. epistolarum illius leguntur, gratias ut ei haberet, quòd Ferdinando ægrotanti sanguinem scissâ venâ minuendum jam sexagenario non censuisset.

842. Alphonsus Camara, patriâ, ut præ se fert, ex oppido Viena Conchensis diœcesis, auctor est *Recollectionis, sive Brachylogiæ, vel epitomatis Sacramentorum sanctæ matris Ecclesiæ*. Quod opus à se ante novem annos con-

conscriptum additionibus & Notis marginalibus locupletius in lucem emisit unà cum *De doctrina Christiana* libello, Hispali apud Joannem Nuremberg MCDXCVI. in 4°.

843. Magnus ille Asiaticæ Indię navigationis ope inventor, Lusitanus Typhis, VASCUS DA GAMA, gentis suę ornamentum ad omnem hominum memoriam perennaturum, de quo nihil dicere quàm pauca satius est, dedit reversus Emmanueli suo Regi populari Portugalliæ idiomate *Navigationis* suæ *ad Indiam anno MCDXCVII. relationem*, quæ lucem vidit.

844. Eodem anno MCDXCVII. vitâ cessit Romæ JOANNES ARIAS DE AVILA, filius Didaci, frater Petri Arias, sub Henrico Rege rationum regiarum utriusque magistri, Segobiensis urbis suæ Episcopus, quem de rebus Henrici ejusdem IV. Regis, cujus partes enixè fuit sequutus, quamvis vir honestus, & mores Regis aversatus, quo testimonio laudis ornat eum Alphonsus Palentinus in historiæ suæ Latinæ MS. lib. 10. cap. 1. aliquid commentatum fuisse, ad aures delatum fuit industrii, nec facilè aliis creduli, viri Didaci Colmenaris. Attamen ille ait *Segobiensis urbis historiæ* cap. 35. §. 13. neque se unquam vidisse, neque alium à se visam hanc historiam affirmantem audivisse a.

845. JULIANUM GUTIERRES, sive à patria, sive cognomine TOLETANUM, Catholici Reges medicum habuere, qui per hęc tempora scripsit *De la cura de la piedra, y dolor de la hijada*, atque edidit Toleti anno MCDXCVIII. typis Petri Hagembach Germani in folio, quam editionem penes nos habemus.

846. FR. THOMAS DE TOR-QUEMADA, oriundus ex hoc veteris Castellæ oppido, Dominicanorum sodalis in Pinciano cœnobio, animi virtute, literarum cultu, ac vitæ religiosæ sincera professione, ad eam claritudinem & apud omnes existimationem pervenit, ut nulli ex altioribus Ecclesiæ honoribus non par videretur. Catholicis enim Regibus fuit à confessionum sacramentalium munere, iisque auctor pręcipuus extitit purgandi regna sua Hebręorum fæce, atque instituendi anno sęculi octogesimo tertio novum hoc sacrorum fidei speculatorum vindicumque tribunal, quod ab inquirendi cura sanctam Inquisitionem nos appellamus: cujus ille principem locum tenuit. Atque eo quidem successu, ut obstinatorum judaïzantium & hæreticorum multa millia capitum rogo tradiderit, multoque majorem pœnitentium & conversorum numerum Ecclesię gremio exceperit. Ejusdem consilio post novem annos Judæis omnibus, qui hucusque inter nos vixerant, quorumque conversatione quamplures ex Christianorum numero quotidie perverti experientiâ fuit compertum, dictum fuit eodem tempore ab Hispaniæ provinciis omnibus Ferdinando atque Elisabethæ subditis exsilium, atque iisdem ditionibus vera & robusta fidei salus, quâ in posterum vigerent, restituta.

847. Nullo interim horum eximiorum facinorum pręmio alio signari voluit, quàm *Inquisitoris Generalis* munere, priorisque, ut vocant, cœnobii Segobiensis urbis appellatione; quo eum appellatum omnes historiæ clamant. Adeò ut neque Magistri pileum inter domesticos, pręsentati nominatione contentus, neque ab sic obnoxiis Regibus Hispalensis Ecclesiæ infulas sibi oblatas ut acceptaret, exorari se passus sit. Huic debet sanctæ Inquisitionis Magistratus & Inquisitorum ordo *Directorium* pro eorum instructione & muneris exercitio. Obiitque sanctissimè XVI. Kal. Octobris MCDXCVIII. in Abulensi S. Thomæ Aquinatis domo, nutu suo ex damnatorum bonis extructa. Videri poterunt pręter domesticos testes Hieronymus Surita lib. 20. *Annalium*, cap. 49. & lib. 1. *Rerum olim Ferdinandi Regis* cap. 6. Garibajus lib. 18. cap. 17.

848. Merces nostra forsan est, quanquam Italicum quicquam appellatio hominis præseferat, liber, quem vidisse se olim asseveravit D. Thomas Tamajus, scilicet JOANNIS DE CAPUA, *Exemplario contra engaños y peligros del mundo*. interpretationem scilicet Hispanam ex aliqua orientalium linguarum; cùm auctor dicat loquutum hunc librum Indicâ, Persicâ, Arabicâ, Hebraïcâ, & Latinâ linguis. Versionem verò hanc Hispanicam se confecisse ait in obsequium Matthęi Cardinalis S. Mariæ in Porticu. Burgis prodiit operâ M. Frederici MCDXCVIII. in folio. Nos autem nullum invenire potuimus Cardinalem, cui Matthęo nomen, S. Mariæ in Porticu, inter plures, quos Xystus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. horum annorum Pontifices, creavere.

849. GAUBERTUS FABRICIUS DE VAGAD, Cisterciensis monachus Aragoniæ regni, & monasterii sanctæ Fidei Cæsar-augustanæ urbis primum, deinde S. Joannis Pinnatensis, postquam in sęculari conditione vitæ (ut credimus) archirexilliferum egisset Joannis Aragonensis, Ferdinandi Regis fratris, & antistitis Cęsar-augustani, idem factus historicus regius, onus sibi sensit impositum elucubrandi res Aragoniæ Regum gestas: quod quidem excussis tabulariis publicis urbis Barcinonensis, monasteriorumque S. Victoriani ac de Populeto, & plusquam duodecim (ut alicubi ait) chronicis, id opus perduxit circa hujus sęculi finem. Exstat enim *La esclarecida coronica de los muy altos y muy poderosos principes y Reyes Cristianissimos de los siempre constantes y fidelissimos reynos de Sobrarves, de Aragon, de Valencia, y otros*, Castellæ idiomate formata, atque edita Cęsar-augustæ operâ Paulli Hurûs Constantiensis MCDXCIX. in folio. Fortè eadem est, quam sub nomine *Chronica antigua de Aragon* Valentiæ prodiisse anno MDXXIV. in folio in catalogo librorum Fresnęi Tricheti habemus.

850. Dubius autem sum, an Latina prodierit ab auctore: nam versam eam è Latino in vulgarem Gundisalvi à S. Maria operâ nonnusquam legimus. Hujus historiæ neque in *Annalibus* vulgaris linguæ, neque in Latinis *Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum*

a Hoc loci scriptum erat auctoris manu: *Hic de* HIERONYMO PAULLO. Sed tamen hujus scriptoris notitiâ destituimur. Quod annotare visum est, ne ab aliquo supinitatis aut negligentiæ accusetur Bibliothecæ auctor, undecumque circumspectus ac diligens. CARD. DE AGUIRRE.

ftarum factam à Surita mentionem vix credimus, raroque à Hieronymo Blanca.

851. Cęterùm varia est Aragonensium aliorum scriptorum de ea opinio. Vincentius Blascus Lanuza lib. 5. cap. 42. historiæ suę hujus regni, libris eum destitutum, aliisque rerum gestarum monumentis, frequenter inquit hallucinari, plurium Regum mentionem omittere, aliorum nomina mutare, verbisque ventosis ac superfluis supra modum effundi. Convenit Martinus Carrillo abbas Mont-aragonensis in quadam ad Joannem Brizium epistola [b]. Eandem historiam, si laudes immodicas, & non necessarias detrahas, in exiguum opusculum redigendam Joannes Vasęus in Chronici sui quarto capite censuit. Asperrimè in eandem invectus est Joannes de Molina, vernaculus interpres Latinæ Aragoniæ Regum Marinęi Siculi historiæ, Valentiæ, hac ex versione, anno MDXXIX. apud Joannem Jofre publicatę; odio hanc & oblivione damnatam jacere ajens, forsanque aliquantò magis hac ejus reprobationis memoria, quàm ex se ipsa posteris agnoscendam. Superfluitatem hanc, & injucundas, nec necessarias digressiones, nullus non agnoscit, reprehenditque.

[b] Principio *Historiæ sancti Joannis de la Peña.*

852. Attamen fidem à Lanuza ei denegatam asserunt eidem alii, diligentiamque ab eo adhibitam, Joannes Murillus nempe in *Historia imaginis sanctæ Mariæ del Pilar*, & Hieronymus à S. Josepho Carmelita excalceatus in *Genio historiæ*, qui ait multæ auctoritatis hanc esse historiam propter antiquitatem ejus, & originales notitias, quibus fuit usus, quampluraque pulcherrimè scripta in eadem reperiri. Nec dicas Suritam ad hanc Fabricii historiam respicere in indicibus ad an. DCCLVIII. quum veterem Aragonensium auctorem nullius artificii & diligentię, multa de regni origine scripsisse refert. Hunc enim ante ducentos annos facta Regum composuisse ait; intra autem eandem centuriam Surita & Gaubertus huic ornandę Spartę incubuere.

853. Ad hoc exeuntis sęculi tempus refero ALPHONSI ALVARI DE VILLASANDINO poëtę *Cantionarium* (*Cancionero* vulgus vocat) quo ad rem genealogicam illustraudam sese inter alios usum non ineptos versificatores, Gundisalvus ait Argote à Molina in *Bæticæ Nobilitatis* commentariis.

854. ANGELUS ESTANYOL Barcinonensis, ex sodalibus Prędicatoribus, sacrę theologię Magister, doctorque Parisiensis, quem catalogistę hujus ordinis scriptorum prętermittere solent, scripsit *Opera logicalia secundum Viam D. Thomæ*, Barcinone edita MDIV. in 4°.

855. FERDINANDUS DE VASURTO, verosimiliter Aragonensis, circa finem hujus sęculi scripsit carmine vulgaris linguę *Vitam S. Eurosiæ*, duce usus libro quodam hujus argumenti prosaïco, qui jam non exstat, portionarii cujusdam Jaccensis Ecclesię; cujus rei auctor est Vincentius Blascus Lanuza *Historiarum Aragonensium* parte 1. lib. 3. cap. 21. & Fr. Martinus de Cruce in historia vulgari ejusdem sanctę virginis passim hoc opus laudat. Prodiit Cęsar-augustę an. MDXXXIX. apud Georgium Cocci, quo tempore adhuc vivebat auctor, natus, atque etiam florens, hoc quod percurrimus sęculo. Nam & Granatensi bello interfuit circa an. MCDXCII. Cujus & dialogus exstat Hispanus inter equitē quendam venatorem ac senem piscatorem, D. Petro Martini à Luna primo Comiti de Morata nuncupatus, in quo multa Hispanię, atque in primis Aragoniæ regni, historica complectitur. Cujus rei certior factus sum ab amico nostro Didaco Josepho Dormer Aragoniæ chronographo.

856. Dabimus hîc par quoddam heroum, quorum innatus generis splendor vix adęquavit meritum literarum, ac totius virtutis, studio & exercitatione quęsitum. Manriquia domus utrumque produxit, Gomezium & Georgium, de quibus seorsum agendum est. GEORGIUS MANRIQUIUS eques ordinis S. Jacobi, & Commendatarius, Roderici Manriquii ejusdem ordinis pręfecti, seu proprio verbo Magistri, Comitis *de Paredes de Nava* ex Beatrice Mendozia filius, quem speciali elogio Ferdinandus Pulgar, uti fortissimum militem, bisque Marinęus Siculus, & alii, celebravere, Petri Manriquii regni Legionensis Adelantati, ut vocant, nepos, viri tempore suo, hoc est Joannis II. Regis, in paucis clari, qui & ipse Ferdinandi Perezii à Guzman elogium promeruit.

857. Exstat, uti nuper diximus, libro 5. Marinęi Siculi *De rebus sive laudibus Hispanię* semel atq; iterum Roderico Manriquio redditum non persunctorium laudis obsequium, in quorum primo elogio, *Moriens autem* (ait) *Georgium quendam reliquit filium, virum ingenio satis illustrem. Quippe qui multa scripsit eloquio Hispano, atque genere carminis, quæ vatibus & moralibus philosophis digna censeri debent. Eum enim poëtam ac philosophum natura formavit ac peperit*. Cujus deinde filium Alphonsum, literis, cùm hęc scriberet, Salmanticæ vacantem, paternæ virtutis imitatorem celebrat.

858. In his omnibus, quæ tempus edax ferè perdidit, veluti principatum obtinuit semper elegantissimum, & omnibus numeris absolutum, illius licèt ætatis rudioris, carmen, quo parentis sui obitum deplorans, mundi vanitatem, & rerum inconstantiam veluti penicillo descripsit. Carminis principium:

Recuerde el alma dormida,
Avive el seso, y dispierte,
Contemplando
Como se passa la vida,
Como se viene la muerte
Tan callando.

Huic glossam, metricam quoque eam, subjunxit Franciscus de Guzman in bibliothecę altera parte à nobis dicendus, dedicavitque opus Antuerpiæ excusum cum aliis anno MDXCIV. serenissimæ Eleonoræ, cùm viveret Francorum Reginæ.

859. Frater fuit Alphonsi Manriquii Hispalensis antistitis, sanctęque Romanę Ecclesiæ Cardinalis, natus forsan in *Paredes* oppido

do diœcesis Palentinę, quod ſe non nunquam audiviſſe Ægidius Gundiſalvi Davila alicubi refert. De anno, quo vitâ functus fuit, certiores fieri cupimus.

860. Alter fuit GOMEZIUS MANRIQUIUS Petri Manriquii filius, Legionenſis Adelantati proximè laudati, Roderici ordinis S. Jacobi Magiſtri germanus frater, Georgii, de quo nuper ſumus loquuti, patruus. Hunc non alio magis idoneo quàm Lucii ejuſdem Marinęi Siculi, hujus temporis ęqualis, teſtimonio commendatum poſteris tradere poſſumus. Hic enim dum de Petro genitore ejus, atque Jacobo ſeu Didaco fratre, primogenito Triviniensi Comite, verba feciſſet, *Gomezius inſuper* (ait lib. 5. *De laudibus Hiſpaniæ*) *me minus de ſe tacere permittit. Fuit enim in adminiſtranda republica cæteriſque negotiis prudentiſſimus. Ideoque Toleti ſibi reſpublica commiſſa eſt. Plurimum namque conſilio claruit. In bello quoque gerendo fortiſſimus fuit, atque in literis eruditus. Quare licèt Hiſpano ſermone, multos tamen libros, tum carmine, tum ſoluta oratione elegantiſſimè compoſitos reliquit. Nam cum eloquentia ſingulari quandam quoque vim poëticam illi natura conceſſerat. Erat præterea juſtitiæ maximus cultor, atque veritatis ſummus amator, utpote qui non cùm hoc tùm illud (ut pleriq; ſolent) ſed ſemper idem dicebat. Suos autem & familiares & domeſticos non minus à ſe erudiri, & mores optimos atque urbanitatem edoceri, quàm ſibi ſervire cupiebat. Ideoq́ue domus ejus cunctis Hiſpaniæ principibus ad bene beateq́ue vivendum ſemper exemplo fuit; quapropter ab omnibus mirum in modum colebatur.*

861. Ex his Marinęi prętermittere quicquam piaculum eſſet. Pręſtat enim exemplaria hęc fructuoſæ ac verę nobilitatis, quę, dicente poëta, *unica virtus eſt*, frequenter ob oculos poni; cùm jam non ii ſimus, neque quod verè nobiles, ſed quod ventoſos & nullius pretii ac frugis reddit, conſequi majoris partis cura & votum habeatur. Hujus Gomezii eſt pro aliis quę deſiderantur, ſolatio & ſpecimini ſemper futurum, *Epicedium* metricum; quod in obitum magni Sanctæ-Julianæ Marchionis Enneci Lupi à Mendoza olim compoſuit, de quo in hujus mentione egimus.

862. Certè Thomas Tamajus meminit libri cujuſdam *Regimiento de principes* dicti, ac verſibus ſcripti, Gomezii Manriquii nomen pręſeferentis, ac typis rudi adhuc typographiæ arte editi, quem hactenus non vidimus.

863. In quodam miſcellaneo codice Hiſpalenſis metropolitanæ Eccleſię, quæ fuit Ferdinandi de Colon, Chriſtophori Magni filii, ſervatur epiſtola quędam Gomezii hujus ad Didacum Arias Davila regiarum rationum pręfectum, *ſobre que no le bavia querido librar los maravedis que tenia en los libros del Rey*. Atqui utriuſque horum literis, & virtute bellica, & civili clarorum ejuſdem nobiliſſimæ domûs virorum, cùm, quandonam obierint, ignoremus, aliquando, hoc eſt ad hujus ſęculi finem, celebrari memoria debuit.

CAPUT XVI.

GUILIELMUS DE MONSERRAT *Catalanus*. GUILIELMUS GORRIS *Aragonenſis*. GUNDISALVUS DE FRIAS *Hieronymianus monachus*. GOMEZIUS *quidam Franciſcanus*. JOANNES ALVAREZ GATO *Matritenſis poëta*. JOANNES ALPHONSUS DE BENAVENTE. *Ejus opera*. HIERONYMUS *quidam Ciſtercienſis monachus*. JOANNES IVANDUS DE BARDAXI *Aragonenſis*. TRISTANUS DE SYLVA *Civitatenſis*. FERDINANDUS DE RIBERA *poëta & hiſtoricus*. ALPHONSUS DE FLORES *Salmanticenſis*. DIDACUS HENRIQUEZ DEL CASTILLO *Segobienſis*. JOANNES CONSOBRINUS *Luſitanus*. PETRUS NUÑEZ DE OSMA. ALPHONSUS DE SOTO *Civitatenſis*. BONIFACIUS *quidam Luſitanus*. PETRUS CASTROVOL *forſan Hiſpanus*. JOANNES HISPALENSIS *Auguſtinianus*. DIDACUS BERNALDEZ *parochus in diœceſi Hiſpalenſi*. ANONYMUS *quidam auctor hiſtoriæ D. Roderici Ponze de Leon*. MARTINUS PERTUSA *juriſconſultus*. ANTONIUS GARSIAS DE VILLALPANDO *Toletanæ Eccleſiæ canonicus*. PETRUS TERRASA *Carmelitanus*. PETRUS TOMICH *Catalanus*. *Ejus in hiſtoria errores, ſeu potiùs deliramenta*. ANONYMUS, DE PALMA *cognominatus*. ALPHONSUS DE FUENTIDUEÑA *Franciſcanus*. BERNARDUS SENOLLAR *Catalanus poëta*. PETRUS DE LA PANDA.

864. DUO Guilielmi capite iſto agmen ducent. Alter GUILIELMUS DE MONSERRAT Cataloniæ ac Tarraconenſis, ſive urbis ſive tractus, civis, de quo videndus Ludovicus Pons Icart in *Antiquitatibus Tarraconenſibus* cap. 42. patriâ relictâ, ſtudiorum ad mercatum Pariſios ſe contulit; in qua urbe gratiam ſe promeruiſſe Guidonis de Rochefort, qui ſub Ludovico XII. circa an. MCDXCVII. Franciæ cancellarius fuit, eidem referenti credere debemus. Agebatur tunc temporis quæſtio in Galliis de ſanctione pragmatica quam Carolus VII. Rex anno MCDXXXIX. promulgaverat: quæ deinde Franciſco I. Rege, concordatis cum Leone X. Pontifice ſtabilitis anno MDXV. bona ex parte mollita fuit, ſive potiùs de quibuſdam ejuſdem ſanctionis effectibus & uſu. Qua arrepta occaſione de regno iſto bene merendi, & aliquo edito in publicum grato opere, non inutilem ſe vivere Galliarum civem oſtendendi, Georgio de Amboïſe Rhotomagenſi Archiepiſcopo & S. R. E. Cardinali obtulit

865. *Super pragmatica iſta ſanctione* quendam *commentarium*, quinque partibus diviſum, quarum prima eſt *De poteſtate generalis Concilii, ac de Epiſcoporum electione*. II. *De intellectu regulæ cujuſdam circa hanc Baſileenſis Concilii*. III. *De reſervationibus per Papam ex rationabili cauſſa factis*. V. *De regia prærogativa in electivis dignitatibus*. In cujus operis pręfatione ad laudatum Cardinalem, ſibi ait in neutram partem curæ fuiſſe adhęrere, cùm utrique ſit ignotus & advena, nec ferre ſententiam, quæ ad ſe non pertinet; affirmatque

que demum tenere se & approbare quod sancta mater Ecclesia tenet atque approbat, cujus judicio ac determinationi se humiliter submittit. Citatur sępiùs hic liber à Philippo Probo in *Additionibus ad glossam super banc pragmaticam*, & à Ludovico Gomezio in Regulas Cancellariæ sub nomenclatura Guilielmi Hispani. Prodiit hac nostra ętate primùm, ni fallimur, in *Historiæ pragmaticæ* prædictæ & *concordatorum* altera parte, Parisiis editæ anno MDCLXVI. Scripsit idem

866. *De successione Regum Franciæ* tractatum, qui legitur volum. 13. *Tractatuum doctorum*.

867. GUILIELMUS alter GORRIS Aragonensis (quem Lucas Wadingus Franciscanis suis annumerat, hac una conjectura ductus, quòd Scoto illustrando insudaverit) scripsit in usum pauperum & peregrinantium librum, qui sic inscriptus exstat:

868. *Scotus pauperum, in quo doctorum, & Scoti opiniones in quatuor libris Sententiarum contentæ dilucidantur, Tolosæ* (additur) *editum per eximium artium & Sac. theologiæ professorem Guilielmum Gorris Aragonensem, ad pauperum utilitatem feliciter incipit: Quamquam componendi codices* &c. Vidimus in 4°. editum Tolosæ absque temporis ulla nota in bibliotheca Barberina Romæ, ubi & vidit Alba, qui in *Militia conceptionis* opus laudat. Dirigitur ad illustrissimum D.D. Alphonsum de Aragonia Cęsar-augustanum antistitem dignissimum, cui (ut adjungit auctor) *subditus Guilielmus Gorris post devotissima pedum oscula se humillimè commendat*. Quæ subditi appellatio magis indicat sęcularem quàm regularem clericum Guilielmum fuisse. Scripsisse autem eum ante MD. annum ex eo liquet, quòd prophetiæ cujusdam meminerit indicentis Machometanę impietati hujus anni exitum.

869. Non diversi temporis eit GUNDISALVUS DE FRIAS Hieronymianus monachus domûs del Parral, natus in oppido *Arroyuelo* diœcesis Burgensis. Qui cùm olim in Salmantino gymnasio philosophiam, theologiamque, atque artes rhetoricam & mathematicas per quindecim annos avidissimè didicisset, & scholasticam docuisset theologiam, concionum habendarum operi magno fructu addictus in Granatensis nuper à Mauris receptæ urbis cœnobio, coram ejus antistite Ferdinando Talabricensi eximiam laudem reportavit. Plura de eo Josephus Seguntinus lib. 4. *Historiæ ordinis S. Hieronymi* cap. 42. Qui reliquisse eum refert in cœnobio *del Parral* manu propria, & minutis characteribus exarata sedecim aut septemdecim volumina. Pars eorum transcripta aliunde juxta necessitatem eorum temporum, quibus editiones sic erant raræ, qualia sunt S. Thomę *Summa*, Boëthii *De consolatione*, & aliorum opera, pars propriæ inventionis, scilicet

870. *Philosophiam, ethicam, politicam, & œconomicam*.

871. *Sermonum* duo volumina, alterum *pro Dominicis & feriis per annum*, alterum *De Sanctis*.

872. *Super cantica Salomonis* volumen grande ad preces Joannis Lopez, Elisabethæ Reginæ à secretis.

873. *Epistolarum* grande aliud volumen.

874. *Historiam fundationis monasterii Sancti Hieronymi Granatensis*. Et alia, quę deperdita inter manus incuriosorum juvenum fuisse lamentatur idem auctor lib. 11. cap. 21.

875. Accumulamus jamjam absoluturi hujus sęculi descriptionem scriptores quosdam, quorum tempora licèt in incerto sint quodammodò; ex bonis tamen conjecturis vix alio, quàm quod percurrimus, florere potuerunt. GOMEZIUS quidam Franciscanus celebratur sic à Possevino, unde Wadingus profecit, nihil de domestico adjungens: *Gomezius Hispanus ordinis Minorum, scripsit De unuscujusque scientiæ, ac præsertim de naturalis philosophiæ, subjecto. Incipit: Verum secundum philosophos*. Hęc Possevinus. Franciscus Gonzaga: *De cujuscumque scientiæ subjecto*. Librum non vidimus; existimamus tamen eundem cum Gomezio Lusitano esse, cui inscriptum exstat inter alia Hermici Cajadi, de quo poëta Lusitano in altera parte Bibliothecæ nos agimus, hoc epigramma:

876. Ad Gomezium Lusitanum theologum.

Communi grator patriæ, quæ te quoque alumnum
Inter delicias gaudet habere suas.
Gramina dum terræ fuerint, dum sydera cœlo,
Per te tolletur noster ad astra Tagus.
Tu rerum causas nôsti, tu mystica sacra,
Quæque sub obscura nube latere solent.
Occuluit natura nihil tibi. Tu potes ipsos
Sublimi haud dubiè scandere mente polos.
Quid sanctos referam mores, vitamque probatam?
Quid linguæ referam plectra Latina tuæ?
Nil mortale sapis. Divinas cuncta Gometi:
E citra cineres diceris esse Deus.

877. JOANNES ALVAREZ GATO Matritensis, temporibus Joannis II. Henrici IV. & Ferdinandi Regum ęqualis, poëta fuit pro hujus ævi captu celebris, & Elisabethæ Reginæ catholicę œconomus, quod munus ejus authentico instrumento comprobari Ægidius Gundisalvi Davila in *Magnalium Matritensium* opere pag. 198. ait. Sepultumque in Ecclesia S. Salvatoris parœciali jacere, cujus sepulturæ inscriptionem ibidem adducit. Carmina ejus, tam sacra quàm profana, in oppido *Chinchon* penes Garsiam Diaz Gato, ejusdem, ut videtur, familiæ, exstare, idem refert Avila.

878. JOANNES ALPHONSUS DE BENAVENTE, ex quo nobilissimo veteris Castellæ oppido fuit oriundus, laudandus à nobis hoc loco venit, non aliis quàm Lucii Marinęi Siculi verbis, qui inter alios viros Hispaniæ claros ejus meminit lib. 7. *De Hispaniæ laudibus*: *Atqui Joannes Alphonsus Beneventanus, doctor egregius, laudem quidem inter viros literis excellentes meruit non mediocrem; qui quantò doctrina & ingenio claruerit, sua quidem opera, quæ multa & egregiè scripta reliquit, facilè declarant. Tempore enim quo Salmanticæ Jus profitebatur Pontificium, plura composuit, atque in primis pulcherrimam concionem, quam die Sancti Lucæ publicè in Salmantino literarum gymnasio*

ſio de ſcientiarum laudibus habuit. Item compoſuit De arte ſtudendi legendiq; Item De memoria & pronunciatione. Item ſcripſit xx.*repetitiones. Item in Decretalibus ac Decreto multas interpretationes. Atque cùm etiam neque theologiam neque philoſophiam ignoraverit, in Euangelia, atque Ariſtotelis ethicam atque rhetoricam plura edidit; alioſque tractatus permultos. Denique hujus ſcripta atque editiones ſexaginta numerum excedunt. Fuit præterea Salmanticæ plures annos canonici Juris præſtantiſſimus profeſſor, & qui plurimum auditoribus profuit.* Subjungitque Joannis Alphonſi patris mentionem, ejus filii Alphonſi. *Cæterùm hunc filius Alphonſus* (inquit) *Beneventanus doctor* (*ita communiter audiebat* : Dotor de Benavente) *in profeſſione ſucceſſit, qui noſtra tempeſtate magna & doctrina & auctoritate Jus idem Pontificium pleniſſimè docet*. Hęc Marinęus, qui ejuſdem operis lib. 2. memorans profeſſores Salmantini gymnaſii temporis quo id ſcribebat, *Profitetur* (ait) *& Jus Pontificium Alphonſus etiam Beneventanus doctor inſignis, qui Joanni patri ſuo, viro doctiſſimo ac præſtantiſſimo, de quo ſcripturi ſumus cùm de viris literis excellentibus loquemur* (alludit ad teſtimonium id quod exhibuimus) *ſucceſſit*.

879. Si autem credimus eidem filio Alphonſo de patre referenti, ut par eſt in viro tam alias claro, quemque facere, omnes ferè diſciplinas Joannes Alphonſus & liberales artes fuit proſequutus, nec minùs quàm ſexaginta, & ultrà, annis in academia iſta, non Juris tantùm Pontificii, Decretalium nempe ac Decreti, verùm & rhetoricæ & philoſophiæ profeſſor fuit. Ita Alphonſus in ad opus parentis pręfatione, quod in ſchedis relictum poſt ejus obitum ipſe edidit, ſcilicet:

880. *Tractatum De pœnitentiis & actibus pœnitentium, & confeſſorum, cum forma abſolutionum, & canonibus pœnitentiariis*. Salmanticæ apud Joannem Gyſſer de Silgenſtad ann. MDII. in 4o. atque iterum Burgis MDXVI. in 4°. Editio Salmanticenſis exſtat Hiſpali in bibliotheca majoris Eccleſiæ. Cui operi ſubjungimus ea, quorum Marinęus recordatur, forſan typis nondum commiſſorum,

881. *Orationem De ſcientiarum laudibus, in gymnaſio Salmantino die S. Lucæ habitam*, quo inchoantur ſtudia,

882. *De arte ſtudendi legendique*.

883. *De memoria & pronunciatione*.

884. *Repetitiones diverſorum canonum* xx. Et *interpretationes* item plurimas

885. *In Ariſtotelis ethicam & rhetoricam*.

886. *In Euangelia*. Et alios multos tractatus, ultra ſexaginta.

887. Hieronymus quidam Ciſtercienſis monachus monaſterii S. Mariæ *de Benifazà* laudatur, eo quòd ſcripſerit vulgari ſermone *Hiſtoriam Joannis II. Aragoniæ Regis*, atque item *Arborem* genealogico more expanſam *ſucceſſionis Regum Aragoniæ*. Vincentius Blaſcus lib. 5. cap. 37. *Hiſtoriarum Aragonenſium* auctor eſt.

888. Joannes Ivandus de Bardaxi Aragoniæ civis ſcripſiſſe dicitur in Foros hujus regni, quomodo leges appellant gentis; quem auctorem *doctiſſimi & prudentiſſimi juriſconſulti* appellatione ornatum laudat Cenedus in quęſtione 45. *Dominum* vocant *de Balleſter & Selva*; ad eumque pertinet, ut audio, commentarius ita inſcriptus: *Suma de los fueros y obſervaciones del reyno de Aragon, y determinacion, y practica, referidas por Miſſer Miguel en ſu Reportorio*. Cęſar-auguſtæ apud Joannem Altataque MDLXXXVII.

889. Tristanus de Sylva Civitatenſis eques nobiliſſimus, inter eos accenſeri ſolet, qui de rebus catholicorum Regum geſtis aliquid in literas retulere. Marinęi Siculi verba hęc teſtimonio ſunt principio xx. libri: *Meminerunt etiam belli Granatenſis protonotarius Petrus Martyr, Gonſalus Ayora Cordubenſis, regius hiſtoriographus, Alphonſus Palentinus, & Triſtanus Sylvius*. Id quod confirmat Stephanus Garibajus lib. 18. *Compendii hiſtoriarum Hiſpaniæ* cap. 1.

890. Ejuſdem ordinis eſt Ferdinandus de Ribera, civis urbis Bæticæ provinciæ *Baza* dictæ, quem idem Stephanus Garibajus cap. 1. lib. 18. ſui *Compendii* ſcripſiſſe ait vulgari carmine eleganti, nec minori fide, *Catholicorum* eorundem *Regum res*, niſi quòd in manus deveniens liber D. Henrici Regis Ferdinandi avunculi, ac domûs Magiſtri, effugere(id quod fama fert) neutiquam potuit; quin ab eo quod erat in multis diverſus exierit, atque eo quidem vultu, quem appinxit ei laudatus Henricus, quem malè habebat, ea non pro deſiderio atque ambitu ſuo ab hiſtorico poëta referri.

891. Adjungimus ejuſdem Garibaji fide his duobus Ferdinandi & magnæ conjugis hiſtoricis Alphonsum de Flores Salmanticenſem. Nam & hic partem aliquam habuit in de horum rebus admonenda poſteritate, *De his* pręcipuè, *quæ in bello Luſitano juxta urbes Taurum Zamoramque contigere*.

892. Conjicimus in hoc & alia capita, quibus abſolvendus eſt liber ultimi hujus ſęculi nomenclator, eos omnes, quos quidem eo vixiſſe, non tamen, quo ejus anno vitâ functi ſunt, compertum habemus. Didacus Henriquez del Castillo unus ex his eſt, cujus diem obitûs cives etiam ejus Segobienſes ignorant. In hac etenim urbe natum, ex Caſtellorum familia, quæ jam extincta fuit, Didacus Colmenares in hiſtoria ejuſdem urbis, ubi celebrat viros ejus illuſtres, diſertè ait. Archi-cappellanus fuit, & à conſiliis Henrico Caſtellæ Regi IV. & intimè charus, magnique habitus, utpote qui ejus partibus intemerata fide quoquo tempore addictus, legationem non unam ejus nomine obivit. Neque contemnendum hujus magnæ de eo exiſtimationis indicium Henricus dedit, cùm venienti ad ſe Roderico Borgiæ Cardinali, qui Alexander VI. Pontifex aliquando fuit, Xyſti Papæ IV. nomine cum viro aliquo à Rege deſtinando de rebus magni ponderis acturo, unum inter tot alios Caſtellum delegit, cui fidiſſimo erga ſe, & negotiis quibuſcumque tractandis idoneo, id munus committeret:

quod

quod idem refert historiographus historiæ laudatæ cap. 159.

893. Huic eidem partes traditæ sunt conscribendorum Regis sui temporisque gestorum, quam difficillimam turbatissimis rebus domesticis, & inter factiones diviso imperio, alioque, atque aliò tractis, partium odio aut amore, judiciis hominum, provinciam non sine laude, etiam eorum qui ex adverso erant, & victricis demum caussæ defensorem gessisse visus fuit. Alphonsus enim Palentinus Elisabethæ Reginæ sequutus partes, ejusdem temporis, earundemque rerum descriptionem, plaudente narratis exitu feliciùs peregit. Nec tamen in Castello desideres, quoties honestas expetit, veri dicendi amorem. Regi enim exprobrat non obscuris verbis immoderatam erga Joan. Paciecum, quamvis aliàs virum multis virtutibus commendabilem, animi alienationem, quam & malis artibus ac veneficiis procuratam ab eo fuisse, claris admodum indiciis in suspicionem hominum venisse ait. Elisabetam Reginam eo quo decebat verborum obsequio prosequuta ubique fuit, nec dissimulat Joannæ caussam quampluribus haud legitimorum argumentis natalium premi: laudatque Dei optimi maximi providentiam in disponenda per tot casuum discrimina Elisabethæ successione.

894. Excusat certè is in historiæ prooemio, si quid minùs compertum in enarrandis Henrici rebus prosperis sibi excidisset. Dum enim ea gererentur, Segobiæ is captus, & in potestate magnatum Regi adversantium, non sine magno vitæ periculo fuit; omniumque ad hoc tempus à se historiæ corpori commissorum jacturam fecit. Quod nos hic subjiciemus, verbis ipsis laudati Alphonsi Palentini lib. 10. historiæ suæ ejusdem temporis & argumenti MS. cap. 1. dum captam ab Alphonso Rege Segobiam urbem, in qua degebat Castellus, refert. *Postquam Segobiam & suburbia omnia possedere Alphonsini duo equites, quorum alter Toletani* (Archiepiscopi) *alter verò Magistri S. Jacobi, percepere quodam in hospitio mulierculæ repositas fuisse sarcinulas cujusdam historiographi Henriciani, & jumenta duo. Prorumpunt confestim, & deductis jumentis arcas duas portatiles referunt. Sed ubi vident libellos tantùm in iis esse, monumenta recondita deferunt ad Archiepiscopum. Qui primus aperit libellos monumentorum, & reperit Henrici Annales contineri innumeris mendaciis plenos. Haud multò pòst ducitur historiographus ille, cui nomen Didacus del Castillo. Tunc Toletanus coram optimatibus aperit novissimam narrationem Ulmetensis prœlii, quod ad dies quadraginta dehinc acciderat, præsentibus commune atque recens. Perlegit in codice manifestas inconditasque nugas. Silet auctor; neque interrogantibus rectè respondit. Jubet Rex Alphonsus plecti: obstitit in fine Ecclesiasticum nomen. Mihi codicilli traduntur observandi, ut modus investigaretur publicationi nugarum. Sed ut omnia præcipitabantur, precibus nonnullorum procerum, & mendax auctor evasit & libellos Toletano restitui.* Hucusque Palentinus.

895. Nec mirum partes sequutum Henrici Castellum, venalem aut obnoxium calamum ad historiam adduxisse. Vero autem simile videtur, eo mortuo prævalenteque adversaria parte, ad incudem scripta revocâsse, multaque in ea quam hodie habemus adhuc ineditam ejus historiam in melius commutâsse. Quæ incipit: *Quanto los principes señalados* &c. & CLXVIII. capitibus continetur, de qua videndus Colmenares laudatus, & Garibajus lib. 17. cap. 3. Exempla ejus quædam sunt in bibliotheca Vill-umbrosana Matritensi, & passim alibi.

896. JOANNIS CONSOBRINI (vulgò SOBRINHO) Lusitani tempus mortis incompertum est; vixisse autem exeunte hoc sæculo, Joanni Trithemio haud credentes, qui extinctum diu antè, anno sæculi LXXV. scriptum reliquit, Lusitani asserunt. Civis enim eorum fuit Ulyssippone natus, ordini Carmelitarum aggregatus. Neque dicunt, quo fato Lusitanus homo in Angliam venerit adolescens, ibique in Oxoniensi academia literis operam dederit. His adjungunt, in Italico Bononiæ urbis gymnasio theologum doctorem creatum, atque in patria concionatorem regium, Portugalliæ provincialem præfectum, necnon & Alphonsum V. & genitorem ejus Eduardum docuisse literas. Cujus rei non impossibilis, eodem scilicet præceptore usum utrumque, fidem affirmantibus, non derogamus. Concionibus operam habendis magna cum laude dedisse fertur, ac post edita quædam in publicum opera veneno sublatum dolo Judæorum fuisse.

897. Scripsit tractatum utilissimum *De justitia commutativa, arte campsoria, ac alearum ludo*. Prodiit ex officina Parisiensi Guidonis, aliàs Gedionis, mercatoris in campo Gaithardi anno MCDXCVI. in 8°. Georgius quidem Cardosus in *Hagiologio Lusitano*, qui Consobrini meminit, die XI. Januarii, editum opus anno MCDLXXXVI. in 4°. referens deceptus fortè fuit.

898. *Super Aristotelem* lucubrationes quasdam ejus, & *Sermones varios* laudat Joannes Trithemius. Hos autem sermones prodiisse etiam foras audio.

899. Francisci necnon Mayronis *Conflatile*, sive hujus appellationis opus logicum, cujus Wadingus in Mayrone meminit, redegit in compendium. Item *De conceptione Deiparæ Virginis*, ac vernaculè ad Eduardum Regem discipulum *O regimento de ouvir con perfeiçaõ ò santo sacrificio da Missa*. Hoc est, *Instructionem ad perfectè audiendum sacrum*.

900. PETRI NUÑEZ DE OSMA nomen præfefert liber quidam MS. in quo hæc habentur: *Los libros de los Macabeos traducidos en Romance à instancias de Lope de Acuña*

901. *Suma de virtuoso deseo*.

902. *Un sumario de los Reyes de Leon y Castilla, desde Don Pelayo hasta los Reyes Catolicos*. Exstat in bibliotheca Comitis olim de Villa-umbrosa, Castellæ magni Consilii præsidis.

903. Fini hujus sæculi adjudicamus ALPHONSUM DE SOTO Civitatensem, cujus fama in aperto loco posita est, non item res in pa-

tria geſtæ. Saltem vixiſſe Romæ juris praxi deditum per viginti duos annos, atque in eadem Romana academia, & alibi id ipſum jus docuiſſe novimus, ejus hæc verba legentes: *Nam viginti tribus annis volvi & revolvi Jus canonicum & civile, quorum* XXII. *practicavi in curia, & legi hîc quinque, & in partibus tribus, tamen nunquam reperi* &c. *in gloſſemate ad Regulam de triennali*, de quo opere jam dicemus. Floruit hic maximè ſub Innocentio VIII. qui anno hujus ſæculi XCII. in vivis eſſe deſiit. Cujus temporis eſt monumentum quod nobis doctrinæ ſuæ reliquit, ſcilicet

904. *Gloſſam perpetuam ad Regulas Cancellariæ Innocentii VIII. Papæ*. Hæ ſunt leges, quibus unuſquiſque Pontifex ſtatim ab electione ſua beneficialia negotia omnia expediri debere ſtatuit, quæ nimirum eædem ferè omnium ſunt, nec niſi raro mutantur. Hanc gloſſam edidit, ſed non primus, Joannes à Chokier Leodienſis Eccleſiæ canonicus, cum ſuis ad eaſdem Regulas Cancellariæ nomine Paulli V. promulgatas commentariis anno MDCXXI. Coloniæ in 4°. ſed abſque nota loci temporiſve typis editam olim novimus cum hac epigraphe: *Alphonſi à Soto Civitatenſis, & Salmantini Theſaurarii opuſculum, ſeu commentarius in Regulas Cancellariæ Innocentii VIII.* in 4°. Cujus quidem Alphonſi veterem operam veluti utilem & doctam ii laudant, qui poſt eum etiam ante Chokier prædictum eidem incubuerunt operi, ſeu aliàs *De beneficiali re* commentati ſunt.

905. Meminit quidem ejus gloſſæ Quintilianus Mandoſius, qui Regulis Julii III. commentarium librum appoſuit, in ipſo illius principio, uti & Hieronymus Gonzalez in procemio ad legem 8. At & alibi Mandoſius dixit Alphonſum terminos quoſdam præclaris etiam doctoribus ignotos declarâſſe, pluresque nodos inſolubiles ſolvendi viam oſtendiſſe: quod Chokier ipſe teſtatur in præfatione ad lectorem ſuorum commentariorum; ubi etiam notat ex Garſiæ teſtimonio in tractatu *De Beneficiis* hanc gloſſam maximi factam ſemper in Auditorum, ut vocant, Rotæ dicaſterio. Id Garſia habet par. 5. *De Beneficiis* cap. 1. §. 5. num. 275. Sed & Æneas de Falconibus in tractatu *Reſervationum* ſecunda quæſt. principali, num. 2. *Alphonſus à Soto* (inquit) *qui commentavit Regulas Cancellariæ tempore Innocentii VIII. de quo nonnulli curiales truffantur; ſed judicio meo non eſt contemnendus* &c. Approbantur planè ejus dicta in pluribus *ſacræ Rotæ deciſionibus*, quarum aliquas collegit *ſingularium ex Rotæ deciſionibus* parte 3. Theodoſius Rubeus Privernas. Scripſiſſe autem eum alia nonnulla opera, ex hac ipſa gloſſa, quam unam habemus, liquet; nimirum

906. *Tractatum Jubilæi Xyſto IV. dicatum*. Meminit ipſe ad procemium *Regularum*.

907. *Tractatum Camerariatûs*.

908. *Tractatum de futuro Concilio ad eumdem Xyſtum*.

909. Alium item directum *Dom. Epiſcopo* (ut credimus) *Tiraſonenſi*. quorum omnium in ejuſdem gloſſæ ad procemium fine recordatur.

910. Diximus lib. 9. cap. 7. de Gundiſalvo Gundiſalvi de Buſtamante Segobienſi Epiſcopo cujuſdam operis auctore *Peregrina* appellati, hunc ab alio diſtinguentes alterius pari nuncupatione donati libri auctore. Is eſt BONIFACIUS Luſitanus, Petri Garſię Ulyſſipponenſis filius, qui notum ſeſe poſteris voluit Joannæ Reginæ Caſtellæ & Legionis (quâ Henrici IV. uxorem fuiſſe ſignificatam credimus, quæ Luſitana fuit) auditoris titulo.

911. Compoſuit & hic *Peregrinam* alteram, à compilatore dictam *Bonifacianam*, quæ incipit à verbo: *Abbas, clericus*. & gloſſa ipſa: *Sacratiſſimæ aſſiſtant mihi præſidia Trinitatis*. Sequiturque pro facienda dictorum à nobis fide: *Ita certè mihi videtur Bonifacio filio quondam Petri Garſiæ Ulixbonienſis civitatis in regno Portugalliæ, & ſereniſs. dom. Joannæ Reginę Caſtellæ & Legionis auditori*. Eſt quidem veluti Juris index, & ſententiarum, ſeu concluſionum ejus ab auctore gloſſatarum, ſatis vaſto volumine, quod excuſum vidimus operâ & impenſis (ut ait) Lazari de Gazanis ſociorumque, per Meinardum Ungut Alemannum, & Stanislaum Polonum ſocios, anno Incarnationis ſalutiferę MCDXCVIII. die XX. Decembris.

912. PETRUS CASTROVOL Hiſpanus videtur, dum aliunde haud noſter appareat, ſi quidem Pampilone anno MCDXCVI. edidit *Commentarium in Ariſtotelis Oeconomica*, quem aſſervari in Eccleſiæ Toletanæ bibliotheca pluteo ſeu ſcalâ 37. num. 15. ex ejus indice novimus.

913. Floruit quidem ſub hujuſce finem ſæculi, immo & ſequens attigiſſe dicitur, nono ejus fato functus, JOONNES HISPALENSIS (hoc eſt, DE SEVILLA propriè cognominatus, Auguſtinianorum ſodalis, quibus aggregatus fuit Salmanticæ anno hujus ſæculi octogeſimo ſecundo, multis clarus virtutibus, & ſanctitatis famâ; ſiquidem Gundiſalvo Ferdinandi à Corduba magno, ut cognominari adeptus fuit, Duci, nuncupavit à ſe ſcriptam *Vitam ſancti viri Joannis de Sahagun* ejuſdem ordinis, propediem cœlitum catalogo, cùm ſanctitati placuerit Innocentii XI. ſolenniter [a] adſcribendi; quam penes ſe manuſcriptam velut ſanctiſſimi viri pignus, in magno pretio haberi à Salmantinis ſodalibus auctor eſt Thomas de Herrera in hiſtoria hujus cœnobii.

[a] Jam inter divos relatus eſt ab Alexandro VIII. Pont. Max. an. hujus ſæculi decimi ſeptimi nonageſimo, ſimul cum aliis quatuor virtutum heroibus, ut alibi notavimus. CARD. DE AGUIRRE.

914. Celebratur non iniquâ famâ hujus temporis hiſtoricus, qui ea quæ vidit, aut ſaltem eo vivo contigerunt, ſcripſit, DIDACUS BERNALDEZ parochus in oppido *Los Palacios*, diœceſis Hiſpalenſis, in eo opere quod *Coronica de los Reyes Catolicos* inſcripſit, neſcio quo bonorum auctorum fato hactenus ineditum; ſed à Roderico Caro in *Chorographia conventûs juridici Hiſpalenſis* non ſemel laudatum, aliiſque. Cujus Chronici duo exempla Hiſpali poſſident D. Didacus Ortiz de Zuñiga, Annalium urbis Hiſpalenſis accuratiſſimus & doctus conditor, jam cùm hęc exaramus

ramus

ramus ad meliorem vitam translatus, & Felix Escudero, ejusdem urbis civis. Quare autem hæc historia in *elencho librorum* MSS. *Comitis Vill-umbrosani* baccalaureum *Medina* præ se auctorem ferat, certiores fieri cupimus.

915. ANONYMUS scripsit *Historia de Don Rodrigo Ponce de Leon Marques de Cadiz, llamada Tesoro de buenos*. quam inter libros MSS. ejusdem bibliothecæ Vill-umbrosanæ Matriti exstare novimus; ejusque ignotum hunc auctorem hoc loco laudamus, quòd Rodericus Marchio sub anno hujus seculi nonagesimo secundo in vivis esse desierit.

916. Ad hujusmet seculi finem consignare juvat memoriam MARTINI cujusdam PERTUSA, qui proximè ad ætatem Alphonsi Regis V. Aragoniæ vixisse, at non quo devixerit anno, dicitur. De hoc nil debeo aliud quàm verbis Hieronymi Blancæ virum laudare. *Ita enim rem gestam exponit* (ille ait in *Aragonensium rerum commentariis*, & *Martino Didaci Auxio Justitia* pag. 822.) *Martinus Pertusa juris & literarum peritissimus, huic ætati adjunctus proximè, quem constat tum civem gravem, tum in magnorum patronorum numero habitum fuisse illis temporibus: nam & Zalmetina fuit, & multa de legibus nostris scripsit, quæ exstant apud nonnullos non edita, ex quibus colligitur ingenii acumine floruisse nimium. Is ergo, dum Forum* Yatsia, *De officio Justitiæ Aragonum editum in comitiis Alcagnitii, Justitia hoc assidente, anno Christi MCDXXXVI. habitis interpretatur* &c. Apponit statim auctoris verba.

917. Ipso seculari anno millesimo quingentesimo Petrus Hagembach Germanus ex officina sua emisit in lucem doctoris ANTONII GARSIÆ DE VILLALPANDO, Toletanæ Ecclesiæ canonici, qui ad familiam pertinebat summi viri D. Francisci Ximenii Toletani antistitis, & S. R. E. Cardinalis, ejusque vices generales in visitanda diœcesi obtinebat, *Instructionem vitæ Christianæ* vernaculâ linguâ Toleti in 4°.

918. Hujus quoque seculi pars fuit PETRUS TERRASA Carmelitanus, cujus *Oratio Romæ habita coram Xysto IV. Pont. Max. De divina providentia, quartâ Dominicâ Quadragesimæ anni MCDLXXXIII.* impressa fuit Romæ eodem anno in 4°.

919. Sub ejusdem finem, Catholicis regnantibus Ferdinando & Elisabetha Castellæ & Aragoniæ Regibus, PETRUS TOMICH Catalanus historiam scripsit *Aragoniæ Regum, Barcinonensiumque eorundem Comitum*, usque ad Joannis laudati Ferdinandi parentis obitum, sive annum sæculi nonum supra septuagesimum, & quidem gentis vernaculo sermone, quæ edita est. Familiaris hic Bernardi Garcerani Pinosii Vice-comitis *de Illa & de Canet*, quod ipse affirmat auctor, librum dirigens Dalmatio de Mur Cæsar-augustano antistiti; quem dicti Bernardi Vice-comitis fratrem appellat. Attamen cùm in eadem præfatione operis scribere se Tomichus hæc referat Bagæ an. MCDXLVIII. nec post an. MCDLVI. Dalmatius Cæsar-augustanus vixerit; necesse est, ut vel alterius auctoris sint capita duo postrema, quibus Alphonsi V. & Joannis ejus geniti regna brevissimè, neque pro dignitate, pertractantur; vel ipse auctor annum supergressus septuagesimum nonum seculi, quo Joannis ultimi horum Regum mors contigit, hæc de novo completæ jam olim ac nuncupatæ historiæ adjunxerit.

920. Cui quidem historico satius fuisset abstinere manum ab ultima antiquitate, resque idoneorum testium dictis notiores, utpote recentiores, persequi, quàm in origines urbium nominumque Cataloniæ suæ, conjecturâ tantùm duce, eaque veteribus memoriis parum subactâ, inquirere. Profectò non ei opprobrari posset, quòd Ilerdam, sive (quomodo corrupti hodie vocant) *Leida*, quasi caput legum à Julio Cæsare, Toletum à duobus equitibus *Tol* & *Letum*, Segobiam à duobus aliis *Segorbin* & *Cobia*, nominatis, dictam affirmet. Quòd itē Pelagium Regem *peregrinum*, nec alio vocet nomine, Ermenesendam ejus filiam, Alphonsi Catholici uxorem. *Faucilliam*, prolemque eo ex matrimonio natam Alphonsum, qui verè Froilanus fuit, appellet; *Filomenam* Carolo Magno Francorum Regi à secretis, historicum, nulli usquam notum adducat. De quatuor primis Francorum Regibus, *Moroyno*, *Clodoveo*, *Clomo*, & altero *Moroyno* (quomodo eos appellat) colore nigris, ac duobus aliis *Clodoveo II.* & *Childerico* subnigris: quòd ejusdem forsan pseudo-historici fide primum ex his Regibus Christianismo initiatum, non *Clodoveum*, sed *Childericum* vocet. Quòd ultimam hujus primæ Francorum propaginis stirpem, *Bercam* nomine, *Arvolti* filiam, à Carolo Martello ductam uxorem, omnesque hujus primæ genealogiæ Reges cruce signatos, in scapulis natos fuisse prodat. Quòd expeditionem referat Caroli Regis Magni in Cataloniam anno DCCXC. unà cum Romano Pontifice, qui hoc anno Adrianus erat, factam, multiplicatorum coram iis ab eremitis quibusdam in valle quadam Pyrenæorum montium duorum panum, ut olim à domino nostro in deserto, adeò ut millia hominum duo satiarentur, miraculo celebrem. Multos ex istis errores reprehendit Michaël Carbonellus, qui operâ Hieronymi Paulli adjutus viri clarissimi, *Chronicon Hispaniæ*, vulgaris item Cataloniæ Principatûs linguæ majori diligentia formatum nobis dedit.

921. ANONYMUS, de PALMA cognominatus, tituloque baccalaurei ornatus, direxit ad catholicos Reges librum, *Restauracion divinal* dictum. Hujus hominis & operis meminit Ferdinandus Mexia in *Nobiliario* suo lib. 3. cap. 6.

922. Eodem floruit tempore inter Franciscanos sodales FR. ALPHONSUS DE FUENTIDUEÑA, ab hujus nominis loco, qui Tago adjacet in Toletano regno, fortè dictus, scripsit opus *Titulo virginal de nuestra señora*, vernaculo sermone, quod editum fuit in folio anno MCDXCIX. auspiciis, ut dicitur, nobilissimæ ac devotissimæ dominæ Dom. Briandæ Manriquiæ, magnificentissimi domini Dom. Ludovici de Beaumonte conjugis. Exstat in biblio-


bibliotheca Colonça Hiſpalenſis Eccleſiæ. Auctorem hunc non ſuo loco dedimus in altera, ſeu poſteriore parte hujus bibliothecæ, ſed in titulo libri malè poſitum fuit pro *Virginal*, *original*. atque item annus editionis falsò dicitur fuiſſe anno MDXCIX. cùm fuerit MCDXCIX.

923. Catalanus poëta BERNARDUS SENOLLAR edidit *en coplas Catalanas* librum pium, *Contemplationem Christi* inſcriptum, Valentinis typis Jacobi de Villa MCDXCIII. in 4°.

924. PETRUS DE LA PANDA inſcriptus legitur cuidam volumini antiqui characteris, ſed qui hujus quidem temporis eſt, tria opuſcula continentis, quod aſſervatur MS. in bibliotheca Hiſpalenſis Eccleſiæ, quæ Ferdinardi Columbi, ſeu Coloni, fuit. Primi opuſculi titulus: *Las quatro virtudes ò doctrinas, que compuſo Seneca*. Secundi: *Letra fecha por Meſſen Pedro de la Panda al muy iluſtre Conde D.Rodrigo Manrique*. (Comes fuit de Paredes, magnanimus, & ex heroïbus ſeculi hujus) Sequitur epiſtolam libellus Leonardi Aretini . . . . ab eodem Panda ex Latino in vernaculum ſermonem verſus, ac *De la orden de la Cavalleria* vocatus. Tertii: *De la condicion de la nobleza*, N. de Angelo Mediolanenſis, translati quoque, ut exiſtimo, ab ipſomet Petro Panda, & Santillanæ magno Marchioni dedicati.



BIBLIO-



BIBLIOTHECA ARABICO-HISPANA,

SIVE

DE SCRIPTORIBUS ARABIBUS,

Qui unquam usquámve in Hispania aliquid literis consignârunt.

A



ABDALA NARACH Hispanus, medicæ artis peritus à Nicolao Monardes medico Hispalensi laudatur, nullo ejus tamen designato opere, in tractatu suo *De la piedra Bezoar*, folio 152. similiter ab Alphonso Ciaconio in *Bibliotheca* MS.

ABDALLAHI IBEN BACCAL EL TOLAITALI, hoc est, Toletanus. Liber ejus absolutus *De agricultura* exstat in Escorialensi regia bibliotheca, scriptus, ut ibi dicitur, *Toleti librariæ Joseph Ion Lisbap Ibn Neicemiæ, anno à computo Alcusri MCCLXIX. Tolaitali* vocabulo pro *Toleti* Arabes utuntur, ut observatur, productis exemplis, ab amico nostro D. Gaspare de Mendoza Ivañez de Segobia, olim Marchione Acropolitano, nunc Mondexarensi, in doctissimo suo *De originibus Hispaniæ* commentario, nondum typis edito.

ABEL MADI (fortè ABEN MADI) Abibæ filius. Hic *Miramamolini Cordubæ historiam* scripsisse dicitur; quâ utitur in *Annotationibus ad Episcoporum Isidori, Sebastiani, Sampiri, & Pelagii*, veterum nostræ gentis Chronicorum [a], Prudentius Sandovalius. Ait enim circa annum CMLXXXIV. Miramamolinum Cordubæ Regem formari jussisse Maurorum, à primo eorum in Hispaniam ingressu ad sua usque tempora, hoc est, ducentorum quinquaginta quatuor annorum; in hisque xxv. Regum Cordubæ historiam: tot enim imperaverant, pro libito à Mauris, quotusquisque displicebat, ferro sublati. Hanc historiam Abel Madi laudato Abibæ filio tribuere Sandovalius videtur: nec tamen, quo loco, aut quo sermone, aut saltem quo interprete translatum ex Arabico in vulgarem linguam viderit, admonere nos voluit.

[a] Pag. 23.

Ad Miramamolinum Cordubæ quod attinet, is circa hęc tempora Abderragman, Mahomadi filius fuit, qui mutato nomine *Aimunacer Ledinelle*, hoc est, *Defensorem legis Dei*, atque item communi appellatione *Amiramomeni*, quod *Rex credentium* interpretatur, se vocari fecit, ut in *Historiæ Arabum* cap. 30. Rodericus prodit Toletanus. Hic anno Arabum CCC. imperio præfectus, quinquaginta regnavit, usque ad CCCL. scilicet, de quo ab eodem auctore monemur. Annus verò hic Arabum, seu Hegiræ, quo mortuus est Abderragman Amiramomeni, ferè anno Christiano CMLX. consonat, juxta rationem combinandi utramq; epocham, quam viri hujus callentissimi nos docuere.

Quare ante hunc annum obitus Miramamolini consignandus memoriæ à Sandovalio fuit ejus historicus, nisi & hæreditarium factum, quod non legimus, elogium hocce, cognomentumque usurpaverit etiam ejus filius & successor Alachan, qui XVI. annis, hoc est, usq; ad CMLXXVI. aut Inem Alhacane natus, qui sub administratione Mahometi, dicti Almanzoris, & Abdelmelic ejus filii, nomine tenus Rex, uti diximus, domi semper otio ac deliciis emarcuit.

ABEN ALFANGE Valentinus, ex Maurorum secta, qui deinde transiit ad castra Ecclesię,

Ro-

Roderici Didaci, cognominati Cidi, domesticus, scripsisse dicitur quandam historiam De rebus ejusdem Hispani heroïs (nisi fabulosus auctor fit) quâ usum se ait Beuterus in prologo ad *Hispaniæ historiam*, & Escolanus in *Valentinæ* lib. 6. cap. 26. num. 4. Hunc quia ex Judaïca secta Christianam religionem amplexus dicitur, in Bibliothecæ Hispanæ albo designavimus [a].

[a] Tom. 2. pag. 1. num. 8.

ABEN GEZAR scripsisse dicitur *De admirandis urbium Hispaniæ*, laudatus à D. Thoma Tamajo in Notis ad Luitprandi Chronicon pag. 157. quum de Galiavæ, quod vocant, palatio juxta Toletum, verba facit.

ABEN (seu IBNU, quod idest est) HABAR, Bæticæ provinciæ historiographus Maurus, cùm Mauris ea subjiceretur Regibus, laudatur à Joanne Leone Africano in elogio Averroïs, libro *De scriptoribus Arabicis*, quem Hottingerus edidit in *Bibliothecario* suo [b], pluraque refert de hoc philosopho Cordubensi ab eo narrata.

[b] Pag. 272.

ABEN JAHIE ACIROVICLA. Laudatur in indice librorum regiæ Laurentinæ bibliothecæ inter mathematicos exstans Arabes ejus liber, *La nina generalis astrolabii* dictus, sive hujus argumenti.

ABEN PACE, sive (ut Arabum in more est multis appellari nominibus) EBNO EL SAYEG, sive (quod est in *Historia medicorum Arabum* auctore Ebn Abi Osaibea) ABU BECR MOHAMMED EBN YAHYA EBNO EL SAYEG, notior tamen nomine EBN BAJAH, vulgò ABEN PACE. Cordubæ natus dicitur, ut Joannes Genesius Sepulveda *De regno & Regis officio* lib. 3. pro comperto affirmat. Ex Hispania certè eum fuisse liquere nobis debet è testimonio Ebn Tophaïl infrà adducendo.

Summus audit philosophus, & perspicacissimi ingenii; quem immatura mors studiis Fessæ Africæ urbe vitæque famæque abripuit anno Hegiræ DXXXIII. sive, ut alii, DXXXV. veneno, si verum dixit Ebn Chalican, ex invidia sublatum, quæ quidem ei plures inimicos suscitavit. Et fuere (ut idem inquit Chalican) qui ipsum, quasi de Alcorano & Machometica doctrina minùs honorificè sentiret, incusarent. Hujus acumen & judicium Abu El Hasen Ali quidam, qui opera ejus in unum collegit volumen, ipsum eo nomine omnibus qui inter Machometanos philosophiæ operam dederunt, præferre non veretur, adeò ut asserat neminem post Alpharabium esse comparandum, atque ejus dicta iis quæ ab Avicena & Algazali prolata sunt, si inter se conferantur, præponderare. Hæc iisdem ferè verbis retulimus, quibus hominem laudavit Eduardus Pocockius in præfatione ad interpretationem epistolæ Ebn Tophail, & elencho scriptorum, de quibus in ea mentio fit. Nimirum hic Maurus, & ipse Hispanus, de quo suo loco à nobis agendum est, epistolam quandam scripsit *De vita Hai Ebn Yokdhan*, philosophicæ doctrinæ plenam, quam ex Arabico translatam laudatus Pocockius Latinè edidit Oxonii MDCLXXI. in 4°. Curiosè hîc de Andalosenis, hoc est Hispanis, inter Mauros sapientibus agit epistolæ auctor, cujus verba dabimus, quæ ad nostrum pertinent.

Deinde successerunt illis & alii, ipsis perspicaciores, & qui ad veritatem propiùs accederent; inter quos haud fuit alius ingenii acutioris, nec qui res meliùs perspiceret, aut veriùs perciperet, quàm Abu Becr Ebn Al-Sayeg (hic noster est Aben Pace) nisi quòd eum occupatum teneret mundus, donec ipsum præriperet mors, antequam patefierent thesauri scientiæ ejus, aut vulgarentur occulta sapientiæ ipsius: *ac pleraque, quæ è scriptis ejus reperiuntur, imperfecta sunt, & fine mutila, velut liber ipsius* De anima, *&* De regimine ejus qui vitæ solitariæ se dederit, *& quæ scripsit* De logica & scientia naturali.

Libri autem ejus perfecti tractatus sunt compendiosi, & epistolæ raptim scriptæ. Atque hoc ipse declaravit dicens, illud, cujus demonstratio illi proposita fuit in epistola Alettesal (idest conjunctionis intellectûs cum homine) non eo sermone prorsus manifestam fieri, nisi post difficultatem & molestiam gravem, & quod methodus explicationis suæ aliquibus in locis viâ minùs perfecta ordinata fuerit: quod si amplius illi temporis spatium concederetur, in animo sibi fuisse illam mutare. *Atque ita se habet* (Tophail prosequitur) *quod ad nos pervenit de scientia hujus viri. Nos autem ipsum non vidimus, & qui cum eo eodem tempore vixerunt, ejusmodi sunt, ut non dicantur illi pares gradu fuisse: nec quid ab ipsis compositum vidimus. At qui ipsis successerunt è coætaneis nostris, sunt illi, qui vel adhuc sunt in statu incrementi, vel qui substiterunt contra perfectionem, vel qui quomodo se revera habuerint, nondum ad nos notitia pervenit.* Hæc Ebn Tophail de Aben Pace, atque ejus doctrina & libris, ex quibus ætas utriusque indicatur. Vide in *Tophail*, sive *Jaafar Abu Jaafar Ebn Tophail* lit. *I.*

ABEN ZOHAR majore sæculi duodecimi parte famam in arte medica non vulgarem apud nos ortus & florens obtinuit, cognomento tum *sapiens*, tum *gloriosus* dictus, qui, si credimus Joanni Leoni Africano in libello *De viris quibusdam apud Arabes illustribus*, quem Joannes Henricus Hottingerus in *Bibliothecario* suo fecit publici usûs, è nobilibus fuit Hispalensis civitatis (perperam editum fuit *civitatis Sicilia*, pro *civitatis Sibiliæ*, ut notum ex aliis Vitæ ejus monumentis, & quòd Hispanus vulgò audit) sive aliàs non longè ab ea urbe, natus in oppido *Peña-flor* ad Bætim flumen, pari Cordubam inter & Hispalim intervallo, quod veterum *Ilipa* est. Huic namque ortum nostri adjudicat, nescio unde eo accepto, Nicolaus Monardes medicus Hispalensis bene doctus [c].

[c] In lib. vulgari *De la piedra Bezoar* fol. 112.

In ejus nomine aliquantulum variatur. Nam & ABU MENON ABEN ZOHAR audit in editione libri *Theizir*. AB HOMERON appellat Joannes Antonius Vander-Linden

den *De scriptis medicis* scribens. ABU MERON legitur apud Averroëm in fine operis *Colliget*, & lib. 7. ejusdem cap. 3. Joannes quidem Leo IBNU ZOHAR, sive (quod idem est) ABEN ZOHAR, vocavit tantùm. Avum habuit & patrem utrumque medicum, quos ipse laudat[d]. Et quidem se à patre ait medicinam didicisse, qui à se adhuc puero & discipulo extorsit juramentum, nullatenus usurum medicinis mortiferis & venenosis: quod ipse docet in opere *Theizir*[e], de quo postea. Decennem cœpisse patri artem docenti aures dare, nec ante quadraginta ętatis eam exercuisse, Averroës ejus discipulus memorat[f], ex quo id in *Vitis illustrium medicorum* Petrus Castellanus annotavit: *Cùm juvenis essem* (verba ejus audis) *& novus in medicina, ibam de una civitate in aliam practicando*. Joannes Leo ait serviisse eum Hispali Ibnu Habad rebelli, ac ejus filio, donec magistratu suo ac dignitate privatus fuit. Consonat prorsus hocce cum *Historia Arabum* Roderici Toletani, qui cap. 47. meminit Hispalis trium dominatorum dissipato Cordubensi regno, Abul Cazim, qui an. Arabum CDXXXIII. Habet ejus filii, qui anno CDLXI. mortem obiere; ac tandem Mahomet Aben Habèt: posterioris filii, qui etiam obtinuit Cordubam: quem post triginta regni annos, scilicet anno Arabum CDLXXXIV. Joseph Tessephin, ex Almoravidum genere primus, dominio & libertate dejecit. Nimirum hic Mahomet Aben Habèt Aldephonsi Regis, qui Toletum cœperat (hoc fuit an. MLXXXV.) timore perculsus[g], Josephum illum Aben Tessephin ex Africa in auxilium ciens, hostem ac deturbatorem expertus fuit.

[d] Avum lib. 2. *Theizir* tractat. 11. cap. 1. Patrem lib. 1. tractat. 1. cap. 5

[e] Lib. 1. tract. 2. cap. 5.

[f] Lib. 4. *Colliget* cap. 40.

[g] Aliter Garibay lib. 38. cap. 8. ex eodem Roderico Toletano lib. 6. *Hist. Hisp.* cap. 31.

Hujus Josephi Aben Tessephin, qui longè lateq; in Hispania & Africa Almoravidum extendit imperium, ut ex ejusdem Roderici cap. 47. & 48. Historiæ constat, servitio dicatus Aben Zohar (ut Leo inquit) ingentibus divitiis & latifundiis, tam à majoribus quàm à suæ ętatis principibus, quibus beneficentissimis fuit usus, habitis (à pauperibus enim artificibusque nullum suæ artis præmium unquam accepit) affluentem longissimamque, ut jam dicemus, fortitus fuit vitam, eleemosynis, in inimicos etiam, nedum pauperes quoslibet, effusissimè dispensatis. Omnia hæc Joannes Leo.

Sed jam alias, quas ipse reliquit, notas de ætate sua gestisque rebus, libro suo *Theizir* consignatas, cum eadem *Arabum* Rodericiana *historia* convenire doceamus. Lib. 10. tract. 9. cap. 9. ait, quòd *dum esset cum patre studens coram ipso in medicina, vocatus fuit ad fratrem de Bentamin dominum Sibiliæ*, quem ait se curâsse à toxico quod propinabant ei quotidie servi; advertens quòd *medici omnes non potuerunt eum curare, donec frater alongavit eum à Sibilia*. Verba Latini interpretis prorsus barbara hæc sunt.

Ejusdem lib. tract. 4. c. 1. refert se ab Hali vocatum, Josephi filio, venisse Cordubam. Et tract. 15. cap. 3. quendam ex familia Hali sanitati se restituisse. Et tract. 16. cap. 6. *Sicut accidit mihi* (ait) *cùm essem juvenis, quoniam passus fui laborem maximum à propinquis, & ab illis qui erant de cognatione Hali, propter quoddam verbum dictum à patre meo, cùm essem juvenis, qui voluit ulcisci de me modis quibus potuit.* Et tract. 13. cap. 6. *Sicut accidit* (inquit) *Azit filio Hali, qui erat Connestabilis Regis, qui misit per me* (Hispanismum audis, an ab Hispano interprete usurpatum? *embiò por mi*) *ut ad eum Sibiliæ ire deberent, & inveni eum &c.* Tract. autem 2. cap. 5. hęc habet: *Quum autem liberatus fui, & evasi à manibus Hali & suorum hominum, rediens Sibiliam vidi in via quandam herbam &c.* Cujus Cordubensis Regis Hali carceris calamitatem à se toleratam aliis in locis memorat.

Hic, de quo toties loquitur, Hali jam Ben Tamin vocans, non alius, credo, quàm ille est Hali Aben Hamit, qui ex Septa Africę, cui prærat, in Hispaniam accitus, Cordubense regnum, Zulemane mortuo, invasit, obtinuitque ante annum Arabum quadringentesimum octavum (hoc est Christi MXXVII.) quo nempe occisus à suis dicitur *Historiæ Arabum* c. 42.[h] Huic subrogatus fuit Alcazim frater ejus, qui Hispali morabatur, ut in ejusdem historię cap. 43. legitur; quem eundem cum eo esse, quem sanitati Aben Zohar restituit, suspicari proclive est. Contingere autem hęc juveni, & coram patre (uti ait) studenti, recenti adhuc duodecimo isto sęculo convenienter potuere, qui tamen ipsæ longæ beneficio ętatis Mahometi Aben Habèt Hispalensis imperii, expulsorisque ejus Josephi Tessephini Almoravidis Cordubensis regni, ejusdem nempe sęculi ad finem vergentis, tempora ęquavit. Nam vixisse dicitur triginta quinque supra centum annos[i]. Contra id quod Joannes Leo prodit, nonagesimo nimirum secundo ætatis eum decessisse.

[h] Moral. lib. 17. cap. 12.

Nomen verò suum ad posteritatem omnem unico illo opere, medicinę totius thesauro, propagavit, quod *Theizir* inscriptum omnes laudant. Vera autem inscriptio hęc est: *Liber Theizir dahamodana vabaliadabir.* quod interpretatur: *Rectificatio medicationis & regiminis. Editus in Arabico à perfecto viro Abu Marban Aben Zohar* (ita vocat Monardes, qui codicem fortè MS. aut principis editionis vidit) prosequiturque: *& translatus de Hebraico in Latinum Venetiis à magistro Paravicio physico, ipso sibi vulgarizante magistro Jacobo Hebræo, ann. Dom. Jesu Christi MCCLXXX. primo mense Augusti, die Jovis in meridie, sedendo, ducante Venetiis viro egregio & præclaro domino Joanne Dandolorum, secundo anno sui Ducatus, an. autem regni DCXXIX. menses quatuor, dies duos.*

[i] Pet. Castellanus *De vitis illustrium medicorum*. Zacutus Lusitan. In proœmio ad opus *De veterum medicor. hist.* Garibay lib. 38. cap. 12.

Vestibulum forsan ita habet editionis Venetę principis, quam dedit MCDXCVI. Octavius Schotus in folio. Unde novi-

mus non habere nos Latina ex Arabico, sed ex Hebraïco sermone, in quem olim ex Arabico translatio facta fuit. Repetita est editio in eadem Venetiarum urbe apud Gregorium de Gregoriis MDXIV. & unà cum *Antidotario* ejusdem Aben Zohar,& Averroïs *Colliget*,Lugd. MDXXXI. Legimus quoque de editione Veneta ann. MDXXX. in folio Ab-Homeronis Aben Zohar & Averroïs *De medicina*, quo prioris *Theizir*, ac posterioris *Colliget*,significata existimamus; quæ eadem sunt in Lugdunensi anni proximè sequentis.

Scriptum à se opus auctor ait in gratiam Miramamolini (Josephum Tessephin Marrochiensem Regem,quem & *Africæ*,& *ultramarinum*, & *cismarinum Monarcham* Rodericus appellat k, intelligo) juxta captum etiam eorum,qui non adeò provecti essent. (k Cap. 47. & 48.) Argumentum operis videtur his auctor voluisse comprehendere: *Post hæc incipiam compilare res nobiles, aggregando medicinas convenientes symtomatibus & caussis inducentibus passiones*. In editione laudata Lugdunensi prologus exstat Hieronymi Suriani de Arimino, physici præclarissimi, qui veteres editiones istorum duorum Aben Zohar & Averroïs operum se correxisse & supplevisse miserè depravata & mutila, sensúque proprio sæpe defraudata, ignorare posteros noluit.

Laudantur & alia Aben Zoharis opuscula. *Excerpta de balneis* exstant in editione Veneta de iisdem l. (l Fol. 414.) *De febribus* liber legitur, in *De febribus* systemate etiam Veneto m. (m Fol. 106.) In Laurentina Regis Hispaniarum bibliotheca, uti ex ejusdem constat elenchis n, (n Apud Hottinger in *Biblioth. Orient.* pag. 311.) operis *Theizir* plura exempla, diversimodè tamen notata, immo Aben Zohari plures inscripti, diversorum tamen ejusdem, ut suspicor, nominis, libri asservantur.

Num. 1. *Muhammed Iben Zahor, Latinè Aben Zohar, liber absolutus in modum compendii, scriptus ad facilem introductionem librorum medicinæ, perperam inscriptus Hispanicè: Liber de fulgurationibus*.

Num. 8. *Muhammed Iben Zabor, Latinè Aben Zohar, liber absolutus ad principia & elementa medicinæ practicæ & theoricæ deserviens, inscriptus ab eo* Altenzir,*id est,introductorius*.Qui cum superiore idem videtur.

Num 25. *Abdic Meliq Ibn Zohar, Latinè Aben Zohar, liber inscriptus* Eltaizir, *de re medica, id est, liber de facili medicatione morborum*. Sed adjungitur: *scriptus anno à fuga DCCXXIII. perperam inscriptus anonymus*.

Num. 55. *Iben Zohar De experimentis medicinalibus liber absolutus, scriptus anno à computo Aleufri* o *MCCLXXX. E. A. optimus*. (o Legendum est *Alcopti*, seu *Æra Copterum*.) Hi sunt in laudata bibliotheca ex jam dicto elencho.

At aliunde didici exstare quoque ibi cum *libri rari* elogio: *Aben Zohar De proprietatibus animalium*.

Prostat quidem *Abo Hali Aben Zohar Arabis,medici præstantissimi & vetustissimi,De regimine sanitatis liber*, publicatus à Joanne Georgio Schentio Basileæ apud Konig MDCXVIII.

In bibliotheca D. Gasparis de Guzman Comitis Olivariensis olim fuit, si catalogo ejusdem credimus, *Abrahami Aben Zoharo* (ita legitur) *del juicio de las estrellas*. hoc est, *de Judicio ex astris*.

Iben Ho Zohar quoque liber *De alimentis* laudatur à Samuële Bocharto in *Herozoïco* suo, sive *De animalibus S. Scripturæ* operis posteriore parte lib. 1. cap. 15.

Iterumque ex alio forsan opere lib. 2. cap. 3. *De scriptis medicis* laudat Lindanus libellum *Zohar medici Arabis De cura calculi*, unà cum Rhasis operibus editum Venetiis apud Octavium Schotum ann. MDCXCVII. in fol.

Sed cùm hi omnes sub eodem *Aben Zohar* cognomento, quod *filium Zohar* sonat, vel Muhammedis, vel Abdic Meliq, vel Abo Hali, vel Abrahami nomina præ se ferant, vix est ut eundem omnium auctorem fuisse credamus. Quorum aliqua Aben Zohar alteri, ejus, de quo nunc loquimur, filio, attribui posse, statim dicemus.

Deperditum sanè novimus, Aben Zohari huic nostro certè adscribendum, librum *De decoratione* inscriptum, cujus ipse meminit in principio *Theizir*, referens pudere se de quibusdam vocabulis, cùm *De caussis mali & corrupti odoris* ageret, in eo usurpatis.

In hoc sanè præceptore suo non perfunctoriis laudibus ornando frequens Averroës est discipulus, quantumvis aliàs ad calumniandum pronus, Castellani p judicio, aliorumque infectator. (p *De Vitis medicorum*.) Is enim absoluturus *Colliget* opus, *unicuique volenti*(ait) *ad hujusmodi præclaritatis scientiam* (medicinam) *pervenire, bonum est ut libros Abu Meron Aben Zohar studiosè legat; nam ibi medicinæ thesaurus continetur*. Alibi q: (q Lib 4. cap. 40.) *Coronam* (inquit) *ei exhibendam, cùm videris & cognoveris quantum humanitus videri,cognosci, & observari licet*. Item de filiis ejus: *Sed nobiles* (ait) *viri filii Aben Zohar testificati sunt hoc; & illi sunt quibus debet attribui scientia medicinæ*. Ex recentioribus laudant Jacobus Philippus Bergomensis lib.12.*Supplementi Chronicorum* r. (r Fol. 313.) Joannes Leo Africanus, qui elogium scripsit antea memoratum, Stephanus de Garibay lib. 38. *Compend. histor. Hispaniæ* cap. 12. Matamorus, qui per errorem eum *Zoarum* nominat in apologetico *De doctis Hispaniæ viris*. Zacutus Lusitanus in proœmio ad opus suum *De veterum medicorum historia*,& alii præter eos, qui medicorum vitas in commentarios digesserunt.

ABEN ZOHAR junior, qui & IBNU, alterius Aben Zohar medici Hispalensis,de quo nuper loquuti sumus, filius fuit. Hunc notum habemus ex Joannis Leonis Africani libello *De viris quibusdam Arabum illustribus*, quem dedit nobis in *Bibliothecario* suo Joannes Henricus Hottingerus, cujus elogium subjungere operæ pretium duximus:

Ibnu

Ibnu Zohar, vel Zor, qui Rhasis dicitur, supradicti Ibnu Zohar filius, à patre medicinam didicit, & fuit vir doctissimus & præstantissimus in vita sua, & maxime ei fuerunt divitiæ. Quando autem venit Manzor Pontifex & Rex Marrochi (non alium intelligo quàm Josephum Aben Tessefin ex Almoravidis, qui, ut Rodericus ait Toletanus Episcopus [t], *Monarcha ultramarinus* & *cismarinus* fuit, Bæticam subjugavit, & Marrochi regiam suam fixam habuit. *Manzor* enim, quod *Defensorem*, & *Amiralmumenim*, corruptè *Miramamolin*, quod *Credentium Imperatorem* sonat, usurpatum promiscuè ab his qui longè lateque imperii sui ditionem inter Mauros extendissent, verisimile est). *Cùm venit Manzor* (inquam) *Pontifex & Rex Marrochi in Bæticam* (anno Arabũ quadringẽtesimo octogesimo quarto, ut Rodericus ait cap. 48. *Histor. Arabum*) *secum duxit Rhasim in medicum, eumq; maximè venerabatur. Dixit Ibnu Giulgiul, quòd Ibnu Zor, quando separatus, & quasi à suis repulsus, apud Marrochium, ceu desperatus, erat, eoque ad sui propositum aliqua carmina scripsit. Quadam die ingressus Manzor ejus domum, invenit dicta carmina, eaque se non vidisse finxit; statimque cùm foris esset, misit nuncium ad gubernatorem Sibiliæ, ut ei adduceret totam familiam ipsius Ibnu Zor. Post viginti octo dies fuerunt in Marrochio, & Manzor dedit eis quandam domum ornatam; fecitque ut Ibnu Zor ad eam iret caussâ medendi quamdam infirmam advenam. Cùm autem domum ingressus fuisset, invenit totam familiam suam, omnesque suos, & vehementer admiratus est, & præ gaudio quasi insanus effectus est. Postea cognoscens Manzorem hoc ordinâsse, re peracta gratias ei dedit immortales, & ita multiplicavit stipendium suum.*

[t] In Hist. Arab. cap. 48.

Conveniunt hæc omnia his quæ Rodericus refert [u], post primam suam Hispanicam expeditionem, cujus occasione notum habuit sibique obnoxium Aben Zohar seniorem, nostri junioris patrem, ut de eo loquentes ex eodem Leone diximus, Tessefinum rediisse Marrochum, proprium suum regnum, atque inde iterum venisse in Bæticam, rursusque in Africam repedâsse; ac tunc potuit, mortuo jam genitore, in medicum ejusdem Tessefini Marrochum acciri, domo & familiâ Hispali relictâ, unde doloris ei ob orbitatis malum caussa.

[u] Cap. 48.

Sed pergit Leo: *Mortuus autem est Ibnu Zor ætatis suæ anno septuagesimo quarto, de Helegira verò anno quingentesimo nonagesimo quarto, in Marrocho. Composuit etiam multa opera in medicina. Unum videlicet* De cura oculorum. *aliud cui titulus est*: Provisio peregrini &c. Hęc ille. Diximus suprà, cùm in senioris, sive patris rebus versaremur, varia circumferri Zohari adscripta, quæ illiúsne, an hujus sint, in obscuro est.

ABI MUHAMED ALI, filius Alamed, filii Hazm, Andalusius, *Descriptionem variarum sectarum & religionum* duobus voluminibus edidit, quæ servantur in bibliotheca Leidensi, ut ex ejus constat catalogo pag. 332. Ejus est illustratio Corani, nisi alius est ille Aben Muhamed Ali, Andalusius, auctor libri *De amore*, qui in eadem exstat bibliotheca, testimonio ejusdem catalogi pag. 371.

ABI ZELTI Andalusius, quem Hottingerus laudans, *Smegmatis orientalis de bibliothecis orientalibus* lib. 3. par. 2. cap. 2. *Danitam* Andalusium vocat, *Dianiensis* fortè loco, si fuit ex urbe, nempe Dianio, nunc *Denia* Valentini regni. Hottingerus meminit hujus auctoris *Astrologiæ* hoc loco [x], *Tractatuumque arithmeticorum*, atque item *musicorum*, ibidem [y].

[x] Pag. 252.
[y] Pag. 249. & 250.

ABU BAHAR IBNU CHALSON, Granatensis, Maurus, celebratur à Joanne Leone [z] per hæc tempora. Mortuum quippe ait anno octingentesimo vicesimo octavo, Egiræ scilicet, qui annus est Christianus MCDL. in eadem civitate Granatæ. Philosophum, medicum, & astrologum gratiâ plenum vocat, elegantemque poëtam in epistolis suis.

[z] Libello *De viris illustribus apud Arabes*, apud Hottinger. in *Bibliothecario* lib. 2. cap. 3. pag. 246.

ABU BECRUS EBN AL SAJEG idem est cum ABEN PACE, de quo suprà.

ABU BECRUS (potiùs quàm EUBECRUS) MAHOMET ABEN ZACHARIA, de medicina unum Toleti (ut notatur) librum *De dignoscendis morbis & signis exterioribus*, alium ann. Nativitatis Mahometi DCXVIII. sive Christi nati MCCXL. aut circiter, ac tertium alium, medicæ item doctrinæ Arabicè scripsit, qui adhuc inediti bibliothecæ regiæ Laurentinæ libros augent, in qua & exstant, ut in catalogis ejus legitur.

ABU CHALID Andalusius, hoc est Hispanus, laudatur à Samuële Bocharto *De animalibus sacræ Scripturæ* 2. par. lib. 2. cap. 15. [a] apposito ejus (ex nescio quo opere) fragmento, in quo de *Chotaph*, sive hirundine pisce: *Chottaph* (seu hirundo) *piscis est in mari Septæ* (notæ urbis in Africana ora Herculei nostri freti) *nigris alis duabus à tergo instructus, quibus è mari exiens super arbores volat, atque inde redit ad mare.*

[a] Col. 216.

ABU CHATIM Andalusius, sive Hispanus, ab eodem Bocharto, absque operis seu libri nota, laudatur eâdem altera parte *Hierozoici* sive *de animalibus sacræ Scripturæ* lib. 2. cap. 30. [b] in mentione *Zummag* cujusdam aquilæ speciei.

[b] Col. 336.

Nota de Andalusiæ nomine.

Quoniam toties occurrit Andalusii tributum Abu Chatimio, & aliquot aliis suprà laudatis nomen, prętermittendum non est, moneri lectores de hujus gentilitii vocabuli apud scriptores, qui Arabicè scripserunt, proprietate. Non enim id *Andaluziam*, quę olim Bętica fuit, Romanorum tempore dicta, hoc est, partem Hispaniæ magis australem eorum usu & acceptione significat; sed Hispaniam integram. Alforganus in *Elementis astronomicis* cap. 9. quintum clima mundi describens, post alias terras eo comprehensas, *Deinde* (ait) *intra Romano-*

rum fines excurrit per Charxenam, Caram, & magnam Romam: tum per borealia mediterranei maris litora, & tandem per Andaluſiam, donec deſinit ad mare Heſperium. Quo loco per Andaluſiam ei climati ſubjacentem ea Hiſpaniæ pars, quæ borealior eſt, ſignificatur, diſtincta à meridiali, ſive Andaluzia hodierna, quam climate quarto contineri certo certius eſt.

Interpretem Alfergani præſtat optimum, egregieque rem confirmat Nubienſis geographus climatis quinti prima parte [c]. *Pars hæc prima climatis quinti complectitur portionem plagę ſeptemtrionalis Andaluſiæ, terram ſcilicet Galliciæ, & partem Caſtiliæ.* Rurſuſque climatis quarti prima parte [d]: *Totam Hiſpaniæ peninſulam mari tenebroſo* (nempe oceano) *circumdatam Andaluſiam vocat.* Et clariùs adhuc alibi [e]: *Peninſulam Andaluziam mediam ſecat per longitudinem oblongus mons Sarat vocatus, cujus in parte meridionali occurrit urbs Tolaitela totius Andaluziæ umbilicus.* Et alibi [f]: *Atque hę ſunt univerſæ provinciæ Hiſpaniarum, quæ ſimul ſumptæ vocantur Andaluzia.* Et paſſim condinit in *Hiſtoria Dynaſtiarum* Gregorius Abulpharajus [g]: *Ante hoc tempus occupaverant Franci* (pro Chriſtianis, nam de Alphonſo VI. intelligendus eſt) *urbem Tolaitelam, aliaſque in regione Andaluziæ.* Certum quippe eſt Alphonſum Toleti expugnatorem ad propriam Bæticam victorias ſuas neutiquam prorogâſſe.

c Pag. 229.
d Pag. 147.
e Pag. 151.
f Pag. 155.
g Pag. 242.

Iben Chalicam, celebris Arabum hiſtoricus, jucundam narrat de filia cujuſdam Regis inſulæ (ſic vocant Hiſpaniam, pro peninſula) Andaluſiæ, ſabulam verbis, quę in Joannis Henrici Hottingeri *Hiſtoriæ orientalis* lib. 1. cap. 8. [h] legi poſſunt, unde hæc ſunt in Latinum tranſlata: *Erant tum in inſula Andaluſia multi Reges.* Singulę enim regiones aut binæ ſuum habebant Regem.

h Pag. 191.

Salomonis etiam Vegæ hæc ſunt in libro *Hiſtoriæ Judaïcæ* [i]: *Pyrrhus autem captivos omnes navibus impoſitos in Hiſpaniam antiquam, quæ Andaluſia dicitur, & in urbem Toletum avexit.*

i Pag. 41.

Laudatur quoque pro hoc nominis inter Arabes uſu à Gaſpare Eſcolano lib. 1. cap. 8. num. 1. *Hiſtoriæ* ſuæ *Valentinæ urbis & regni.* Scriptor quidam Cacim Aben Hegi *Hiſtoria de la perdida de Eſpaña*, quem debuerat, quiſnam homo eſſet, undéve tranſlatum, & Hiſpanis familiarem habitum viderit, non tacere, niſi idem fuerit cum Abul Cacim Tarif Aben Tariquio inferiùs adducendo, ex cujuſdam argumenti libro huic & illi communis.

Arabicæ, inquam, linguę hoc vocabulum eſſe, non à Wandalis derivatum, quaſi pro *Wandaluſia* invaluerit *Andaluſiam* dici, vero magis ſimile ducimus. Si enim Wandali hanc partem Hiſpaniæ, quam Bæticæ nomenclaturâ dignoſcebant Romani, Wandaluſiæ vocabulo, aut ipſi non longi temporis incolæ, aut occaſione ipſorum eidem provinciæ dominantium, alii appellâſſent, manſiſſet id quidam, aut ejus aliquod veſtigium, in Gotthorum hiſtoricis, atque ejus gentis tot Eccleſiaſticis & profanis, quæ adhuc exſtant, monumentis, nec minus in Romanis aut Latinis, ſi in vulgarem ſemel uſum iviſſet, ut ab habitatoribus Wandalis Wandaluſiæ nomen ei provinciæ inhæſiſſet. At cùm toto hoc medio pluſquam trecentorum annorum tempore à Wandalorum ab Hiſpania in Africam tranſmigratione uſque ad Arabum in illam ingreſſum, immo & quingentorum aliorum inſuper uſque ad Ferdinandi III. Sancti Caſtellæ Regis tempora, quibus Rodericus Toletanus præſul primus, ut credimus, Andaluſiæ fuit uſus nomine, nulla hujus, aut Wandaluſiæ, mentio uſpiam fiat; oportet ſanè credere, novum & linguæ ſuæ germanum vocabulum induxiſſe Arabes ut Hiſpaniam indigitarent, non autem aliquod tot annis ſepultum, & vel ipſis Hiſpanis inauditum, velut ab inferis ſuſcitâſſe.

Rodericus enim apertè cenſuit Wandalos ſuam provinciæ Bæticæ appellationem gentis reliquiſſe *Hiſtoriæ Wandalorum* cap. 12. hanc & in cap. 31. lib. 6. hiſtoriæ ſuæ *De rebus Hiſpaniæ* Wandaluſiæ, ſive ejus incolas Mauros *Wandalutiorum* vocabulo ſignificans. Cùm Iſidorus Pacenſis, ſęculi octavi ſcriptor, non niſi *citerioris* & *ulterioris* Hiſpaniæ utatur, nec ullus alius uſque ad Rodericum *Wandalutiæ*. Quo argumento prudenter utitur inter alios Franciſcus Bivarius in ad Braulionem, ut credi voluit, Notis [k]; cujus additiones ad Pſeudo-Maximum, ejuſdem cum hoc auctore commatis ſunt.

k Pag. 79. & ſeqq.

Sed quod adjungit de *Ampeluſio* Africæ promontorio, unde nomen inditum Andaluſiæ à Mauris conjectatur, parum propitiis Muſis conceptum ab eo fuiſſe, nullus credo eruditorum in geographię atque etymologiæ regulis non cenſebit.

Haberemus quidem veram originem hujus vocabuli, ſi certiori aliquo fundamento niterentur, quæ Anaſtaſio Antiocheno Patriarchæ, Anaſtaſii alterius Sinaitæ vocati & martyris ſucceſſori, de S. Jacobi majoris Apoſtoli in Hiſpaniis prędicationi imputantur. Rei auctores ſunt Joſephus Stephanus, & Bartholomęus Laurentius, hic in *Indice auctorum qui de adventu S. Jacobi* ad nos agunt, lib. 1. *De poteſtate coactiva Rom. Pontificis*; alter cap. 8. num. 2. & ex his duobus doctiſſimus Gaſpar Sancius tract. 2. *De adventu* eodem *D. Jacobi, & prædicatione in Hiſpaniis*, cap. 2. que..a commentariis ſuis in Acta Apoſtolorum ſubjecit. Duo illi ſcriptum reliquere vidiſſe Romæ ſe, dum ibi commorarentur, in bibliotheca cujuſdam Ignatii Patriarchæ Antiocheni librum quendam laudati Anaſtaſii Arabicâ linguâ antiquâ ſcriptum, unde fragmentum hocce Latinè (nec dicunt cujuſnam operâ) redditum habuere, *multiplicibus martyriis affectus eſt S. Jacobus Apoſtolus frater Joannis filii Zebedæi*,

bedæi, idque poſtquam abiit in occidentem in civitatem Andiat, & *fecit apud eos miracula*, &c. Difficile viſum, civitatis hujus nomen de tota gente intelligi, iis qui videre: præſertim Laurentio laudato, qui ex *Andiat* corruptum fuiſſe *Andlis* vocabulum exiſtimat, quo quidem apud Arabes Hiſpaniam totam ſignificari, ab hujus linguæ peritis ſe didiciſſe ait. Vellem tamen hujus vocabuli uſum apud Arabes compertioribus documentis, quàm hęc ſunt, prodi; unde proclive eſſet Andaluſiæ aliud, ſive pro ſignificanda Bætica, unde ad integram Hiſpaniam extendi potuit, ſive pro tota Hiſpaniæ peninſula, quomodo certiſſimum redditum jam à nobis fuit, loquutos Arabes, proximè derivare. Sufficit autem nobis in præſentiarum de uſu nominis *Andaluſiæ* docuiſſe, ut confirmemus *Andaloſenos* pro Hiſpanis dictos eos omnes, quos jam laudavimus, ac deinde laudabimus, hujus linguæ ſcriptores ab Arabibus ita indigitatos.

Cujus rei occaſione neque alteram ſilebimus proximam huic obſervationem de Hiſpanię nomine ſub jugo Machometanorum majorem partem poſitæ, atque ejus uſu apud auctores etiam non hujus ſectę. *Hiſpania* nempe audiit vulgò ea tantùm Hiſpaniæ pars, cui Mauri dominabantur. Cętera autem propriis regnorum Gallæciæ, Oveti, Legionis, vocabulis ſignificabatur. Teſtimoniis id comprobat Sebaſtiani Salmanticenſis, ſive Alphonſi magni, & ſcriptæ cujuſdam donationis monaſterio SS. Facundi & Primitivi martyrum a Sancio Legionis Rege cognomento Craſſo factæ, Joſephus Moretus amicus noſter, vir antiquitatum & regni ſui Navarrenſis vindex *Inveſtigationum ejuſdem regni* lib. 2. cap. 10.
[l Pag 471.] §. 2. [l] Quibus adjungere lubet alterum ab eo, quo uſus fuit Moretus, ejuſdem Chronici teſtimonium, quod Alphonſi magni Regis germanum eſſe paſſiva jam doctorum hominum perſuaſio eſt. *Iterum* (ait [m]) [m Pag. 51. edit. Pampilonen.] *Nortmanni piratæ his temporibus ad noſtra litora pervenerunt. Deinde Hiſpaniam perrexerunt, omnem ejus maritimam gladio ignique prædando diſſipaverunt. Atque item de iiſdem Nortmannis ab litore Aſturum à Ramiro I. fugatis; qui verò ex eis remanſerunt, civitatem* (inquit) *Hiſpaniæ Hiſpalim* (hoc eſt Maurorum) *irruperunt*. Similiter Sampirus loquitur in Adephonſo III. *Ob cujus imperium Dux quidam Hiſpaniæ* (id eſt Maurus) *& Proconſul, nomine Abobalit, bello comprehenſus, Regis obtutibus eſt præſentatus.*

ABU HAMED Hiſpanus, à Samuele Bocharto
[n Col. 154.] lib. 6. *De animalibus S. S.* cap. 14. [n] auctor adducitur pro confirmanda fabula cujuſdam avis miræ magnitudinis *Ruch* dictæ, cujus alæ mille ulnis patent. Hunc tamen non veritus fuit Bochartus auctorem *ἀξιοπιστότατον*, hoc eſt, *ſide digniſſimum*, vocare. Laudans ejus librum magni (ut inquit) nominis *beneficium animorum* (Arabicè) *Thochphatholalbabi*, ut adjungit in indice auctorum) dicti. In quo de *Talb* piſce, qui in minimas partes diſſectus moveri non deſinit, ac ſtatim de alio piſce prope urbem Septam ab eo auctore, ut aſſerit, viſo ex ſpecie ejus, quem juxta Alcorani fabulam Moſes & Joſuë manducavere, loquitur. Meminit & ejuſdem Abu Hamedi lib. 5. cap. 17. [o] [o Col. 778.]
De crocodilo; & lib. 6. cap. 15. [p] ubi de piſce humanæ formæ agit. [p Col. 858.]

ABU HAZEN Andaluſius. Hujus *opuſcula chimica* cum ſcholiis Algieldehi tribus voluminibus in 4°. repoſuit, cum aliis pluribus libris ex oriente allatis, in publica Leidenſis academię Hollandorum bibliotheca Jacobus Golius, Arabicè vir doctiſſimus; cujus rei teſtis eſt Philip. Labbeus in *Nova bibliotheca mss. librorum*.

ABU LABAS Cordubenſis, commentatus fuit in Alcoranum, cujus verba pro aſſerenda fabula *Racham* avis, quæ ſola ſcit Moſis ſepulchrum, citantur à Samuele Bocharto par. 2. *Hierozoici* lib. 2. cap. 26. [q] qui & ſub [q Col. 105.]
appellatione Cordubenſis Alcorani commentatoris iterum laudat lib. 6. cap. 14. [r] [r Col. 855.]
quo ſub nomine exſtare dicitur in bibliotheca Leidenſi tredecim tomis inter libros in ea poſitos è legato Levini Warneri, ut ex ejus bibliothecæ conſtat catalogo, ante paucos annos typis edito.

ABU LCACIM TARIF ABEN TARIC gente patriaque Arabs, ſed is tamen qui, ſi verus & non ſuppoſititius auctor eſſet, Hiſpanis accenſeri ſcriptoribus optimè poterat, utpote qui de rebus Hiſpanis, quum primùm hæc noſtra gens Machometanorum jugum ſubiit, latè ac luculenter ſcripſerit. Prodiit quippe initio ſæculi ex Arabico ſermone Michaëlis à Luna regii interpretis operâ in Hiſpanum tranſlata *Vera hiſtoria Roderici Regis* Gothorum ultimi, Valentiæque anno MDCVI. à Patricio Mey edita. In proœmio ejus auctor refert, ſeſe huic Hiſpanienſi bello ab ingreſſu in Hiſpaniam Tarifi, una cum Juliano Comite, omnibuſque iſtius Machometani ducis expeditionibus, exceptis tantùm Carmonæ atque Emeritæ urbium expugnationibus continuò interfuiſſe, atque ab iis qui rebus pręfuere, omnia illa inſtrumenta documentaque, quibus utitur, accepiſſe.

Prima totius operis continet pars eorum omnium, quæ Arabes in conquirendo Califæ Walido Almanzoris, ſeu Mahometani imperii totius principi, Hiſpaniæ, quæ Gotthorum fuit, regno geſſerunt, narrationem. Quibus adjungit res alias geſtas in Arabia & in Hiſpania ſub eodem Walid atque ejus filiis, itemque aliqua de Califa Aben Cirix, atque ejus tempore geſtis inter tyrannos, ſeu rebelles ejus, qui in Hiſpaniis dominabantur, bellis. Altera pars hæc continet. Primò ſuprà laudati Califæ Abid Walidi Jacobi Almanzoris, cujus auſpiciis facta eſt Hiſpania ſubdita Maurorum, Vitam. Secundò deſcriptionem ipſius Hiſpaniæ, ac de Hiſpanorum moribus relationem. Tertiò narrat novam Hiſpaniæ atque Africæ expugnationem ab eodem Aben Cirix, Abdalaziſio, ſummo duce,

ce, & à rebellium despotarum manibus recuperationem. Quartò regnum in Hispania ejusdem Machometi Abdalazisii, post obitum Aben Cirix Califę, ejusque mortem describit.

Sed multa, ut jam judicium meum proferam, in tota historia enervant ejus fidem, retardantque lectorum assensum. Quantumvis enim, ut Gaspar Escolanus alicubi ait [q], liber Aben Tariqui Arabicus, quem Hispanum habemus, in regia bibliotheca Escorialensi exstiterit, de quo tamen neque ejus indices, neque interpres ipse Luna consulti quicquam docent; potuit sanè à Mauro aliquo, qui inter nos vixit, relatio hæc fabulæ, quam historiæ propior, emanare, quam exhilarandis ac recreandis otiosorum animis veris falsa miscendo compinxit auctor; quemadmodum alius ille, qui *De bellis civilibus Granatensis regni* paullò priùs quàm in catholicorum Regum manus perveniret, gestis jucundæ narrationis librum inscripsit. Planè etenim historia hæc novitatem in multis sapit; Arabismi genium minimè redolet. Instrumenta quippe regia mandatorum, deputationum, edictorum, iisdem ferè clausulis, ut cum foro loquar, eodem verborum tenore constant, quæ notarii recentiores usurpare solent. Meminit jam eo tempore, quo scribere se fingit, recentiorum nominum, quæ sub illam Maurorum irruptionem ignota adhuc fuisse ac nondum inventa, rerum antiquarum gnari homines prudenter existimant, scilicet Granatæ, Vandaluziæ, Castellæ, Aragoniæ, aliarumque, vel à Mauris ipsis, vel ab inferioris ævi mortalibus, impositorum.

[q] Lib. hist. Valent. cap. ..

Vitam insuper Abil Walidi, quam quidem fatetur cujusdam Ali Aben Enfian opus, non suum esse, cum iis veterum commentariis reputo, quibus optimi Rex, copiarum dictor, munerumque aliorum administratores, non quòd aliqui fuerint, sed quòd ita esse deberent, à celeberrimis tam Græcorum quàm Latinorum, necnon & vulgarium quarumcunque linguarum auctoribus describuntur. Nihil enim talium de Califa Walido Almanzor, quamvis aliàs prudenti & forti ac fortunato principe, cæteri Machometanarum rerum historici narrant. Et tamen Gallicè nuper prodiit hæc Vita ex Hispanico à quodam F. d'Obeilch versa, & anno MDCLXXI. Amsterodamensibus typis edita, magna cum & exaggerata fidei commendatione ab interprete factâ.

Sequitur *Hispaniæ descriptio*, sana quidem ut plurimùm, sibique ac vero consona, sed nec immunis eorum vadorum, in quibus hærent criticorum ingenia. Potuit quidem auctor à Judæis, sive eorum libris, aut potiùs è sacris Bibliis, principium rerum & reparati post diluvium orbis res doceri. Atque eò magis non debuit, cùm de primis Hispaniæ incolis sermonem habet, à biblicis hominum vocabulis divertere. At hoc facit, *Tubal*, Noachi nepotem, *Sem Tofail* appellans [r]. Marianson autem, qui Castellę hodiernam provincię ditionem à Bętica, sive ab hac Tarraconensem veterē divisit, appellatum fuisse ait [s] tunc temporis à Christianis incolis *Sierra Morena*, quod non ejus temporis est vocabulum, sed recentius, & usu introductum, ad significandum fuscum Maurorum colorem. A Mauris enim *Moros* dicimus (quo nomine etiam ab Italis Æthiopes, quòd eo colore sint, vocantur) & à *Moro morena* quamlibet rem decolorem, & albo in contrarium colorem declinantem.

[r] Cap. 1.

[s] Cap. 2.

Quod ipsum censeo de *Mancha* [t] nomine, sive Australioris novæ Castellæ partis, quam sic vocatam ab iisdem incolis fuisse refert. De quo tamen amplissimi tractus vocabulo consulendus magnus Surita in *Animadversionibus & emendationibus* vulgari lingua scriptis *ad Chronica Regum Castellæ, Petri, Henrici, Joannis, & alterius Henrici*, quæ Petrum Lupi de Ajala auctorem habent, ac nuper editæ sunt. Isti etiam Mariano Monti adversus omnium, qui olim de eo loquuti sunt, auctoritatem, incendium illud rivis argenti liquefacti ditissimum tribuit [u], quod nullus non illorum Pyrenæo adscripsit. Latere inde ait Guadianam fluvium, seu terrâ absorberi per milliarium CL. spatium, qui paullò plus viginti dumtaxat latet. Quem errorem vix potuit is, qui tot annis apud nos habitavit, admittere. Ridiculus tandem est quum tritici species quinque hodiernis nominibus, quasi jam olim in usu fuissent, non à seipso interpres, sed quasi auctoris sui verbis loqueretur, appellat [x].

[t] Cap. 4.

[u] Cap. 5.

[x] Cap. 6.

Tertia & quarta pars sequitur alterius partis de Califa Aben Cirix, ejusque duce Machometo Abdalazis, qui Africam & Hispaniam Dynastis Arabum denuò vendicavit, sibique tandem asseruit. Cui quidem contradicunt non solùm Arabicę illius Califarum successionis historici, Elmacinus, Abulfarajus, omnes alii, atque itidem Gręcus Theophanes; sed qui inter nos de Arabico in Hispaniis dominatu, tyrannisque urbium, sive portionum totius regni, sine missione inter se belligerantibus, quicquam scripsere. Nullus enim Aben Cirixi Arabibus, nullus Abdelazizii nomine Hispanis præfuisse apud eos refertur, si demas illum ultimò dicti cognominem Musæ filium, & ab eo in Hispania, dum reverteretur ad Walidum Califam, Hispanici belli rationem reddirurus, pro se relictum; cujus Isidorus meminit Pacensis Episcopus ad annum Arabum XCIV. qui nempe, ut idem ait Isidorus, intra triennium occisus non potuit non diversus ab eo esse, qui ut in Hispaniam dux veniret, deperditum Califarum imperium recuperaturus anno Arabum CXIV. hoc est orbis redempti anno DCCXXXIV. teste ipso rei auctore Abulcacino, in mandatis habuit. Et tamen auctor noster Abdulazisio huic Egilonæ olim Roderici Regis coniugis matrimonium tribuit; non autem Musæ filio, ut Isido-

rus

rus & alii rerum nostrarum scriptores.

Abu Nazarus Phathius filius Chahan, aut noster est, aut inter nos vixit; cujus rei documentum nobis idoneum præbet, quòd librum scripserit *De studus populi Andalusię*, hoc est, *Hispanorum*, ut suprà notavimus: *qui liber raro inter Arabes repertus à singulari usu commendatur: Eximium magni ingenii specimen*. Quę verba sunt Jo. Henrici Hottingeri in *Bibliothecarii* sui lib.2.cap.3.[z] quo post insertum huic capiti librum integrum ex Arabico Latinum Joannis Leonis Africani *De scriptoribus Arabicis*, specimen subjunxit aliorum ejusdem gentis scriptorum à litera A. incipientium, ex Iben seu Aben Chalican, quem celeberrimum Arabum prosopographum vocat.

[z] Pag. 291.

Idem ait multa scripsisse Abu Nazarum, & in his *Syllogen poëtarum Arabum*, quos & doctè explicat. Hæc Hottingerus infelicissimus heterodoxus, quem insignis linguarum orientalium ac totius historicæ rei doctrina minimè defendit à miserrima sui ipsius ac ferè integræ familiæ in fluvio Rhodano, dum patria urbe in Lugdunense gymnasium à Batavis evocatus iret, suffocatione.

Abu Nasaris itidem *Super physicam* librum exstare in regia Escorialensi bibliotheca MS. notat Spizelius in *Specimine bibliothecæ universalis*.

Abu Said Honein Ibn Iishaqel Abedi, grammaticus, anno Hegiræ, sive à fuga Muhamedis DCLVI. hoc est, redempti orbis MCCLXXVIII. sub Alphonsi Regis X. tempora Hispali apud nos (unde genti nostræ ex conjectura tantùm adjudicari potest) *Galeni Pergameni tractatus priores usque ad decimum libri De compositione simplicium medicamentorum* transtulit ex Gręca in Arabicam linguam.

Item ejusdem Galeni quendam alium in *Hippocratem* librum, seu libros, Arabicè etiam vertit. Quæ duæ hujus linguæ interpretationes exstant in regia Escorialensi bibliotheca, ut è *catalogo Castelli* apud Hottingerum in *bibliothecæ orientalis* appendice.

Ahmed, filius Muhamedis, Andalusenus, *Demonstrationes de abneganda falsa religione* scripsit, quæ asservantur Arabicè in Lugduno-Batava bibliotheca inter libros Levini Warneri, ut ex ejus catalogo docemur.

Ali Aben Ragel Toleti sub Almenone, seu Hali-Menone Rege, Ferdinandi I. ætate[a], qui regnare cœpit in Castellanis anno undecimi sæculi secundo supra tricesimum, astrologico studio celebris, eoque libro vixit, quo posteris Apotelesmaticam, sive judiciariam astronomiam amantibus prodesse voluit.

[z] Marmol. lib. 2. *Hist Afr.* cap. 19. Garibajus lib. 38. *Compend. hist. Hispan.*

Is dicitur *De judiciis seu fatis stellarum* Venetiis editus ab Erhardo Radelz anno MCDLXXXV. & Basileæ apud Henricum Petri. Interpretatus quisnam fuerit ex Arabico, nondum legi. Hispanè etiam conversum fuisse ab anonymo, apud Petrum Alcozerium lib.1. cap.45. *Histor. Tolet* legere est, & Garibajum lib.38.cap.2. Manuscriptum tamen exstare in codice 26. bibliothecę Gabrielis Naudæi monet alicubi[a] Theophilus Spizelius. Cordubæ natum Morales credidit in *Antiquitatibus Hispaniæ*[b]. Toletanum Petrus de Alcozar nuper laudatus. Est & in Ambrosiana cum aliis ejusdem operibus, ut audio.

[a] In *Specim. biblioth. universal.* verb. *Aben-Ragel*, quod est pars operis, *De arcanis bibliothecarum detectis*.

[b] Fol. 213. tom. 2. *Histor. Hispan.*

Ali Albucazem, Toletanus, scripsisse dicitur *De astrologia judiciaria*. Qui quidem liber, absque interpretis nomine, Latinè atque Hispanè, scripturâ formâ & idiomate antiquis inter nos exstat; laudaruntque eum, qui certiores hujus editionis facti sunt, D. Thomas Tamajus in *Collectione librorum Hispanorum*, & Petrus Alcozerius *Historiæ Toletanæ urbis* lib.1.cap.45. mentionem habentes. Floruisse dicitur eodem, quo Ali Aben Ragel, tempore, qui natus fuit anno CMLVI. si eredimus Joanni Baptistæ Ricciolo in *Chronici astronomorum* &c. par.2. quod Chronicon *Almagesto* suo *novo* præmisit. Alius ab hoc videtur *Abul Cazimus* medicus, de quo videri Spizelius poterit in *Specimine bibliothecæ universalis*.

Almeonem Almanzoris (filium intelligo) ejusque *Observationem de maxima obliquitate signiferi*, quæ ad se pervenisset, laudat, unum ex Hispanis, Ismaël Bullialdus in Prolegom. ad *Astronomiam philolaïcam*; vixisseque eum circa annum Christi MCL. affirmat.

Anonymus, qui Manzoris Granatæ Regis tempore vixisse refertur, in linguam Arabicam è Latino vertisse dicitur *Thesaurum agriculturæ*. Hujus libri & operæ meminit Joannes Leo Africanus in *Descriptione Africę* lib.1.cap. *Quos habeat Africę aër* &c. pag. 80. *Multi sunt Africani rustici, qui cùm nunquam ne literas quidem norint, disertissimè tamen de rebus astrologicis disputant, rationibusque validissimis argumenta comprobant. Quicquid hac in re cognitionis habent, id ad illos è Latinis manavit fontibus: menses quoque ad eum, quo Latini, appellant modum. Exstat & penes eos ingens quoddam in tres divisum partes volumen* (Thesaurum agriculturæ *vocant*) *hic iis temporibus Latino in eorum linguam versus est, cum Mansor apud Granatas rerum potiretur*. Hæc Joannes Leo. De quo autem Latini auctoris opere hunc *thesaurum* intelligat, non facilè dixerim.

Arabi, aliàs Iben, seu Eben (quæ filium notant Arabicæ linguæ vocabula) Arabi Andalosenus, cujus hæc laudantur opera: *De occulto rerum consensu*. Qui liber exstat in Leidensi bibliotheca, ut ex ejus apparet catalogo[c].

Et laudat Hottingerus *Smegmatis orientalis*, seu *bibliothecæ*, lib.3.par.2.cap.2.[d] *De inspiratione divina gemmæ scientiarum IBEN ARABI, seu de diversimodo divini numinis afflatu*. Quod opus exstare cum *Davidis Cæsareensis commentariis* idem affirmat Hottingerus dict.cap.2.pag.202.

[c] Pag. 291.

[d] Pag. 248.

Exstatque inter libros Golii eidem acade-

e Pag. 190.

academia donatos e, *De ſapientia inſpirata.* Item *De diſpoſitionibus divinis in conſtitutione imperii humani*. hoc eſt, *De providentia Dei*, aliàs *De divino rerum humanarum regimine*, ut in catal. Leid. quorum duorum idem auctor meminit ibidem. Theologica & philoſophica hæc omnia, & quæ ſi ſanè tractentur, communicari digniſſima ſint hominibus noſtris, ut agnoſcant non aliud his ſectariis Muhammedis niſi fidei lumen defuiſſe. In biblioth. autem Leidenſi catalogo liber iſte *De ſapientia inſpirata*, *[illegible] biddin Ibn-Arabi Hatemi Taji Andaluſii* nomine inſcriptus eſt f.

f Pag. 103.

Fortè cum his coïncidunt jam laudatis hujus operibus *Tebritii ſcholia in librum dictum Gemmam ſapientiæ Ibn El Arabi*, necnon *& Tebritii commentaria in Jenol Arabi theologiam ſcholaſt.* quorum ut in eadem Leidenſi biblioth. ſervatorum meminit ejus catalog. g in qua & exſtant Notæ Ibn Arabi in *poëma myſticum Buſiridę Ægyptii* h. Necnon & *Abdi Aphendi commentaria in poëma Ibnol Arabi & Taji El Hatemi El Andalouſi* i. Nec fortè diſcedimus ab eodem auctore quum *Tajil Andalouſii contra Sophos* librum, *præcipuè in quæſtionibus De Dei eſſentia*, ibidem exſtantem k laudamus.

g Pag. 180. & 185.
h Pag. 308.
i Pag. 117.
k Pag. 184.

ARATIUS ABEN ZACHARIAS (ſi alius eſt ab *Abubecro Mahumed Aben Zacharia*, cujus aliàs meminimus) medicum quendam commentarium anno Machometi DLXXV. exaravit; qui exſtabat in bibliotheca Scorialenſi.

ARFARACIDES, ſeu IBEN ARFARACIDES, *poëmata* confeciſſe credendus eſt *De arte chimica*. ſiquidem in bibliotheca Lugduno-Batava inter libros à Golio eidem donatos exſtant *Commentaria Eidemeri fil. Ali, fil. Eidemeri Gieldebæi in Ibn Arfaracidæ Andaluſii poëmata* De arte chimica *tribus voluminibus*.

ARZACHEL, ſive ARZAHEL, aliis ABRAHAM EIZARAKEEL (quem omnes Hiſpanum vocant, & quidam Toletanum) duodecimo floruit ſæculo, hoc eſt, uno ſuper ſeptuaginta annos prior Abrahamo Aben Eſra, eo tempore quo librum ſcribebat, cui titulus eſt: *Sepher Meaz Haganuth*, ſive *liber aſtrologicus*, in cujus prima parte, ſeu libro cui *Reſerth hochma*, ſive *Initium ſapientiæ* inſcripſit, neminem illo ſæculo in obſervandis cœli motibus cum Arzachele comparandum fuiſſe ait, ſeque illo LXXI. annis poſteriorem fatetur. Quod ſi ad annum Aben Eſræ obitûs referas, cùm incertum ſit quonam hic opus iſtud ſcripſerit, & annus ille obitûs, ſi auctori libri *Juchaſim* credimus, varias aliorum opiniones referenti, tandemque eorum approbanti, qui ad annum mundi MMMMCMLIV. (id eſt, Chriſti MCXCIV.) ejus mortem referunt, hoc anno contigerit; neceſſum, fateor, eſt, Arzachelem ineunte iſto duodecimo ſęculo in vivis fuiſſe inter hujus illuſtres aſtronomicâ doctrinâ viros pręcipuo loco habitum. Nec diſconvenit ætas ei à Joanne Gerardo Voſſio aſſignata, in *De ſcientiis mathematicis* cap. 35. §. 13. qui celebratum eum fuiſſe ait circa annum MLXXX. teſtimoniis uſus Henrici Bruccí & Joſephi Blancani, qui catalogos primus aſtrologorum, alter verò mathematicorum, confecere. Atque Aben Eſræ maximi ęſtimandum eſſe teſtimonium huic exhibitum, cùm & ipſe aſtronomus inſignis fuerit (ut ex elogio ejus in *Bibliotheca magna Rabbinica* R. Patris D. Julii Bartholoccii Ciſtercienſis monachi, Hebraïcè doctiſſimi, noſtrique, dum Romę ſimul conviveremus, amici, conſtat) nemo inficiabitur.

De obliquitate is *Zodiaci*, quę obſervavit, literis conſignavit, & inter alia, (ut Voſſius inquit) maximam ſolis declinationem tempore ſuo graduum XXIII. ac XXXIV. minutorum eſſe, Georgius autem Joachimus Rheticus in pręfatione ad ſuas *ephemeridas* hunc auctorem ait fuiſſe Toletanarum tabularum, & reliquiſſe obſervationes CCCCII. ſolares de conſtituendo ſolis apogęo, ut ex eo refert Joannes Baptiſta Ricciolus in *Chronico aſtrologorum* &c. cum *Almageſto* ejus edito. Quod ſi ad *Alphonſinas* (ut vocant) referas tabulas, reſiſtit Alphonſi Regis earum promotoris tempus, qui ſęculo decimo tertio vixit, atque eo exeunte obiit. Niſi cum Geſnero in *Pandectis* l dicamus ex Albategnii & Arzachelis antiquioribus tabulis nunquam editis deſumptas poſtea Toletanas fuiſſe: quod quidem circa Albategnianas verum & compertum ſit dediſſe Toletanis exemplar ſeu regulam, agnoſcente eodem Ricciolo in Alphonſi mentione, de quo nos ſuperiùs diximus, eundem Regem laudantes. Nec de Arzachele reſiſtimus, cùm & ejus ſub Zarchielis nomine tabulas in eo libro inſeri Alphonſus juſſerit, quo Albategnii canones in vulgarem linguam ex Arabico transferri olim fecit. de quo etiam eodem loco diximus.

l Tit. 6. *De aſtronomia* §. Tabulæ motuum fol. 92.

Neſcio qua ratione motus Geſneri epitomator noſtrum hunc *Archezel Albategni* vocet, cùm ab Albategno *De ſcientia ſtellarum* editi libri auctore ſtatim diſtinguat: niſi deceptus fuerit duorum horum conjuncta alicubi mentione, quos unum eundemque eſſe exiſtimavit.

AVERROES, ab aliis Arabicum nomen exprimere volentibus, ABEN-RUST m, ſive ABEN-ROST n, ſive tandem ABEN-RAST o, aut ABEN-RASD p audit. Nomen integrum ABUAL-WALID MOHUMMED EBEN AHCMED, EBEN MOHUMED, EBEN ROSHD, quod notat vir exquiſitè doctus Thomas Reineſius epiſt. 15. ad Hoſmannum. Joannes Leo ſic interpretatur q: *Averroïs nomine proprio vocatus eſt Muhammed, cognomine Abul Guail. Averroïs autem nomen proprium eſt primi hujus domus. Rectum Arabicè eſt Ibnu Roſdin, quoniam Ibnu* (idem eſt *Eben*, ſeu *Ebn*) *ſignificat filium, & Roſdin nomen proprium ſignificat* Rectum. *Inter Arabes quoque doctos vocatur Ibnu Roſdin Elhafidu, qui Latinè interpretatur nepos, ad diffe-*

m Ita Reuchlinus lib. 1. *Cabalæ*.
n Raym. Martini in *Pugione fidei ſæpius*.
o Zacutus in *diſcurſu proœm. ad veter. medicor. hiſtor.*
p Apud Plantavitiú in *Biblioth. Rabbin.* verbo *Aben-Raſd*.
q Dict. lib. *De Arabibus illuſtribus*, in Hottingeri *Bibliothecario* pag. 271.

ren-

rentiam avi ſui, qui ejuſdem nominis erat. Patria ei Corduba urbs fuit, ſummorum virorum altrix. *Iſte autem* (proſequitur Leo) *natus erat in civitate Cordubæ, & nobili quidem familia, cujus pater judex & caput exſtitit ſacerdotum totius provinciæ & Bæticæ* (lego *Bæticæ*) *& regni Valentiæ.*

De patria ipſe auctor eſt lib. 2. *Colliget*, ſeu ita nuncupati operis, cap. 22. dum profert aliis climatibus quintum, in quo hæc urbs ſita eſt. Ambroſius Morales lib. 16. cap. 8. omnia ejus teſtimonia, unde liquet id, quod natali de loco dicimus, collegit. In *paraphraſi ad Platonis Rempublicam* cùm dixiſſet [s] Platonem Græcos plurimùm naturâ habiles ad ſuſcipiendam ſcientiam verè affirmâſſe; adjungit Averroës hoc ipſum dici debere de propinquis Græciæ nationibus, necnon *de regione* (ait) *noſtra Wandalia, Samia, atq; Ægypto.* De avo autem & patre idem Leo: *Ita etiam avus ejus maximus ac præſtantiſſimus legiſta fuit, & ſecundus* [s] *Malich* (hic fuit unus ex quatuor primarii juris Mahummedanorum canonici interpretibus) *& theologus ſecundum Eſciarim. Et quando populus Cordubæ rebellis effectus eſt contra patrium* [t] *principem & caput, qui terram more principis ac domini poſſidebat, avus Averrois legatus fuit ad Regem Marach* [u]*, ut ei terram traderet: qui honore ab ipſo Rege affectus fuit, adeóque gratus, ut quicquid nomine communitatis ſuæ petierat à Rege, ſummâ gratiâ ei conceſſum fuerit à Rege prædicto; & ei duos magiſtratus largitus eſt, totius videlicet regni Cordubæ judiciatum: atque ſacerdotum caput in patriam ſuam cum honore ornatuque ſummo reverſus eſt. Poſt longum verò tempus obiit: cujus filius in judicem & ſacerdotem maximum voce populi Cordubæ electus eſt, & Rex Marrochi eum confirmavit. Hic fuit pater Commentatoris* (noſtri ſcilicet Averroïs) *qui ſimplex legiſta exſtitit. At ex ſua praxi dati ſunt ei magiſtratus prædicti, qui per multos annos vitam duxit lætam, & poſt hujus mortem itidem filium ejus in ſupradictos magiſtratus elegit populus; quoniam hic tum legiſta, tum theologus magnus ac excellentiſſimus fuit, qui ſummum exercuit juſtitiam.*

[s] Tract. 1.

[s] Lego *ſecundum*, ut infrà, quà de noſtro loquitur.

[t] Ita ſcripſit Hottingerus interpres, ſive editor: ſed rectius videtur *partium principem*.

[u] *Marroch.*

Quibus tamen præceptoribus ac libris uſus fuerit, ut encyclopædiam aſſequeretur, jam audiamus; quos omnes ejus magiſtros Cordubenſes, aut ſaltem Hiſpanos, fuiſſe veroſimilius eſt. *Legis ſcientiam à patre accepit, etiamque ab Albadi Ibnu Handin, totumque compendium Schuum cum commentario ſui avi. Sic etiam Moaltam de Melich cum commento Albagi, & etiam recepit ſcientiam Alchorani: artem ſcilicet lecturæ, ab excellenti magiſtro Soraib Leſabi, ab ipſoque audivit omnia opera Eldeni cum commento ipſius Maſchari & Ibnu Hathiæ. Poſtea ſe theologiæ omnino dedit ſecundum Eſciarim* [x]*, eamque ſcientiam recepit ab Ibnu Chalil theologo. Poſt quæ phyſicæ operam dedit; & omnes Ariſtotelis textus cum quodam commento brevi cujuſdam, Abu Bacar Græci ab Ibnu Thophaïl, medicinamque ab Ibnu Zohar* (hic eſt Aben Zohar) *addidicit, aſtrologiamque & mathematicam ab Ibnu Saigh doctus. eoque univerſalis effectus eſt.* Hæc ille ex *Bætica hiſtoria* Ibnu El Habar, qui alius procul dubio eſt ex Mauro-Hiſpanis ſcriptor hiſtoriæ hujus ſuæ provinciæ. Sicut & avum Averroïs in hunc album recipere debemus ob ſcriptum iſtum, qualis ille fuerit, *commentarium in compendium Schuum.*

[x] Vide infrà.

Adjungit idem El Habar alia de prudentia, patientia, liberalitate, ac pietate, apud eundem Leonem. Item quòd fuerit pinguis carne, quantumvis parum comederet, hoc eſt, ſemel in die ac nocte. Majorem noctis partem vigilare ſolitum, legis libris ac philoſophiæ intentum; quorum tædio ſi caperetur, poëſeos ac hiſtoriæ libris delectatum fuiſſe; nunquam luſiſſe, nunquam inter vana ac inutilia tempus abire paſſum; benignum, omnibus gratum, poëticis auctoritatibus & jocis urbanis uti cum paribus conſueviſſe. *Legiſta* (infit Leo) *fuit ſecundum Malich, & theologus ſecundum Eſciarim.* hoc eſt, *ſecundum opinionem ejus, ac ſecundum opinionem vocum imitabatur Ariſtotelem.* Sectas duas, Melchitarum & Aſcharitarum, quæ, alias inter, in Muhammediſmo prævalebant, ſignificare voluit. Melchitæ ab auctore Melche Ibnu Ames. De his & *Aſcharitis* Hottingerum conſule in *Hiſtoria orientali* [y]. Similia dixit Leo, cùm de avo noſtri loqueretur.

[y] Lib. 2. cap. 7. §. 2. & 3. pag. 551. & 559.

Accuſatum deinde ait apud Manſorem Marochi, quòd hæreticus eſſet, operâ ſcilicet Aben Zohar junioris, præceptoris ejus filii, & poſt cauſſam dictam condemnatum, honoribus ſpoliatum, & bonis multatum, aliquamdiu cum Judæis in eorum vico, quaſi exſilio deputatum, habitâſſe. Marochum revocatum, publicæque ignominiæ expoſitum, ac hæreſi ſuæ renunciare coactum fuiſſe. Dimiſſus inde, in *Fes* urbem rediit, abhinc Cordubam, donec populis omnibus conquerentibus de ignorantia ejus, qui in locum noſtri judicem exercere juſſus fuerat, magno omnium conſenſu Marochum è patria evocatus à Rege, ſuoque muneri ac bonis fuit reſtitutus. Qua dignitate mactus, in eadem Marochenſi urbe uſque ad obitûs diem permanſit. Hæc ferè ex Leone & El Habar.

Docuiſſe eum in academia Marochiana, auſpiciis Jacobi III. ex Almohadis, qui Almoravidas è regno dejecerant, obſervavit Reineſius [z]. Sed Aben Jacob ſecundus Almohadum, non tertius fuit, filius Abdelmonis, ex ea ſtirpe primi [a]. Succeſſerat hic patri ante annum MCLXXVII. quo anno in ditionem veniſſe Alphonſi Caſtellæ Regis VIII. Concham urbem, qui Jacobo huic parebat, hiſtoriæ noſtræ docent [b]. At hunc ipſum in Luſitania MCLXXXIV. lethaliter vulneratum, & Tago flumine hauſtum, ex iiſdem novimus [c]. Hi nimirum conſtituendi ſunt fines Averroïs profeſſioni Marochianæ, ſi ea fuit ſub Aben Jaco-

[z] Epiſt. 15. ad Hofmann.

[a] Roderic. Tolet. *Hiſt. Hiſpan.* lib. 7. cap. 10.

[b] Mariana lib. 11. cap. 14.

[c] Mariana lib. 11. cap. 16.

Jacobo: circa enim hoc tempus eum in vivis esse id confirmat, quòd in *paraphrasi super libros Platonis De republica* terræ motûs meminerit, quem contigisse ait se vivo anno MCLXVI.

Duos item filios Averroïs in aula Frederici Imperatoris (secundi scilicet hujus nominis, non Barbarossæ cognominati, qui primus fuit, in quo plures, auctorem hujus rei laudantes, falluntur & fallunt) versatos fuisse, scriptis consignavit [d] Ægidius Columna, sive Romanus. Nam hunc Fredericum tempore suo mortem obiisse ait, quod verum est: nam cœpit an. MCCXIX. absolvit imperium MCCL. cùm ante triennium Ægidius in lucem editus fuisset [e].

Id mihi confirmat Averroëm ad hoc usque sæculum XIII. vixisse, non verò diem suum obiisse superioris anno nonagesimo octavo, sive Egiræ DXCV. quod ait Reinesius [f]. Vix enim potuit, quinquaginta ferè annos ante ortum Ægidii Romani demortuus, reliquisse filios, quos ille in Frederici aula cognoscere posset. Et quidem Averroës ipse fatetur in fine libri hoc anno MCXCVIII. se paraphrasin in Aristotelem *De partibus & generatione animalium* absolvisse. Joannes quidem Leo, qui veteres Arabicorum sapientum historicos consulebat, hæc ait de Averroïs morte: *Postremò mortuus est Averroïs in civitate Marochi, & fuit sepultus extra portam coriariorum, tempore Mahumedis Manzoris Pontificis ac Regis, anno sexcentesimo tertio de Egira*. Mahumedus iste quartus est Almoadum Rex, filius Aben Josephi, qui successit fratri Aben Jacobo, & uterque Abdelmonis ejus generis primi filius fuit.

Inquiramus ergo, ut quo tempore noster obierit auctor inde palam fiat, in Mahumedis hujus regni initium. Rodericus Toletanus ait: *Post hæc mortuo Abdelmuno, filius ejus Aben Jacob successit in regno, qui in Hispanias veniens, à quodam Christiano occisus fuit in Portugallia* (diximus id contigisse an. MCLXXXIV.) *cui successit frater ejus Aben Joseph, qui in bello Alarcurris repulit Christianos*. Infelix hoc prœlium patratum fuit anno MCXCV. [g] sed aliquot deinde annis supervixisse ex eo videtur, quod anno ferè MCC. [h] eum adierit Marochi degentem Sancius Navarræ Rex, cognomento *Fortis*, eo animo, ut ad bellum Castellæ Regi Alphonso, molestissimo sibi per id tempus hosti, contra icti fœderis leges, inferendum impelleret. Sæculum ergo absolvit adhuc superstes Aben Josephus, *quo mortuo* (Rodericus prosequitur) *successit ei filius ejus Aben Mahomed, qui in Navis Tolosæ ab Aldefonso Rege nobili* (anno scilicet MCCX.) *fuit victus. Quæ victoria discessionis & exterminii Almobadum caussam dedit*. Hæc ille.

Annus verò Egiræ sexcentesimus tertius, quo Leo ait Averroëm obiisse, si Calvisio [i] & Labbeo [k] credimus, sæculi hujus sextus erit, ut mittamus Huttingerum

[d] Quodlib. 2. quæst. 20.

[e] Philip. Elssius in *Encomiastico Augustiniano*. Malè Mirandulanus, qui MCCLXXX. obiisse ait lib. 1. *De rerum præn.* cap. 4.

[f] In Vossii *De philosophia* cap. 14. magnus error in Barbarossæ ætate subrepsit.

[g] Marian. lib. 11 cap. 18.

[h] Idem lib. 11. cap. 20. Garibay lib. 24. cap. 11.

[i] In *Chronopere* anno MCCVI.

[k] In *Concord. Chronol.* 1. par. *Tecbnicę* eod. anno.

(nisi error sit scripturæ) qui vicesimum quintum assignavit. Planè convenit Calvisii computo cum tabella illa quam in *Chronologica* sua *isagoge* [l], ad dignoscendos, & cum Christianis conferendos, Egiræ annos, idem Calvisius dedit, & cum Mahumedis regni, cujus tempore vitâ functus Averroës fuit, ratione.

Risu quidem excipiendus venit, & excipitur quidem à Joanne Pico Mirandulano [m], Petrus Aponensis, dictus *Conciliator* (de quo censionem consulas Paulli Langii in *Chronico Citizensi* [n]) qui in secundum *De cœlo* librum Aristotelis, anno Christi CL. Averroëm floruisse scribere non erubuit [o].

Circa doctrinam verò & opera, quò jam deveniendum est, propter excellentiam in philosophia, lustratumque totum Aristotelem vel commentario vel paraphrasi Arabica, *Commentatoris* nomen obtinuit. Super quo tamen prestat Joannem Ludovicum Vivem lib. 5. *De caussis corruptæ eloquentiæ* audire, de Averroë censentem: *Homo qui in Aristotele enarrando nihil minus explicat, quàm eum ipsum, quem suscipit declarandum. Sed nec potuisset explicare, etiam si divino fuisset ingenio, cùm esset humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat; quò in Aristotele enarrando posset esse probè instructus? Non cognitionem veteris memoriæ, non scientiam placitorum priscæ disciplinæ, & intelligentiam sectarum, quibus Aristoteles passim scatet. Itaque videas eum pessimè philosophos omnes antiquos citare, ut qui nullum unquam legerit, ignarus Græcitatis ac Latinitatis. Pro Polo Ptolemæum ponit; pro Protagora Pythagoram; pro Cratylo, Democritum; libros Platonis titulis ridiculis inscribit, & ita de his loquitur, ut vel cæco perspicuum sit, literam in iis eum legisse nullam. At quàm confidenter audet pronunciare hoc aut illud ab eis dici, &, quod impudentius est, non dici, cùm solos viderit Alexandrum, Themistium, & Nicolaum Damascenum, & hos, ut apparet, versos in Arabicum perversissimè ac corruptissimè? Citat enim eos nonnunquam & contradicit, & cum eis rixatur, ut nec ipse quidem, qui scripsit, intelligat. Aristotelem verò quomodo legit? non in sua origine purum & integrum, non in Latinam lacunam derivatum (non enim potuit linguarum expers) sed de Latino in Arabicum transvasatum; in qua transfusione ex Græcis bonis facta sunt Latina non bona; ex Latinis verò malis Arabica pessima*. Hæc Vives doctè & nervosè.

In medica autem arte non æquè ut in philosophia præstantem fuisse, medicorum filii quidam censent. Theoreticum alii veriùs quam practicum vocant. Non sic è noviorum classe Zacutus Lusitanus, vir doctrinæ exquisitæ & elegantis, cujus hæc sunt [p]: *Averroës plusquam commentator, seu malleus medicorum veriùs appellandus, dictus Arabicè Aben-Rast, vir acutissimus, subtilissimus, & philosophiæ scientiâ clarus; adeò ut priscorum philosophorum & medicorum dicta exacto examine non solùm ad Aristopha-*

nis,

[l] Cap. 13. pag. 93.

[m] *De præn.* lib. 5. cap. 4.

[n] Pag. 829. inter *Germanicarum scriptor.* tomo 1.

[o] In *Conciliatore* diff. 9.

[p] In *Discursu proœmiali ad veteres medicorum historias*.

nis, sed ad Cleantis lucernam pensata explicuerit. Constat hoc apertè ex vasto illo, quod super omnia Aristotelis opera conscripsit, volumine ingeniosissimo & laboriosissimo, sed ob temporis tunc injuriam ineleganter admodum traducto. Scripsit opus Colliget (*Latinè sonat*, universale) *in septem distinctum libros, in quibus summam eruditionem, rarum ingenium, reconditamque doctrinam palam fecit.*

Distinguunt alii, uti diximus, in philosophia primas ferè ei concedentes. Petrus Castellanus [q] *disputatorem subtilissimum*; Amatus Lusitanus [r] *philosophum post Aristotelem admirandum*; Joannes Brujerinus [s], *post Aristotelem summum philosophum.* qui & adjungit: *& post Galenum medicum summum.* Jacobus quoque Mantinus interpres multorum nostri operum: *Nam ut rerum naturalium* (ait [t]) *cognitionem sine Aristotele adipisci difficile est; ita Aristotelem sine Averroë profiteri, meo quidem judicio, non valdè est probabile.* Joannes Picus Mirandulanus: *Celebrem in Aristotelica familia philosophum, & rerum naturalium gravem æstimatorem, appellat* [u]. Qui & alibi [x] soliditatem ei doctrinæ disertè magis attribuit: *Est apud Arabes* (ait) *in Averroë firmum, & inconcussum in Aben Pace, in Alpharabio grave & meditatum, in Avicena divinum atque Platonicum. Idem tamen* (quem laudavimus) Amatus vocat *insignem philosophum; non adeò tamen in medicina excellentem, ut illi auctoritatem* (ait) *dare debeamus.* Item Averroïs fidem non multum valere apud medicinæ sectatores, nisi in quantum Hippocratis aut Galeni testimoniis utitur, quidam alii censent.

[q] *De vitis medicorum.*
[r] *Centur.* 4. *curat.* 44. in scholiis.
[s] In præf. ad *interpretat. collectan.* Averroïs *De re medica.*
[t] In dicta *præfat.* libror. *De part. & generat. animal.* ad Leonem X.
[u] Lib. 1. *Adversus astrologos.*
[x] In *Apologia.*

Propter aliquos tamen magnos ejus errores adversus Christianam philosophiam atque theologiam commissos, petiisse olim Raymundus Lullus dicitur à Clemente Papa V. tentatâ etiam Philippi Pulchri Galliarum Regis interpositione, quod precibus ac supplicibus libellis, & conscripto ea re super libello fecit, ut Averroïs in Aristotelem commentarii proscriberentur, atque igni subjicerentur. Negat autem Carolus Bovillus in Vita Lulli, quem hujusce rei auctorem habemus, quicquam vel à Papa vel à Rege impetrare circa id potuisse. Unà etenim cum Aristotele, quem post Petri Lombardi theologorum scholasticorum antesignani perpetuum de philosopho isto silentium, Albertus Magnus (ut creditur) in scholam Parisiensem, discipulique ejus in alias, primi invexerunt, increbuit apud omnes Commentatoris ejus, hoc est Averroïs, fama; adeò ut, quemadmodum Melchior Canus lib. 10. *Locorum theologicorum* cap. 5. de tempore suo loquens ait: *Superiore seculo, & paucis anterioribus, oraculi loco, esset Averroës in scholis, & præsertim in Italia, quæ occasio fuit magnorum in illis oris errorum & inutilis diligentiæ, quâ aliqui non minus in pervoluntando Averroë collocabant operæ, quàm in sacris literis ponunt, qui his maximè delectantur. Nunc Averroës* (subjungit) *in scholis omnino jacet.* Nempe ut Mahommedanus plura circa divina falsò docuit. Quare *procacissimum Christianorum adversariorum* Joannes eum vocavit Gerson [y].

Hujus errores multi observaverunt & impugnaverunt [z]. Ambrosius sanè Leo Nolanus superiore seculo sat grandi volumine castigationes adversus eundem Leoni X. Pontifici nuncupavit. Isidorus quoque Isolanus discipulis & sectæ ejus bellum intulit, in Averroïstas *De æternitate mundi* libris quatuor disputans, Lugduni editus apud Carolum Pernot an. MDLXXXII. in 4°.

[y] Tract. 9. *super Magnificat.* tom. 3 operum fol. 457.
[z] Bern. Lutzemb. in *Catal. hæretic.* verbo: *Averroïs.* Jacob. Gaddius *De scriptor. non Ecclesiasticis* tomo 1.

Opera autem Averroïs, quæ pars sunt philosophica, pars medica, continentur post alias in editione Veneta operum Aristotelis, quæ ex officina Juntarum MDLXII. prodiit in 8°. undecim, seu potiùs quatuordecim voluminibus, cùm primùm in tres, sextum in duas dividatur partes cum hoc titulo: *Aristotelis omnia, quæ extant, opera, selectis translationibus &c. Averroïs Cordubensis in ea opera omnes, qui ad hæc usque tempora pervenere, commentarii. Nonnulli etiam illius in logica, philosophia, & medicina, cum Levi Gersonidis in libros logicos annotationibus, quorum plurimi sunt à Jacobo Mantino in Latinum conversi; Græcorum, Arabum, & Latinorum lucubrationes quædam ad hoc opus pertinentes. Marci Antonii Zimaræ philosophi in Aristotelis & Averroïs dicta in philosophia contradictionum solutiones propriis locis annexæ. Bernardini Tomitani, logici atque philosophi præstantissimi, in Aristotelis & Averroïs dicta in primo libro Posteriorum resolutt. Contradictionum solutiones, necnon ejusdem libri locorum, qui obscuriores habentur, conversiones & animadversiones in Averroëm. Quæsita demonstrativa argumenta, & magnorum commentariorum graviores sententiæ certo ordine collectæ. Quæ omnia ex ejusdem Tomitani lectionibus excerpta fuere. Item ejusdem Zimaræ tabula, quæ undecimo toto volumine continetur.*

Integram ostendimus faciem editionis, ut in unicum conspectum veniret quicquid ea comprehendit, singulas ejus partes deinde repræsentaturi. Nempe Aristotelem continua paraphrasi seu commentario illustrare, & Arabibus philosophis in ducem & principem commendare, animo concepit Averroës, & voto functus fuit, cùm Avicena ante eum, potiùs quàm in aliorum, in Platonis doctrina sibi placuisset [a]. Immo inter Latinos ipsos jam Latinè sonans non mediocri augmento Aristotelis nomen & famam decoravit. Ejus quidem Aristotelis, quē Græcorum censebat sapientissimum, invenisseque eum non modò, sed & complevisse logicam, physicam, & metaphysicam artes, alicubi reliquit scriptum, his verbis usus, quæ habemus à barbaro interprete: *Invenit. Quia quicquid invenitur scriptum ab antiquis in hac scientia, non est dignum quòd sit pars artis hujus, nec ambiguitas ejus, nec dum quòd principia essent. Complevit. Quia nullus eorum, qui sequuti sunt eum, usque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum* (scribebat ergo hęc an-

[a] Jo. Picus Mirand. in *Exam. doctrina gentium* lib. 1. cap. 2.

no MCLXXVIII. Aristoteles enim obiisse dicitur anno ante Christum natum CCCXXII.) *nihil addidit, nec invenit in ejus verbis errorem alicujus quantitatis.* In quibus prævaricationis & incongruæ præsumptionis sæpe arguitur à Joanne Pico Mirandulano [b]. Hic nimirum mos fuit sectatorum alicujus scholæ, ut scientiæ illius originem sectæ suæ principibus tribuerent: quod Averroïs, qui hisce verbis Aristotelem, & Lucretii, qui Epicurum, sapientiæ inventorem appellant, exemplis vir doctissimus Petrus Gassendus in libro proœmiali *De philosophia universè* cap.3. [c] confirmat.

[b] *De stud. philosoph.* lib.2. cap. 1. & in *Exam vanit. doctrinæ gentium* lib.4. cap.2. & 5. in fin. & lib.6. cap.12.

[c] Tom.1. ejus oper. pag. 7.

Prodiisse primùm hæc omnia *Commentaria in Aristotelem* Averroïs anno MD. Venetiis in folio, alicubi legimus. Immo & omnia Averroïs opera etiam Venetiis ex eadem Juntarum officina anno MDLIII. in folio sex voluminibus. Quam editionem non vidimus. Interpretatio scilicet aliqua præcesserat Græci textus philosophi in Arabicum, quâ usus fuit Averroës. Qualis illa fuit omnium Galeni operum ab Albategnio facta, Joanne Serapione teste [d]. Quomodo & Platonem, Ptolemæum, Hippocratem, Euclidem, alios è Græca origine in linguam istam translatos habuere, nimirum à Chanin Ibn Isaac Hebræo medico, quem transtulisse in Arabicum philosophiam Græcam, scriptum reliquisse Abn Walid Mahumed Ben Shecina, historicum adhuc ineditum, Joannes Seldenus notavit *ad Eutichii origines* [e]; sive aliis, qui nostrum hoc sæculum, de quo agimus, præcesserunt. Nam Averroëm Græcè nescíisse communis doctorum hominum persuasio est [f].

[d] Volaterranus lib. 21. *Comment.* pag. 694.

[e] Pag. 157.

[f] Voss. *De philosoph. sectis* cap. 17. §. 19. post 10. Picus Mirand. ubi suprà lib.4. cap.5. in fine.

At hunc ejus commentarium Hebræi suum fecere incerto interprete: quam interpretationem penes Joannem Plantavitium fuisse Lodovensem Episcopum, ex ejus *Bibliotheca Rabbinica* notum habemus. Latinam quoq; versionem antiquam facilè fieri potuisse in Hispania, cùm Alphonsus Rex X. Castellæ, cognomento *Sapiens*, rerum potiretur, aut in Gallia, eò ex Hispania ductis Arabibus exemplis, Joannes Picus Mirandulanus observavit [g]. Hæc tamen ejus temporis, sive alia, quæ ad nos pervenit, & cultiora Latinitatis sæcula, jure quidem optimo arguitur inelegantiæ à Zacuto.

[g] Ubi suprà lib.4. cap.2.

Vix autem aliquos Arabici textus Averroïs codices in Europa reperiri Scaliger putabat, solamque conversionem ab Armengaudo Blasii, Jacobo Mantino, Joanne Francisco Burana, Abrahamo de Balmis, Vitale Nisso, Calo Calonymo, Joanne Brujerino Campeglo, Paullo Israëlita, aliisque, adornatam in lucem venisse. *At ego* (ait Pet. Daniel Huetius *De interpretatione* lib.2. id referens) *bis versavi manibus Averroïs librum ex oriente huc olim à Postello devectum, quod miror Scaligerum fugisse, Postello olim amicitiâ & literaria consuetudine conjunctum. Eo libro continentur in logicam, rhetoricam, & poëticam commentaria, quæ ad Jacobi Mantini & Abrahami de Balmis interpretationem à me expensa, fidem eorum & artem apertè mihi comprobârunt.* Hucusque Huetius.

Neque annotatu indignum est aut inutile, ante Averroëm positam fuisse ab aliquo alio ejusdem sectæ ac linguæ operam in explanando Aristotele. Ab hoc enim nostro Averroë distingui necessariò debet is, quem Alsheich Abu Ali nomine laudatum reperies in epistola Abi Jaafar Ebn Tophaïl de Hai Ebn Zokdhan, quam *philosophi autodidacti* vocabulo inscriptam, & à se in Latinum conversam, Eduardus Pocochius edidit: cujus epistolæ in laudati Tophaïl elogio pleniùs meminimus. Unde verba hæc exscripsimus (ex pag. 19.): *Quod autem ad libros Aristotelis, quorum vicem nobis supplet Alsheich Abu Ali in sua eorum explicatione, sectam ejus sequutus, & philosophiæ ejus viâ incedens Alshepha* (id est, *sufficientiæ*) *cujus initio* &c. Nam præterquam quòd nulli ex nominibus, quibus dictum fuisse Averroëm suprà diximus, convenit hoc nomen hominis; Averroës verè inferior ætate fuit, quàm ut eum potuerit famâ jam ex suis scriptis clarum Jaafarus Ebn Tophaïl laudare, qui (uti dicitur) Averroïs præceptor fuit in medicina, Joanne Leone referente superiùs memorato. Nunc autem jam persequemur editionis Venetæ omnia volumina, quænam Averroïs opera, & ad eum pertinentia in singulis continentur, annotantes; adjunctis quæ circa unumquodque eorum aliàs observavimus.

In primi voluminis prima parte
hæc habentur.

I. *Averroïs in Porphyrium, in Prædicamenta, & in librum* De interpretatione *commentaria, à Jacobo Mantino in Latinum conversa.* Hebraïcè hæc pars versa dicitur à R. Jacobo Antoli anno MCCXXXII. Quæ translatio exstat in bibliotheca Cæsarea Viennensi, ut in Commentariorum de eadem lib.1. [h] Petrus Lambecius refert.

[h] Pag. 183.

II. *Expositio media in libros Priorum, Joanne Francisco Burana Veronensi, qui ex Hebraïco transtulit*, non ex Arabico. Editam hanc seorsum vidimus in bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ, quæ fuit Ferdinandi Coloni, magni Christophori Columbi, ut vocant, filii. Averroïs *Quæstiones in libros Priorum.* Interprete Helia Judæo, in Vaticana adservantur cod. 4552. eædemque in Colonæa.

III. *Levi Gersonidis in Porphyrium, in Prædicamenta Aristotelis, in lib.* De interpretatione, *& in Averroëm annotationes.*

In secunda parte.

I. *Expositio magna, sive magna commentaria Averroïs in Posteriorum resolutionum libros ab Abrahamo de Balmis, à Joanne*

Fran-

Francisco Buranæ, & à Jacobo Mantino Hebræo philosopho in Latinum conversa. Scipio Florillus, medicus ac philosophus Neapolitanus, *expositionem* edidit *prologi Averroïs super hos libros Posteriorum*. Neapoli MDLXXIV. in 4°. Immo & aliam Joannes Franciscus Longus, quem Florillus ipse præceptorem, ac ætatis suæ philosophum eminentissimum vocat, & ipse Neapolitanus, publicaverat ibidem apud Raymundum Amatum MDLXX. in fol.

II. *Epitome in libros logicæ Aristotelis, Abrahamo de Balmis interprete*.

III. *Quæsita varia in logica juxta ordinem librorum logicæ, eodem interprete*.

IV. *Epistola una, eodem interprete*.

In tertia primi voluminis parte.

I. *Expositio in VIII. libros Topicorum, Abrahamo de Balmis interprete; cui annexa est illa super quatuor primos libros à Mantino facta versio, quam morte occupatus absolvere non potuit*.

II. *Expositio in libros Elenchorum, eodem Abrahamo interprete*.

Planè in logicam hi omnes ferè sunt commentarii, in quos elucidatio exstat Levi Ben Gerson MS. in bibliotheca Leidensis academiæ. Ex Hebraïca editio *universæ rei logicæ Aristotelis ex compendiis Averroïs* prodiit Rivæ de Trento anno MDLX. in 8°.

In secundo autem volumine.

I. *Paraphrasis in libros tres Rhetoricorum, interp. Abrahamo de Balmis*. Aliàs dicitur interpres Antonius Majoranus. Hebraïca versio R. Todros in bibliotheca Cæsarea, in qua absolutum opus dicit ab Averroë anno MCXCII. ab interprete anno MCCCXXXVII. ut notat Lambecius [k].

k Dict. lib. 1. pag. 182.

II. *Paraphrasis in lib. Poëticæ, Jacobo Mantino interprete*. Hebraïcè in eadem Cæsarea bibliotheca. Latinè prodiit Venetiis MDLII.

In tertio volumine.

I. *In libros X. Moralium Nicomacheorum expositio, interprete Joanne Bernardo Feliciano*. Prodiit olim Venetiis anno MDVIII. in folio.

II. *Paraphrasis in libros Platonis* De republica, *Jacobo Mantino interprete*. Quæ primùm prodiit Latina Romæ ex officina fratrum Brixianorum, Paullo III. Pont. Max. ab eodem Mantino nuncupata anno MDXXXIX. in 8°. Edita inde fuit unà cũ Francisci Philelphi *De morali disciplina*, & Francisci Robortelli in libros *Politicorum* Aristotelis Venet. MDLII. in 4°. à Gualtero Schoto. Nempe quia nondum viderat, ut fatetur ipse Averroës [k], Aristotelis *Politica*, ne hæc pars deesset applicuit operam ei illustrandæ ex Platonis doctrina; cui quidem aliqua interserit de moribus Arabicæ suæ reipublicæ. Hebraïcam fecit hanc paraphrasin R. Samuel Jehuda, quæ servatur in bibliotheca Cæsarea. [l] In *ethica & politica commentarium*, quem ad hæc duo opera referimus, Lugduni prodiisse legimus anno MDXXX. aliàs *Epitome* vocatur in translatione in Hebraïcum ex Arabico facta à R. Josepho Ben Caspi, qui huic versioni finem imposuit an. MCCCXXX. sicut Averroës anno MCXCIV. ut Lambecius notat [m].

k Ferè in principio.

l Lambec lib. 1. Commen. pag. 181.

m Dict. lib. 1. pag. 181.

In quarto volumine.

I. *In De physico auditu libros* VIII. *antea quidem difficillimus, nunc ad maximam redactus claritatem, commentarius, tum ex Mantini nova translatione, tum ex antiqua castigatissima*. Vidimus editum olim Gotthico charactere, sine loci aut temporis aliqua nota, à Marco Antonio Zimara Sancti-Petrinate Hydruntino, unà cum *De cælo & mundo*, de quo postea. Hebraïcè est in bibliotheca Cæsarea [n]. Editionem hanc Hebraïcam Rivæ de Trento habet etiam bibliotheca Bodlejana anni MDLXXX. in 8°. Laudatur Petri Feltri *Expositio proœmii* Averroïs in *physicam*. Commentarius in Aristotelis *physicam* Latinè cum explanatione Augustini Niphi Venetiis prodiit anno MDLXIX. in folio.

n Lambec. d. lib. 1. pag. 180.

II. *Expositio media super tres primos libros*, Jacobo Mantino interprete, qui quinque super reliquos morte præventus intactam reliquit.

In quinto Volumine.

I. *In libros de cælo commentarii Averroïs*. Hi cum libris *De generatione & corruptione* prodierunt Venetiis MDVII. folio. *De cælo & mundo* Mediolani MDXI. folio.

II. *Paraphrasis in eosdem, Paullo Israëlita interprete*. Prodiit olim cum titulo: *In libros De cælo & mundo cum Averroë & Zimara* Lugduni MDXXIX. in 8°. Arabicum exemplar in Escorialensi regia bibliotheca reperitur. In librum 2. *De cælo* commentario 3. ne id omittam, meminit auctor duarum columnarum Herculis, quas *idola* vocat, in ultimo Hispaniæ occidenti, Gadibus scilicet, unamque earum quæ dicebatur [o] *Idolum Indiæ*, sese adhuc elevatam vidisse. *Deinde* (ait) *fuit corruptum in prælio, quod crevit inter barbaros & homines illius insulæ in anno DXXX. à prædicatione Mahometi, à quibusdam se erigentibus super illas regiones maris in illo tempore*. Hæc ille.

o Mirum eo tempore, quo latebat India utraque, & quasi prædictio inventionis ejus Indiæ, quæ ad occidentem plus ultra has columnas nondum nota erat.

III. *In libros* De generatione & corruptione *expositio*, cum *De cælo & mundo*, Venetiis olim ut suprà.

IV. *In eosdem paraphrasis, Vitale Nisso interprete*. Ex Arabico in Hebræum translatio R. Moysis Tabon Ben R. Samuel exstat in bibliotheca Cæsarea [p].

p Lambec. d. lib. 1. pag. 178

V. In

V. *In libros Meteorologicorum expositio media*. Hæc antea prodierat seorsum cum expositione Joan.Bapt. Confalonerii ann. MDXXXV. Hebraica interpretatio Eliæ Judæi Cretensis exstat in Vaticana in folio cod. 4550. sive potiùs ex Hebraïco in Latinum translatio laudati Eliæ. Prodiit namque ea Venetiis an.MCDLXXXVIII. ex bibliotheca Bodlejana.

In sexti voluminis prima parte.

I. *Paraphrasis in libros* IV. De partibus animalium, *Jacobo Mantino interprete*.

II. *Commentarii in tres libros* De anima.

III. *Commentum quintum libri tertii De anima*, ultra antiquam translationem à Mantino Latinitate donatum.

IV. *Tricesimum sextum etiam commentum ejusdem libri ab eodem translatum, quod priùs vix intelligi poterat, cum titulo Digressionum Averroïs in tres libros De anima*. unà cum Zimara, editio Veneta prostat anni MDXXX. in 8°.& alia MDXL. etiam in 8°. Hebraïca translatio in bibliotheca Cæsarea [q].

[q] Lambec. l. lib. 1. pag. 172

In sexti voluminis altera parte.

I. *Paraphrasis in librum* De sensu & sensili.

II. *In librum* De memoria & reminiscentia.

III. *In libros* De somno & vigilia, De somniis, De revelatione per somnium.

IV. *In libros* v. De generatione animalium. Hanc in hos libros, & in quatuor alios *De partibus animalium* à se in Latinum conversam edidit Mantinus ipse Romæ anno MDXXI. in folio,unà cum epistola ejusdem Averroïs *De connexione intellectûs*. Quam paraphrasim ille *brevem, sed divinam*, vocat.

V. *In librum* De longitudine & brevitate vitæ.

In septimo volumine nihil.
In octavo volumine.

I. *In metaphysicorum libros* XIV. *commentarii*. Item

II. *Proœmium in* 12. *librum, antea quidem à Paullo Israëlita, nunc verò à Mantino in Latinum conversa*.

III. *Epitome ejusdem in metaphysicæ libros*. Prodiit fortè prima ex Aristotelis operibus *Metaphysica* Averroë interprete, ut notat Philippus Labbeus [r], anno MCDLXXIII. Vidimus nos textum hunc *Metaphysicæ* cum Averroïs commentario Venetiis editæ Jacobo Mantino interprete, Bononiæ MDXXIII. ubi signatè dicitur Mantinus Dertusensis & Hebræus medicus, ab hæredibus Octaviani Schoti MDVIII. in fol.Iterum Lugduni MDXLII. in 8°. nescio an integra Commentaria, an Epitome. In Vaticano codice MMMMDL. inter MSS. exstat Latina *Eliæ Judæi interpretatio in primum librum Metaphysicorum*.

[r] In Biblioth. nova pag. 138.

In nono volumine.

I. *Averroïs sermo* De substantia orbis, *castigatus, ac duobus capitulis auctus; ab Abrahamo de Balmis Hebræo Latinitate donatus*. Prodiit seorsum Venetiis MDL. Ad hunc librum, cùm Antonius Massa Brassavolus, ut in Gesneri epitome legimus, tum Nicolaus Vittigozius patricius Ragusinus,unà cum in ejusdem Averroïs propositiones *De caussis*,Venetiis apud Bernardum Juntam MDLXXX. in 4°. Ibidemque eodem anno Nicolaus Rissus Gallus, Tiberius item Bacilerius Bononiensis, cum aliis ejusdem in Aristotelem Papiæ MDVIII. in fol. & Joannes de Janduno Gandavensis *Expositionem*, atque item *Quæstiones*, Venetiis apud Lucantonium Juntam MDLI. fol. cum aliis operibus, & forsan antea ibidem apud Octavianum Schotum, necnon Augustinus Niphus Suessanus, eodem epitomatore Gesneri teste, & Naudæo; qui editum fuisse hunc Niphi commentarium Venetiis ab Schoto MDVIII. meminit, laudatq; idem editiones MDXIX. & MDXLVI. & MDLIX. & Dominicus Pantaleonius Florentinus, Dominicanus, auctore mihi Michaële Pocciantio in *Catalogo Script. Florentinorum*, commentaria scripsere. Cum cõmentariis Maïnetii Bonon. MDLXXX. & cũ J.de Jãduno Venet.MDLXXXVIII. prodiisse eundem librum, ex catalogo bibliothecæ Bodlejanæ novimus.

II. *Destructio destructionum philosophi Algazelis, Calo Calonymo Hebræo interprete*. Titulus Arabicus est: *Habapalah altabapalah*, hoc est, ad verbum: *Destructorium destructionum*. Quem librum cum citâsset Scaliger primo *De plantis*, occasionem dedit viro medicæ artis doctissimo Gasparo Hofmanno conferendi per epistolam [s] cum amicissimo sibi Thoma Reinesio, exquisitæ eruditionis medico, & polyhistore, atque argutandi hac super Arabica inscriptione. Sed lumen accendit cæcutientis oculis Reïnesius [t], monstrato vero verborum illorum, quem diximus, sensu. Ms. est in bibliotheca academiæ Lugduno-Batavæ, ut ex ejus constat catalogo pag. 286. editum Venetiis MDXXVII. Algazel sanè, qui *Abuhamed* (aliàs *Chamad*) *Mohammed Algazali* nuncupatus, magnæ famæ inter Arabes [u], scripsit librum *Habapalah tavanoth*, hoc est, *Destructorium*, seu *ruinam opinionum philosophorum*. Quem, credo, Joannes Leo Africanus *Errores philosophorum* nuncupat. [x] Atque hunc invitus; quem & explicuit R. Almosnini, ut notat Hottingerus in *Bibliotheca* sua *orientali*. Algazelis huic *Destructioni* opposuit noster *priorum omnium censor acerrimus* (uti Reinesius

[s] Inter Reinesianas vide epist. 5.

[t] Epist. 23.

[u] Vide Pocochium *Miscel. ad Mosis Maïmonidis portam Mosis* pag. 118. Joan. Leonem *De Arabibus illustrib.* apud Hottingerum in *Bibliothecario* pag. 262.

[x] Ubi proximè pag. 264.

neſius vocat) *Deſtructionem* hanc *Deſtructorii* , ſive *Ruinam ruinæ philoſophorum Algazelis* .

Idem eſt, ut credimus, Averroës contra Al-Gazelem *De æternitate mundi*, qui ms. repetitur in ea quæ fuit Beſſarionis Cardinalis bibliotheca , teſte Thomaſſino . Latinè , ut ſuſpicor , in *Deſtructorium* commentaria ſcripſit Auguſtinus Niphus, ſive , ut ſe ipſe vocat, Eutychius Auguſtinus Niphus Philotheus Sueſſanus, eximius ſui temporis philoſophus , quæ Venetiis anno MDXVII. ab hæredibus Octaviani Schoti, & Lugduni apud Juntam MDXLII. in 8°. edita fuere . Obſervatione dignum exiſtimamus, quòd in opere iſto Chriſti hoſtis coactus ſit , veritate impellente, literis tradere , Romanos poſt ſuſceptam Jeſu Nazareni legem ſapientiores effectos . Quod ſcribit Joannes Picus Mirandulanus lib. 3. *De morte Chriſti* cap.6.

Adhæret *Deſtructorio*, in editione quam luſtramus,

III. *Tractatus* De animæ beatitudine. Cui addita eſt

IV. *Epiſtola* De intellectu. Quæ idem eſt cum dicti libelli parte , eodem Calonymo interprete . Tractatus hic ab Auguſtino Nipho (ait Naudæus in *Bibliotheca politica*) *philoſopho celeberrimo , haud pœnitendis quæſtionibus illuſtratus, etiamnum hodie præ curioſorum manibus habetur* . Editum opus fuit Venetiis apud Octav.Schot. MDVIII. & MDXXIV. in folio.

In decimo volumine.

I. *Colliget* , ſive ita vocatum opus medicum , libris VII. Quorum primus eſt *De anatomia* . Secundus *De ſanitate omnium membrorum , & eorum operationibus* . Tertius *De ſpeciebus & cauſſis ægritudinum*. Quartus *De ſignis ſanitatis & ægritudinis*. V. *De medicinis & cibis* . VI. *De conſervatione ſanitatis* . VII. *De medicatione ægritudinum* . Venetiis excudit typographus aliquis ex caſtigatione Hieronymi Suriani anno MCDLXIX. ſi credimus *Bibliothecæ medicæ* , aliuſque anno MCDXC. & MDXIV. Ediderunt quidem unà cum Aben Zohar in eadem urbe Joannes & Gregorius fratres de Forlivio MCDXC. Lugduni etiam prodiit MDXXXI. in 16°.

Colliget autem titulus , non Latinum, ut credidere, quibus *Collectorium* aliàs enunciare mos fuit ; ſed ex Arabico corruptum *Kollijon*, hoc eſt , *univerſalis* ; ſive *Kollijeton* , *univerſale* ; uti obſervatum novimus à Chriſtiano Daumio epiſt. 96. ad Reineſium . Quare melius alii *De medicina* reddidere ab argumento .

De ſcribendi propoſito medicum hoc opus ipſe Averroës in principio : *Quando ventilata* (inquit) *ſuper me fuit voluntas per nobile præceptum ex parte nobilis domini Audelach Sempſe à Mirelmomini de Marocho pro conſilio ſuorum philoſophorum Avoznit & Aben-Chalit ; & præcepit mihi compilare unum librum , in quo contineretur tota ſcientia medicinalis in Arabico , quæ affirmaret & judicaret intentiones priorum auctorum , quæ earum eſſent retinendæ, & quæ dimittendæ : tunc declinavi virtutes meas ad ſuum præceptum &c.* Et mox : *Et non exſpectes à me quòd dividam partes ſuas* (nempe librorum ſeptem , in quos dividere ſe dixerat totum opus) *in numerum capitulorum , neque quòd appropriet unicuique rei caſum per ſe , quia in illa re vana gloriati ſunt ſapientes Hiſpaniæ Andaluſii , & major pars præteritorum auctorum* . Neſcio an ad hoc opus referendum ſit *Averroïs cum expoſitione Culier De medicina*, cujus ms. Arabicum exemplar in Laurentina bibliotheca regia extare alicubi ſcriptum vidimus.

II. *Libri quinti* Colliget cap.57. 58. 59. à Jacobo Mantino ob rei difficultatem olim tranſlata , cum antiqua tranſlatione.

III. *Collectaneorum ſectiones tres, tribus* Colliget *libris , ſecundo ſcilicet , ſexto, & ſeptimo reſpondentes , à Joanne Brujerino Campegio elegantiſſimè Latinitate donatæ, poſt antiquam tranſlationem. Nempe* I. *Sectio de ſanitatis functionibus ex Ariſtotele & Galeno* . II. *De ſanitate tuenda ex Galeno* . III. *De curandis morbis* . Prodierant ſeorſum Lugduni ex officina Sebaſt. Gryphii MDXXXVII. in 4°.

IV. *Commentaria in Avicenæ cantica diligentiſſimè emendata , unà cum Avicenæ textu, in partes , tractatus, & capita diſtincto , atque caſtigationibus Andreæ Bellunenſis exornato*. Hic eſt Andreas Alpagus Bellunenſis . Arabicum Avicenæ libri titulum *Alargioza in medicina* fuiſſe Joannes Leo notat [y]. Expoſitionem verò Averroïs, *Scholia in Inſtitutiones medicas verſibus conſcriptas ab Ibn Sina* Hottingerus nuncupat in *Bibliotheca orientali* [z] . Hebraïcus interpres, qui exſtat in Viennenſi ms. חרוזה *Charuzah. Cantica medica* cum commentario Iben Ruſchad, Spizelio teſte [a].

[y] In Vita Avicenæ.

[z] Lib.1.par. 2. cap. 2. pag. 213.

[a] In *Arcanis biblioth. detectis*.

Textum Avicenæ & Averroïs Arabicum , cujus exemplar ſervat Eſcorialenſis bibliotheca regia , quem item ſervari in Lugduno-Batava publica ex ejus apparet catalogo, ibi anno MDCLXXIV. typis edito , tranſtulit primus in Latinum Armengaudus Blaſius Monſpelienſis anno MCCXCI. ſub Philippo Ludovici Sancti Galliarum Regis filio , commentariumq; proprium adjecit : quod obſervavit Paullus Colomeſius in *Gallia orientali* [b]. Prodiit in publicum hæc verſio Armengaudi Venetiis primùm à Gregorio de Gregoriis MCDLXXXIV. in folio . Hanc ab Andrea Alpago Bellunenſi (idem enim eſt, non duo, Andreas Alpagus, & Andreas Bellunenſis , in quod non animadvertit Lindanus *Medicorum ſcriptorum* ſtrenuus collector) caſtigatam ediderunt Juntæ in eadem urbe MDLV. in fol. Exſtat & in Averroïs operum editione volumine 10. edi-

[b] Pag.1.

editionis quoque Venetæ Juntarum ann. MDLII. in folio.

V. *Tractatus de Theriaca, nunquam apud Latinos visus, nunc primùm ex scriptis Andreæ à Cruce chirurgi repertus*. Non quidem primùm visus in editione hac Veneta anni MDLXII. cùm in altera operum Averroïs Veneta MDLII. etiam comprehensus fuerit, &, ut credo, ex translatione ab Andrea Alpago, simul cum scholiis ad *Cantica Avicenæ* castigata. Meminit quoque hujus operis, Alpago adhuc antiquior, Philippus Bergomensis. Hactenus Veneta Aristotelis & Averroïs operum editio, quam descriptum ivimus. Sed & nonnulla alia ejusdem nostri auctoris laudari solent.

De venenis liber Lugduni editus à Jacobo Mit anno MDXVII. in 4°. unà cum *Regimine sanitatis* Magnini MS. in bibliotheca Ambrosiana Mediolani.

De febribus liber exstat operis Veneti *De febribus* pag. 109. ait Lindanus. Prodiit Venetiis MDLXXV.

De sectis librum tribuunt ei Lucius Marinæus Siculus [c] (*De septis* tamen per errorem operarum fortè appellans) & Jacobus Philippus Bergomensis [d].

c *De laud. Hisp.* lib. 6.

d In *Supplem. Chronicor.* an. MCXLIX. lib. 12.

De balneis liber MS. in bombycinis chartis fuit in bibliotheca Cardinalis Carpensis, ut in ejusdem legitur catalogo.

De diluviis laudant idem Bergomensis & Marinæus. Notius ac certius est ejusdem opus

De simplicibus medicinis (nisi pars sit libri *Colliget*) Habet bibliotheca Bodlejana Argentinæ MDXXXI. editum.

Collectanea De sanitatis functionibus, *De sanitate tuenda*, & *De curandis morbis*. Latinè per Jo. Brujerinum Campegium edita scimus Lugduni MDXXXVII. in 4°.

Compendium, sive *Epitome magnæ Ptolemæi constructionis*, hoc est, *Almagesti*; cujus meminit Jo. Picus Mirandulanus in opere *Contra astrologos*, ex eoque Josephus Blancanus in *Mathematicorum chronologia* [e], & Vossius *De scientiis mathematicis* [f]. Hebraïcum exstare hoc in Cesarea bibliotheca, ex Spizelio [g] & Lambecio [h] constat; interprete nimirum, si Deo placet, Jacobo filio Samsonis, ut in bibliothecæ Regis Galliarum cod. 1853. notatur, teste Labbeo [i].

e Pag. 17.

f Cap. 15. §. 12.

g In *Arcan. Bibl. detectis.*

h Lib. 1 *Comment.* pag. 197.

i *Biblioth. MS.* pag. 239.

In Avicenæ orgioza, hoc est, *articulos logicæ*, commentarium Averroïs laudat Joannes Leo in *Vita Avicenæ*.

Certè Averroïs opera ferè omnia philosophica ex castigatione Augustini Niphi Venetiis primùm anno MCDXLVI. prodiisse annotavit Gesnerus in *Bibliotheca*. Quo ipso anno ex eadem urbe prodiisse ait librum *Colliget*, cum translatione barbara incerti, ex castigatione Hieronymi Suriani, unà cum Aben Zohar libro *Theisir*, & *Antidotario*.

Ex libris *Colliget*, qui septem sunt, secundus, sextus, & septimus castigati, & in purum Latinum conversi à Jo. Brujerino Campegio, Lugduni prodierunt apud Gryphium anno MDXXXVII. in 4°. Ceterùm Abrahamus de Balmis plurium Averroïs operum à se vel recognitorum vel novè conversorum Venetiis procuravit anno MDXXIII.

Multi quidem, vel pro Averroë explanando, vel pro eo atque Averroïstis incusandis, lucubrationes suas scriptis mandaverunt. Ex prioribus Zimaram, Longum, Florillum Tomitanum, alios suprà laudavimus. Antonius quoque Possius *Thesaurum* dedit *in Aristotelem & Averroëm*, Venetiis apud Juntas MDCLXII. in 8°. Ac nescio quis alius *Methodum legendi Averroëm* scripsit. Jo. item Philippus Bonus edidit *Concordantias contradictionum in Aristotelis & Averroïs sententiis*, in folio. Laudatur à Michaële Pocciantio inter Florentinos scriptores *Joannes Baptista Bagolinus*, quique hujus in Averroëm scripta imperfecta ab eo relicta emendaverunt & absolverunt Romulus Fabius & Marcus de Odis Patavinus. Planè Marcus Antonius Zimara, is, quem ex aliis ejus in nostrum lucubrationibus jam commendavimus, scripsit quoque *Solutiones contradictionum Averroïs*. hoc est, *Super* VIII. *libros physicorum*, & *super totâ metaphysicam*. Quod opus Venetiis prodiit apud hæredes Octaviani Schoti MDVIII. in folio. Posterioribus duces se præstiterunt Ambrosius Leo Nolanus & Isidorus Isolanus. Operis Nolani inscriptio: *Ambrosii Leonis Nolani, Marini filii, Castigationum adversus Averroëm ad augustissimum Leonem X. Pontif. Max. plures libri. Venetiis MDXVII. apud Bernardinum atq; Mathiam de Vitali fratres.* Quod opus magnum ac totius philosophiæ thesaurum Gesnerus vocavit. Necnon & olim Raymundus Lullus, scripto libro *Lamentationis philosophiæ contra Averroïstas*, & alio *De reprobatione errorum Averroïs*. Inter Augustini Niphi opera, ex eorum catalogo, quod Naudæus confecit, *Averroïs* legitur *De mistione defensio*.

B

BAITAR, aliàs IBNU EL BAITAR, de quo Joannes Leo in *De scriptoribus Arabicis* apud Hottingerum. *Ibnu El Baitar natus est* (inquit) *in civitate Malagæ in Bætica*, (nomen hodie retinet in ora maris) *philosophus & medicus fuit præstantissimus, herbariusque maximus. Eoque è patria sua discedens, ad orientem versus profectus est, perquirens Africam universam, atque Asiam ferè totam. Cùm verò ex India regressus esset, pervenit ad Chairum, & in servitiis Saladini Soldani primi ex Chairo ingressus est, quem magno affecit honore* (Soldanus hic Ægypti, qui anno MCLXXXVII. Hierosolymorum urbem Christianis eripuit) *at post mortem dicti Saladini* (contigit hęc an. MCXCIII.) *præfatus Ibnu El Baitar reversus est domum suam, & ibi composuit præstantissimum librum* De virtutibus herbarum, De venenis,

nis, De metallis, De animalibus, *ſecundum ordinem alphabeti tribus voluminibus completum. Qui obiit Malcha* (immo *Malagæ*, aut *Malacæ*) *anno quingenteſimo nonageſimo quarto de El-Hagira* &c. hic eſt annus Chriſtianus milleſimus ducenteſimus decimus ſextus. Hottingerus in *Bibliothecæ orientalis* lib. 3. par. 2. cap. 2.[k] refert hujus mortem ad annum Hegiræ DCXLVI. ibique laudat hujus librum *De ſimplicibus medicamentis*.

[k] Pag. 247.

Idem in appendice, ubi de Eſcorialenſi bibliotheca[l], ſic vocat tanquam in ea extantem: *Iben Ibaitaris Malaquienſis librum abſolutum *** de morbis per adminiſtrationem medicamentorum ſimplicium *** auctoribus authenticis electorum, ſcriptum à fuga* DCCCXVIII. Aſteriſci denotant lacunam in catalogo, quo is utebatur.

[l] Pag. 22.

Sed in anno fugæ ſeu hegiræ inſignis error fuit contractus. Hic namque reſpondet anno Chriſti MCDXLIX. niſi hunc alium à priùs laudato libro credat aliquis: nam & in eadem Eſcorialenſi bibliotheca, ut ex eodem catalogo apparet[m], *Iben Ilbeitaris liber eſt primus De ſimplicium medicamentorum viribus*, ordine alphabetico ab *Elich* uſque ad *H*. Item ſecundus à lit. *D*. conſequenter[n]. In eodem catalogo Eſcorialenſi legitur de alio ejuſdem operis codice: *Iben El Baitaris Malachienſis* Botanicon, *id eſt* De ſimplicium medicamentorum viribus. *Primus liber abſolutus & traductioni congruus. Inveniuntur enim in iſto libro plusquam duo millia ſimplicia, quæ in libro Dioſcoridis non inveniuntur: & ob hoc dicit in principio hujus libri approbatum eum fuiſſe ab Arabibus Perſiæ & Alexandriæ*.

[m] Pag. 20.

[n] Pag. 21.

BRAFONE, filius MUDIR, cujus meminit Prudentius Sandovalius in rebus Pelagii Regis, ſive *Notis ad Epiſcoporum Chronica* pag. 80. referens hunc Chriſtiano habitu indutum in Roderici Regis curia aliquamdiu vixiſſe, Juliani Comitis, qui in Africæ vicinia degebat, exploratorem; qui quidem de rebus ſui temporis in literas quicquam retulit; cujus quidem ſcripta perveniſſe ait ad cujuſdam hiſtorici, qui ante CCC. annos vixit, manus, unde ſibi de hoc Mauro auctore, ac de his rebus ab eo ſcriptis conſtare docet. Quem quidem huic loco ſiſtimus, quantumvis Africanum, ut veroſimile eſt, aut ex Arabia oriundum, eò quòd de hiſtoria noſtra, ſi is homo qui dicitur fuit, bene mereri voluit.

C

CACHAM, aliàs IBEN CACHAM, Andaluſius, ut Hiſpani cæteri, vocatus, ſcripſit *Varias principum literas, aut ſaltem carmina*, & *diſſertationes*, hiſtoriam Africæ & Aſiæ ſpectantes, inſigni ſtylo ſcriptas, ut legitur in catalogo Leidenſis bibliothecæ[o] inter libros Warnerianos eidem donatos. Laudat & Hottingerus *Smegmatis orientalis* lib. 3. parte 2. cap. 2.[p]

[o] Pag. 298.

[p] Pag. 278.

Cacham nomen *ſapientem* ſonat Arabicè; eoque vocatum Abrahamum Aben Eſram Hebræum ingentis famæ Toletanum, Bartholoccius annotavit in *Bibliotheca magna Rabbinica*.

CHATIB, aliàs IBEN CHATIB, Andaluſii, *Praxis medica* extat in codice quodam MS. Arabico Leidenſis bibliothecæ, inter Warnerianos libros[q], cum aliis auctoribus.

[q] Pag. 118.

CACIM ABEN HEGI, quem ſæpiùs laudat Gaſpar Eſcolanus in *Hiſtoria Valentina*, neſcio unde ſibi cognitum, aut ubinam viſum, ſcripſiſſe ab eodem Eſcolano dicitur *Hiſpaniæ deſcriptionem*, ac *De Cordubenſis urbis Regibus*, ſuæ ſcilicet Machumetanæ ſectæ.

E

EVANAFLA, Hiſpalenſis, ſectâ Mahumetanus, quem aſtronomum fuiſſe novimus ex relatione Rabbi Moſis Maïmonidis Hebræi Cordubenſis celebratiſſimi: cujus in *Moreh Hanevochim*, ſive *Dubiorum ductoris*, lib. 2. cap. 10. dum inquireret, Sintne infra aut ſupra ſolem ſphæra Mercurii, & alia ſphæra Veneris, hæc verba ſunt: *Poſt eum* (Ptolemæum) *fuerunt alii in Hiſpania valdè ſubtiles in mathematicis, & expoſuerunt ſecundum propoſitiones Ptolemæi, quòd Venus & Mercurius ſunt ſupra*[r] *Solem. De hac autem materia quendam librum fecit Maurus quidam, cujus nomen Evanafla, de civitate Hiſpalenſi; & ego vidi filium ejus. Poſt iſtum verò ſtuduit in hac materia philoſophus bonus, Maurus quidam, ſcilicet Abu Bacus, & fui diſcipulus cujuſdam diſcipulorum ejus*. Et infrà iterum de poſteriore hoc libro 3. cap. 30. *Hoc etiam dixit Maurus Abu Bac in expoſitione libri* De auditu. Hæc Moſes Maïmonis filius.

[r] Infrà, ut credimus.

Ex quibus eorum ætatis notis aſſerere poſſumus, tam Evanaflam quàm Abu Bac XII. ſeculi mathematicos fuiſſe, cùm Maïmonides XIII. ſequenti maximè floruerit; conjectarîq; non minus Abu Bacum quàm Evanaflam Hiſpaniæ debere nos adſcribere, eò quòd in teſtimonio præceſſerit Hiſpanorum in mathematicis valdè ſubtilium mentio, atque ipſius Maïmonidis affirmatio, ſeſe diſcipuli cujuſdam ejus diſcipulum fuiſſe: quod in Hiſpania contingere neceſſarium fuit, à qua non diſceſſit Moſes, niſi adultus & aliorum magiſter.

EZARHARAGUI medicus, cujus elogium reliquit nobis Joannes Leo Africanus in *De ſcriptoribus Arabicis* libello ab Joanne Henrico Hottingero in lucem edito[s], quod ſubjecimus:[t] *Ezarharagui fuit medicus Manſoris Cordubæ conſiliarii, & proximus Raſis, qui compoſuit librum, ſicut Canon Avicenæ, in arte medicinæ utiliſſimum quidem, quo etiam adhuc Mahumedani medici utuntur. Vixit annos centum & unum. Qui obiit anno belli Cordubç, de El-Hegira anno quadringenteſimo quarto*. Hic Egiræ annus concurrit cum ſæculi . . . . . viceſimo ſexto, annuſque belli Cordubæ

[s] Bibliothecarii lib. 2. cap. 3.

[t] Pag. 256.

forſan dicitur, vel eo quòd Alphonſus V. Legionis Rex jam tum cum infidelibus Mauris belligeraret, qui ſequenti anno ad Viſeum ſagittâ ictus occubuit; vel potiùs Zulemanis Cordubæ per id tempus Regis bellum contra Haïranum ſuſceptum, à quo & extinctus fuit, [t] Leo intellexit.

Almanzor Cordubæ conſiliarius, ille eſt Mahomet Ibn Aben Hamir, Alagib etiam, hoc eſt, *Vice-Rex* dictus, quem Hiſſen Regi puero coadjutorem datum, & Almanzor, ſeu *Defenſorem* appellatum, referunt hiſtoriæ Arabum [u]. Hic eſt qui ex Perſia uſque vocavit Raſem, magnoque ſtipendio & honore obſtrictum Cordubæ habuit, ut idem Leo docet nos in *Raſis elogio* [x]. At quod hujus Raſis proximum Ezarharaguium, de quo loquemur, Leo appellaverit, ad originem ejus Perſicam fortè nos avocat. Sed cùm Cordubę hunc floruiſſe dicamus, nec proximitatis Latinum ex Arabico vocabulum adeò nos conſtringat, ut nonniſi de unius atq; ejuſdem regni civibus intelligi valeat; manemus interim in ſententia Hiſpanæ ejus patriæ atque originis aſſerendæ. *Canona hie*, ſive *Regulam in arte medicinæ*, quod Avicena fecit, ſcripſiſſe dicitur; in deperditis Arabum operibus, ut ſuſpicor, computandum, addendumque accurato *De ſcriptis medicis* Joannis Antonidæ Lindani commentario.

F

FARAMELLA, ſeu PHARAMELLA, filius Abdelabi Cordubenſis, miſit ad Joannem Epiſcopum Toletanum *Prophetationem*, ſive *judicium* (titulum libri audis) *de his quæ eventura erant anno Egiræ DLXXII.* (ſive Chriſti MCLXXXVI.) *menſe Septembri, contra id quod quidam aſtrologi de partibus occidentis annunciaverant*. Quod judicium ad Anglos perductum, inſeruit *Annalibus* [y] ſuis Rogerus Hoveden, cum aliis Anglorum poſt Bedam hiſtoricis anno MDCI. Franco-furti apud Vechelium editum. Refert in eo auctor nutritum ſe in *palatio magni Regis Eben Jacob, qui cognominatur* (ita editum fuit) *Helmiramumoli*, aliàs *Helmiramuli*; legendum tamen *Amirolmumenini*, hoc eſt....... *Credentium imperatoris*.

G

GEBER, aliàs MAHOMED GEBER, filius AFFLAH, quomodo vocatur ab Alpetragio, qui eum citat in *Theorica planetarum phyſica* cap.4. quantumvis Arabs communiter dictus ab origine & uſu linguæ, Mahomedanis omnibus, quacumque diſperſi degerent, vernaculæ; vulgari tamen noſtrorum hominū traditione [z] Hiſpanus, & Hiſpalenſis eſſe dicitur. Id quod agnoverunt & exteri, Lucas Gauricus [a], Hieronymus Cardanus [b], Athanaſius Kircherus, Joannes Baptiſta Ricciolus [c], Gerardus Jo. Voſſius [d]. Quod mihi perſuadet etiam ſilentium de eo Georgii Abulpharaji in *Hiſtoria dynaſtiarum*, ab Eduardo Pocockio edita Arabico-Latinè, qui mentionem facit ſapientum omnium orientis, eorum verò qui apud nos floruerunt, non facit.

Hiſpalenſibus quidem meis perſuaſum eſt fabricâſſe eum in hac urbe altiſſimam & pulcherrimam turrim, quæ vel nunc exſtat, meſquitamque inſuper, quæ jam in templum totius Hiſpaniæ maximum Deiparæ Virgini ſacrum novâ Chriſtianorum fabricâ tranſivit, turri adhærentem; immo & turrim ad ripam Bætis fluminis aliam, cui *Aureæ* nomen cives ob pulchritudinem, ſive quòd ibi olim gaza Indica ſervaretur, impoſuere. Similes huic Hiſpalenſi duas alias turres, alteram in Marrochana, alteram in Rabatha Arabiæ Petreæ, ut exiſtimo, urbibus, erexiſſe idem dicitur. Hæc in architectoria arte. Sed non ob id inter ſublimia hunc orbis ingenia, quæ duodecim fuiſſe ait, undecimo eum loco ponit Cardanus [f]; ſed quòd mathematicas omnes artes inſigniter calluerit.

Pars quoque eorum, quos Alphonſus Caſtellæ Rex *Sapiens* viros in re aſtronomica peritiſſimos maximis ſumptibus undique evocavit ad conficiendas novas motuum aſtrorum Tabulas, ſi famæ credimus, fuit. Convenit quippe tempus. Et vicinior is aliis erat. Lucas Gauricus in his nominat [g] Omar Haly Aben Ragel, Geber Hiſpalenſem, Jacutum Calo Calonymum. Joannes tamen Baptiſta Ricciolus, mathematicus hoc tempore magni nominis, Geberum & Arzahelem Hiſpalenſes ſæculo undecimo vixiſſe, ac de cœleſtium motuum inſtaurandis Tabulis cogitâſſe; quorum laboribus, inter aliorum alios, uſos ait [h] fuiſſe eos, qui juſſu Alphonſi Tabulas, quæ Alphonſinæ dicuntur, compoſuere.

Nec item Geberum noſtrum his annumerare Chriſtmannus [i], & Auguſtinus Riccius [k], à Kirchero [l] laudati, ſed Alfarabium, Aben Ragel, Profatium, Mahummed, Haomar, & inter cæteros principem Iſaacum Hazan, Synagogæ Toletanæ cantorem Hebræum, de quibus in Alphonſo Rege diſquiſivimus.

Inventorem quoque Algebræ fuiſſe (quę à *Geberi* nomine, articulo *al* præpoſito, nuncupata dicitur) quibuſdam [m] placuit. Sed *Algebra* interpretantur qui Arabicè ſciunt, ab *al* articulo, & *gabar*, quod eſt *inſtaurare*. *Reſtaurationem numeri*. Dictam etiam *Almucabala*, aliàs *ſcientiam Coſſicam*, Hiſpanis *Arte de la coſa*. de qua inſcripſit opuſculum quoddam Joann. Geyſius, editum ab Alſtedio in ſuæ *Encyclopædiæ* parte ſecunda. Obſervavit amicus noſter Joannes Caramuel, nunc Epiſcopus Viglevanenſis, ingeniorum flos, in

Ma-

[t] De quo Rodericus Toletanus in *Hiſt. Arabum* cap. 40. juncto cap. 41. ubi anno Arabū coviu. geſta narrantur.

[u] Idem Rodericus cap. 32.

[x] Pag. 254.

[y] *Poſteriore parte de Henrico II.* pag. 627.

[z] Hieron. Torrella tract. *De imaginibus*, Ægid Gonzales Davila in *Theat. Hiſpalenſis Eccleſiæ*, Joan de la Cueva in prol. ad lib. *Conquiſta de la Betica*.

[a] In *orat. de aſtronomia* Ferrariæ habita.

[b] *De ſubtilit.* lib. 16.

[c] In *præfat. Almageſti novi*.

[d] *De philoſophia* cap. 14. pag. 117.

[f] Ubi ſuprà.

[g] In orat. I. *De laudibus aſtronomiæ*.

[h] In *præfat. Almageſti novi*.

[i] In *Hiſtor. aſtronom.*

[k] Præfat. ad Almag. Ptolemæi.

[l] In arithmologiæ part. I. cap.4. pag. 49.

[m] Roderic. Caro *Antig. de Sevilla* cap. 11.

Matheſi ſua *bicipiti* parte 1. pag. 117. & 118. Nec tamen recentem eſſe inventionem, ut ad Geberum referri ea poſſit, cum aliis [o] exiſtimat. Quare Diophanto Alexandrino, qui ſub Antonino Cæſare floruiſſe creditur, cujuſque opera exſtant commentariis eruditis D. Bauchet de Meſeriac Sebuſiani de novo illuſtrata. Laudem hujus admirandæ Artis inventæ, de qua ipſe gloriatur, idonei magis ſcriptores accenſent [p]. Quicquid autem ſit de ætate Geberis, quem hoc loco haud temerè collocatum iri exiſtimavimus, aut de Algebræ invento, auctor ſanè hic fuit aliorum operum, tam aſtronomicorum quàm chimicorum; ſcilicet ſcripſit Arabicè

[o] Car. Renaldinus in præfat. ad *Artem analiticam mathematum.*

[p] Jo. Regiomontanus præfat. in *Alfergan*um. Voſſ. *De ſcientiis mathem.* in addendis pag. 412.

De aſtronomia, ſive *expoſitionem in Ptolemæi novem libros*, è Gerardi Carmonenſis interpretatione Latina Norimbergæ editam anno MDXXXIII. a Petreo quodam, cum *Inſtrumento primi mobilis* Petri Appiani. Nicolaus Copernicus *Calumniatorem Ptolemæi* Geberum vocat propter hoc ſcriptum; ex quo quidem, ut Merſennius ait [q], *Multa ſumpſit Georgius Purbachius, & Jo. Regiomontanus, dum prædictum opus Ptolemaicum in epitomen ordinatiſſimè redigunt*.

[q] In *Synopſi math.* pag. 210.

Hujus operis Gebri epitomen dedit Andreas Stiberius Bojus Viennenſis canonicus ſub Maximiliano Imperatore, uti docet Jo. Baptiſta Ricciolus in *Chronico aſtronomorum*, principio *Novi Almageſti*. Codex Vaticanus MS. qui ſignatus eſt num. 2059. ita inſcriptus eſt: *Verba Gebri filii Aſſem Hiſpalenſis, qui corrigit in pluribus Ptolemæum*. Incipit: *Scientia ſpecies habet, quarum melior &c.* Volumen in folio juſtum eſt.

Chimiam, ſive *Traditionem ſummæ perfectionis, & inveſtigationem magiſterii*. Hæc incerto interprete Baſileæ prodiit anno MDLXXII. Poſt ſæculum ferè integrum Georgius Hornius medicus Reip. Nurembergenſis iterum edidit, adjungens *Medullam alchimiæ Gebricæ*, Lugduni Batavorum apud Arnol. Doude MDCLXVIII. in 16°. niſi quòd medio iſto tempore interceſſiſſe aliam Zezneri an. MDXCVIII. (id eſt, *Argentinenſem*) editionem idem Hornius ait in *Medullæ* hujus proloquio. Monet quoque in editionis præfatione apud ſe eſſe alteram hujuſce operis partem, communicatam ſibi à Jacobo Golio, quam, quia nunquam occidenti innotuit, in Latinum tranſlatam chimicis aliquando communicaturum in ſe recepit. In præloquio is ad *Medullam*, inventorem hunc, ſi tollas Hermetem Ægyptium, hujus Artis putat. *Quippe qui* (ut ait) *primus omnium Artem hanc ex multis aliorum erroribus difficulter & laborioſè conjecturâ longâ & tædioſâ experientiâ, multorumque ſumptuum interpoſitione, collectam & inventam, literis & methodo naturæ convenienti, admirabili dexteritate complexus eſt*. Et poſtea: *Equidem peritiſſima perſuaſione inducor, ſi quid eſt in alchimia ſolidi & veri, aut hoc eſſe quod ſtatuit cum Gebro unanimis omnium & antiquiſſimorum virorum conſenſus, aut nugas & quiſquilias meras, propriique cerebri commenta, quæcumque aliorum recentiorum cum primis, ſcripta alia mente & manu in vulgus proſeminantur*.

Petrus quidem Borellus in *Bibliotheca chimica* in plura unicum ferè hoc diſpertit opera, laudati Geberi *Summa antiqua*, quam vidiſſe ait excuſam cum Rigini Danielis *Cantilena*, & aliis: Geberi *De inveſtigatione metallorum perfectionis*, *Summa perfectionis metallorum*, *De inventione veritatis ſeu perfectionis metallorum*. Quæ omnia idem ſunt.

De fornacibus conſtruendis libro uno Bernæ edito MDXLV. in 4°.

Geberi libro *Claritatis alchimiæ* MS.

Item *Traditione de alchimia*, libris duobus Argentinæ apud Zeznerum anno MDXCVIII.

Libro *Radicum*.

Libro *Lunæ, ex lilio de ſpinis evulſo*.

Gebri teſtamento De extractione ſalium. De ponderibus artis ex Nazario (Joanne Baptiſta ſcilicet, Brixiano, quem alibi chimicorum aliorum auctorem operum laudat) *Summario Summæ*.

Libro *Denudatorum*.

De tribus ordinibus medicinarum.

Libro *Regni*.

Clavi Theſaurorum.

Gemma ſalutis.

Artis chimicæ. Omnibus ſcilicet his ex eodem Nazario.

Laudat quoque Aldemanum canonicum Carthuſianum, & Guillielmum quendam, qui gloſſam ad lib. Gebri *De perfecto magiſterio* ſcripſere. Diverſus forſan ab aliis liber hic eſt *De perfecto magiſterio*, quem laudat Raymundus Lullus, ſive alius quilibet ſit auctor *Codicilli*, ſeu *Vademecum*. De quo nos in Lullo lib. 9. cap. 3.

H

HAJAN, aliàs IBNU HAJAN, è Luſitania, ut videtur, nam Luſitaniæ chronographum affirmavit eum Joannes Leo Africanus in libro ſuo *De Arabicis ſcriptoribus* ab Hottingero edito [r], ubi de Rhaſe agit. Ejus hæc ſunt verba: *Dixit Ibnu Hajan Luſitaniæ chroniſta, quòd Rhaſis in ſuis cauſſis minus fortunatus exſtiterat.*

[r] Pag. 274.

HALI UXAFAL neſcio quis Maurus laudatur in ſuo *Judiciario* à Franciſco Ximen in ſuo magno opere *Chreſtiâ*, ſeu *De regimine principum & republica* nuncupato, par. 1. cap. 24. quem ex conjectura Hiſpanum credimus, eò quod aſtrologicum ex eo *Judiciario* adducitur judicium de Barcinonenſi urbe.

HAMECH BEN SERIF, ut ſcriptor libri *De virtutibus plantarum, & lapidum, & animalium, uſibus medicinæ deſervientium*, laudatur à Monarde in libello Hiſpanico *De lapide Bezoar* fol. 112.

HANI, aliàs IBEN HANI, Andaluſius poëta fuit, cujus carminum opus inter alios Hottingerus laudat *Smegmatis orientalis* lib. 3. par. 2. cap. 2. pag. 265.

HASEN, aliàs IBEN HASEN, Granatenſis, ab eodem Hottingero ibidem laudatur pag. 279. tanquam ſcriptor cujuſdam tractatus inter alios aliorum, quod ad philologiam ſpectare ait, nec tamen ulterius aliquid de ejus argumento.

I

JAAFAR, aliàs ABU JAAFAR EBN TOPHAIL, ſive ABU BECR, Hiſpanus homo fuit vel Andaluſius, quo nomine ſe Hiſpani cives Mauri vernaculo appellabant. Hujus memoriam Eduardo Pocockio Anglo, linguarum orientalium eruditiſſimo, debemus, ex quo ejus epiſtolam (ſic enim breviores quoſque tractatus appellare ſolent Arabes & Judæi) de Hai Ebn Yordhan ex Arabico ſermone Latinis communicavit Oxonii anno MDCLXXI.

Hunc nempe Hajum Yordhani filium auctor fingit epiſtolæ in inſula quadam inhabitata è terra natum, ſive derelictum infantem, abſque ullo hominum commercio, nedum præceptore ullo, ſcientiam omnem naturalem & artificialia multa unius naturæ ductu didiciſſe. Quam epiſtolam bonæ frugis plenam etiam Hebræi in linguam ſuam verterunt, & ad eam commentarium Moſes Narbonenſis Judæus confecit; qui ſimul & Mardocheus Comtino ejuſdem gentis virum non ſemel laudans, *Abu Becr* nominant, juxta morem Arabũ pluribus ſe nominibus compellandi.

Æqualem hunc Averroï Pocockius exiſtimabat, ex eo quòd Ebn Abi Oſaibea, qui *De medicorum vitis* hiſtoriam ſcripſit, in vita Averroïs diſquiſitionum quarundam inter iſtum & Abu Becrum Ebn Tophail meminerit, itidemque Moſes Narbonenſis jam laudatus, in ſua ad hanc epiſtolam ſuoſque commentarios præfatione annotaverit ipſum Averroëm, ubi de epicyclis & eccentricis agens circulos, ipſos negat ex principiis naturalis philoſophiæ conſiſtere poſſe, hunc noſtrum his verbis compellâſſe & laudâſſe: *Amico autem noſtro honorato judici Abu Becro Ben Tophail, ſunt in hac re fundamenta egregia, quæ in ſubſidium vocanda ſunt in hac diſpoſitione*. Atque idem Averroës in commentario ad lib. ſecundum *Meteor*. Ariſtotelis: *Et ſocius noſter* (dixerit) *Abu Becher filius Tophail bonum tractatum in intentione propoſitionum, quas ipſe fecit in hac declaratione, etiam ipſe deſtruxit ipſum* &c. Ubi diſputat Averroës, utrum loca juxta æquinoctialem ſint habitationi idonea. Quibus argumentis extra dubium poni ait Pocockius Abu Jaafarum hunc vixiſſe ſimul cum Averroë, qui anno Hegiræ DXCV. ſive Chriſti MCXCVIII. obiiſſe dicitur.

Sed ne prolixus ſim, digitum ad Pocockii hos fontes intendere, quam dicta ejus tranſcribere, ſatius duxi; apud quem videre lector poterit ſcopum epiſtolæ, atque ejus magnam Arabes inter & Hebræos exiſtimationem, ut à pluribus commendaretur, immo & commentarii exornaretur, propter ejus elegantiam, dictorumque ſubtilitatem & fructum, quouſque enim diſputat ratio hominis ſuis viribus, nec aliunde adjuta, in rerum ſublimiorum cognitione pertingere poſſit. Locum verò ex ipſamet epiſtola libens huc advocabo pro aſſerenda Jaafari hujus Hiſpalenſi habitatione ſive patria, unde & ſtudia noſtrorum Hiſpano-Arabum quę eo tempore florerent, non obſcurè lector deduxerit.

Duo contemplationis genera (ex Avicenæ doctrina, ut videtur,) diſtinguit auctor (ut poſſit utique Chriſtianus homo aſceticâ doctrinâ exercitatiſſimus) alteram ſpeculativam apprehenſionis, quæ elicitur ratiocinationibus, alteram practicam comprehenſionis veri, ſive cum Deo conjunctionis. Priorem ſcripturæ incapacem affirmat, poſteriorem verò uſque ad illud tempus vix aliquo verbis tentatam, utpote quæ, jam verba ejus audis: *Rarior ſit ſulphure rubro, & præcipuè in his regionibus, in quibus nos degimus: quoniam adeò peregrina eſt, ut non aſſequatur, vel parum aliquid de ea, niſi unicus poſt unicum (id eſt, ſingulis ſæculis aut ætatibus ſinguli) & qui conſequuti ſunt de ea aliquid, illud hominibus non declarârunt niſi per obſcura quædam indicia. Si quidem ſecta Hanifitica & lex Mohammedica vetat homines in eam ſe immittere, & cavere ab ea monuit. Neque putes* (infit) *philoſophiam, quæ ad nos pervenit in libris Ariſtotelis, & Abu Naſri, & in libro Alſepha abſolvere hunc ſcopum quem voluiſti, neque quemquam ex Andaloſenis ſcripſiſſe de eo aliquid quod ſufficere poſſit: idque quia qui in Andaluſia educati ſunt ex viris indole præſtantibus, antequam in illa propagata eſſet ſcientia logicæ & philoſophiæ vitam ſuam impenderant diſciplinis mathematicis, & gradum in eis excelſum aſſequuti ſunt, nec pluſquam illud præſtare potuerunt. Deinde ſucceſſit illis ætas hominum qui illos aliquâ logicæ peritiâ superârunt, cui operam dederunt; ita tamen ut non deduceret eos ad veram perfectionem. Dixit ergo ex his quidam:*

Malè me habet quòd ſcientiæ hominum duę ſint, nec ſit quod iis addatur.

Vera, quæ difficulter acquiritur; & falſa, cujus acquiſitio nihil prodeſt.

Deinde ſucceſſerunt illis & alii perſpicaciores, & qui ad veritatem propiùs accederent, inter quos haud fuit alius ingenii acutioris, nec qui res melius perſpiceret, quàm Abu Becr Ebn Al Sajeg &c. Tranſit inde ad hunc Abu Becrum Al Sajegui filium, & opera ejus laudanda. de quo nos ſuo loco. Cæterùm quod de patria apud nos conjectatum ivimus, expreſſum eſt in vita ejus à Joanne Leone Africano conſcripta, quæ inter alias ejus legitur in Hottingeri *Bibliothecario* [s], quam, cùm brevis ſit, & liber

[s] Pag. 270.

liber non omnibus ad manus, hic dabimus.

IBNU Tophail ex civitate Sivilia nobili genere ortus, cujus prædeceſſores venerunt cum exercitu ex Syria, qui oppugnarunt Bæticam, ſui etiam adſtiterunt ſemper ſervituti Pontificum [t]. *Poſtquam verò defecit dignitas illa & titulus, multi in ea provincia rebellaverunt, & pater ejus omni officio omnibuſque bonis ſuis privatus fuit. Quapropter filius ejus literis incubuit, adeoque præſtantiſſimus philoſophus effectus fuit ac medicus, à quo etiam didicerat Averroës & Rabbi Moſes Ægyptius, & multi alii. Omnes Ariſtotelis textus ab eo audierunt, quem multoties in ſuis commentariis citaverat Averroës. Mortuus eſt autem iſte, qui totius hæreſiæ cauſſa exſtitit, anno DLXXI. in civitate Sivilia.* Hucuſque Bibliothecarius Hottingeri ex Joanne Leone, quem Pocockium non vidiſſe mirum valdè eſt. Planè hinc egregiè confirmantur quæ de Abu Becri hujus cum Averroës amicitia, & ſynchroniſmo aliunde is collegerat, & poſt hujus mortem, quæ incidit in annum MCLXXIV aut ſequentem, viginti alios quatuor annos Averroëm vixiſſe.

JAHIA (quod eſt *Joannes*) filius MUHAMED, filius ABI SIUKER Africani, Andaluſius, auctor eſt *Theoriæ planetarum demonſtratæ, & ſecundum novas obſervationes emendatæ*. quã Arabicè ſcriptam Lugduno-Batava bibliotheca inter Warnerianos libros ex orie̅te allatos, atque eidem donatos, poſſidet [u]. Ibidem quoque exſtat *Theodoſius De ſphæricis figuris*, *continuante* (fortè interpretem denotat) *Jahiâ filio Muhammedis* Andaloſeno [x]. Eſt ne alius ab hoc diverſus

JAHIA IBEN HAMETIS IBN EDDEN? cujus liber *De re medica* completus & integer in Eſcorialenſi bibliotheca exſtare dicitur [y], dicatus Regi Albuhacem ad examinandos ſuæ civitatis Granatæ medicos, & totius regni, ſcriptus, ut notatur in eo, à fuga an. DCCXIX. id eſt Chriſti MCCCXLI.

JALJAL, aliàs EBEN JALJAL Andaloſenus, adducitur in teſtimonium pro medico Baſorenſi quodam à Gregorio Abulfarajo in hiſtoria Dynaſtiarum Pocockianæ verſionis [z] ita loquente: *Refert Ebu Jaljal Andaloſenus Maſerjauvaihum medicum Baſorenſem linguâ Syrum, Religione Judæum fuiſſe.* Nec titulum operis adjungit.

JASÆ GAFEKÆI Andaluſii *Hiſtoria orientalis* laudatur inter hiſtorias Arabicè ſcriptas de rebus Aſiaticis & Africanis in *Bibliotheca orientali* lib. 3. par. 2. cap. 2. [a]

IBEN IBRAHIM Hiſpanus, *De ſupputatione temporis*, ſcriptor Arabicus, aſſervatur inter Warnerianos libros Leidenſis bibliothecæ [b] cum aliis in eodem codice.

IBNULC HATIB, celeberrimus inter Arabes theologus, philoſophus, poëta, & hiſtoricus, ad Hiſpanam rem pertinet, quamvis externus. Natus is in *Ray* civitate, ut Joannes Leo in elogio ejus docet [c]. Hæc Parthiæ urbs, eademque Phaſis medici famigeratiſſimi patria, aliter *Reba*, cujus in quarto climate Alferganus in *elementis aſtronomicis* meminit, ad quem Jacobi Golii nota locuples & luculenta conſuli poteſt [d].

Hic, inter alia multa, ſcripſit *Chronica Granatæ, omniumque hominum, notabilium, doctiſſimorum, & dominorum, qui ingreſſi fuerant in Granatam*. duodecim voluminibus. Quam quidem diſtinguit idem Joannes Leo ab *Hiſtoria Regum ac dominorum Granatæ*, quam deinde laudat. Aliquando enim apud nos, & in hac urbe Granatenſi fuiſſe dicitur, indeque expilato Regis Abu Habdillæ theſauro in Fezam diſceſſiſſe, quo in loco ob hæreſin & furtum hocce anno Hegiræ DCCLXXVII. qui, ſi hęc incœpit anno DCXXII. anno Chriſtiano MCCCXCIX. reſpondet, ſuffocatus fuit, ejuſdem Joannis Leonis teſtimonio. Verumtamen ſi extremo hoc ſæculo vixit deceſſitque, falſum Leo dixit, æqualem eum Averroï, famaque ejus permotum, venire ad hunc voluiſſe, in principio elogii referens. Averroës etenim, uti ſupra annotavimus, ante ducentos præter propter obierat annos.

JOLEUS JOLI Toleti civis anno MCCLIX. collectionem ex variis auctoribus compilatam *De virtute plurium herbarum & plantarum* in literas retulit; cujus operis & auctoris mentio eſt in catalogo regiæ bibliothecæ Eſcorialenſis, in qua exſtabat.

ISAACUS ABEN ZULAIME Judæus profeſſione, Murciæ ſcripſit anno Pſeudo-Prophetæ DXC. hoc eſt Chriſti MCXCIV. medicum quendam commentarium, qui inter libros exſtitit bibliothecæ regiæ Eſcorialenſis, ut ex catalogis conſtat.

ISAI IBEN CAADA EL LAUXI EL GARNATI, qui ſe vocat diſcipulum Muhammedis Aben Icam El Rocati, Granatenſis videtur fuiſſe, cujus *De re medica* liber Arabicus exſtare dicitur abſolutus in Eſcorialenſi bibliotheca [e].

ISMAEL Andaluſius *De lectionibus* opus confecit, quas ad Coranum inter commentaria ſive obſervationes Hottingerus refert, qui laudat in *Biblioth. orientalis* lib. 3. parte 2. cap. 2. [f]

K

KOTOBI Caſtilienſis (hoc eſt, è Caſtellæ regno) ſcripſit aliquid *De theologia aſcetica*: inter cujus doctrinæ ſcriptores, quæ Perſis maximè, & in iis Zophorum, ordini potiſſimùm curæ eſt (Hottingerus ait) dedit hujus auctoris & operis memoriæ locum lib. 2. *Bibliothecæ orientalis* par. 2. cap. 2. [g] Idem, nec diverſus, eſſe videtur Katabus Caſtilienſis, qui in *Sumæ* librum ſummæ poſt Coranum auctoritatis inter Machometanos quicquam ſcripſit, laudante eodem auctore [h].

L

LESANODDINUS, filius CHATIBI, videtur poſſe Hiſpanis ſcriptoribus Arabicis anume-

[t] In Arabico videtur fuiſſe . . . . vel . . . . . . quorum illud regionis, hoc potiſſimùm religionis ſignificatum includere annotat in ora libri Hottingerus.

[u] Catalogus pag. 101.

[x] Pag. 135.

[y] Catal. Caſtill. apud Hotting. in *append. biblioth. orient.* pag. 14.

[z] Pag. 126.

[a] Pag. 268.

[b] Catal. pag. 369.

[c] In *Bibliothecario* Hottingeri pag. 280.

[d] Pag. 210. editionis Amſtelodamenſis MDCLXIX.

[e] Ejus Catal. apud Hotting. pag. 4.

[f] Pag. 162.

[g] Pag. 207.

[h] Pag. 169.

numerari, cùm Granatensem conscripserit historiam, Hottingero teste lib.2.par.2. cap.2. *Bibliothecæ orientalis* [l].

[l] Pag.269.

M

MAGRIBI Hispani *Commentaria in Coranum* servantur in bibliotheca Lugduno-Batava inter libros Warnerianos, ut in ejus catalogo legitur [k].

[k] Pag.313.

MOHIDDIN IBEN ARABI, vide suprà in ARABI.

MUGARIBUS Granatensis. De eo Joannes Leo Africanus in descriptione Africæ, ubi de Fessæ urbis rebus, & in ea alchimistis agit [l], *Scripsit quoque* (ait) *ejus artis* (chimicæ) *cantica seu articulos Mugaribus quidam Granatensis, quem commentatus est Mammalucus doctissimus, patriâ Damascenus; sic tamen ut multò faciliùs textum quàm commentaria intelligas*. Hæc ille. Paschalis in *Bibliotheca medica*, & ex eo Petrus Borellus in *Bibliotheca chimica* pag. 164. laudant opus, *Mugaribi* scilicet *Granatini articulos de alchimia per cantica descriptos, & in eadem commentaria Mammaluci cujusdam*.

[l] Pag. 312.

MUHAMMED ABEN ISAAC Judeus professione, commentarium quendam *De re medica* Toleti anno MCCLXV. elucubravit, qui inter libros regiæ bibliothecæ Escorialensis erat, ut ex ejus constat catalogo.

MUHAMMEO IBEN CACIM IBEN ADEME EL GAFIQUE scripsit *De re medica* librum, quem absolutum exstare in Escorialensi regia bibliotheca scriptum Malacæ anno à fuga DCCXCI. qui est annus Christianus MCDXIII. ex ejus catalogo apud Hottingerum constat.

MUSLIMUS Cordubensis quicquam scripsit circa librum *Sunæ*, qui continet jus Muhammedicum universum, cæremoniale, civile, & forense, summæ post Coranum (inter Muhammedi consecraneos) auctoritatis ait Hottingerus lib. 2. *Bibliothecæ orientalis* part. 2. cap. 2. qui hunc librum Muslimi paullò pòst laudat.

[m] Pag.169. & 170.

P

PHATECHADDINUS, filius SEID ALPHAS, Andalusius (ut & Muslimus nuper laudatus) aliquid circa *Sunæ* Muhammedanorum librum scripsit, laudatus ab eodem Hottingero, ubi de *Muslimo*.

R

RASIS seu RASES. De hoc vide tomo I. pag. 369. num. 280. & seqq.

S

SAED, aliàs ALKADI SAED EBEN AHMED, Andalosenus, judex urbis Toleti. Hunc adducit ex quodam opere, ubi *De Arabum generibus* egit, Georgius Abulfarajus in *Historia dynastiarum*, quam habemus ex interpretatione Eduardi Pocockii in Anglia editam. Hic nempe auctor in *Dynastia* 9. hoc nomine eum vocat, adjuncto quòd judex fuerit urbis *Tolaïtelæ*, hoc est Toleti, omnibus Arabicè scribentibus & Arabicum interpretantibus, dynastiam hanc novam, quæ ad Arabes & Mohammedanos spectat, Pocockius seorsum edidit, doctissimis Notis lectuque dignissimis illustratam, ut nostri homines non ignorent quàm subtiliter Arabum populi, etiamsi falsis præventi persuasionibus, & iniqua Corani lege excæcati, in omnes ferè, quæ nunc in schola vigent, philosophicas theologicasque quæstiones ingenii aciem jecerint, & scriptis libris sensa quique sua & sectam, cui adhærebant, exposuerint.

[n] Oxonii MDCL. in 4.

Quicquid autem Abulpharajus in fragmento isto *De Arabum populis eorumque moribus*, quomodo inscripsit opus interpres Pocockius, ex Saed Eben Ahmed ferè hausit, ut idem ait interpres in præfatione. Verùm autem hujus scriptoris nomen *Saed* fuisse existimo, filii Ahmed, & Alkadi muneris esse vocabulum, quo nomine eum jure laudat Theophilus Spizelius [o]. Idem forsan est cum Abu Hamed, quem ex Bocharto suprà laudavimus.

[o] In sac. Biblioth. illust. arcanis retectis, ibique specimine Bibliothecæ universalis in *Abulfaraja*.

SAIGH, aliàs ABEN, sive IBNU SAIGH, Bæticus, de quo unicum Joannis Leonis Africani testimonium, quod proferamus, habentes, transcribere integrum, nonnullis glossæ in speciem aliunde additis, è re lectoris duximus. *Ibnu Saigh in civitate Mariæ natus est*. Exstat in Bæticæ ora *Portus S. Mariæ* in conspectu Gadium: quod tamen oppidum, nondum tempore isto ditionis Christianorum factum, vix potuit Christianum hoc nomen jam accepisse, cùm ante Maurorum in Hispanias ingressum (Romanorum scilicet an Hispanorum veterum nomenclatura?) sive *Menestei*, sive *Gaditanus portus*, appellatus vulgò existimatur [p].

[p] Carus in Chorographia Conventûs Hispalensis c. 28.

Cujus antecessores fuerunt Hebræi, qui maximus inter philosophos & medicos erat; quam quidem didicit ab Ibnu Sobarsen (fortè *Ibnu Zobar*) *philosophiam autem à Masluma. Composuit librum epistolarum, & alios quamplures, inter quos composuit epistolam Cerva, quæ Arabicè dicitur* Epistola Simonis (*fortè* Tinonis, *à* ...... *quod* lutum *significat*) *quoniam nomen habuit ab eo qui natus est ex luto. Edidit etiam* Epistolas *ad fratres Claros in vita* (lego *in via*) *philosophorum, quæ omnia sapientiâ scientiaque humanâ plena sunt. Commentatus est etiam librum Euclidis, & quando pater Averroïs fuit judex Cordubæ, dictus Ibnu Saigh, missus fuit in carcerem propter hæresin. At multi principes pro eo deprecati sunt, eoque à judice liberatus est. Dixit Ibnu Giulgiul* (in *Philosophorum vitis*, quem ejus librum sæpè auctor laudat) *Nescit pater Averroïs filium suum eo multò pejorem fore. Mortuus est an-*

no

no quingenteſimo (Egiræ ſcilicet) *in civitate Mariæ provinciæ Bœticæ*. Hucuſque Joannis Leonis elogium.

Circa id verò quod de patria, eodemque emortuali hujus docti philoſophi loco, ſuprà diximus, an ſuſpicari lubet, non alium deſignari à Leone quàm hodiernum *S. Mariæ Portum*? quod quidem eò referendum ſit, ut vel antiquæ ſub Mauris appellationi recentiorem, ibique bene notam, Leo ſubrogavit, vel jam olim Gotthi, aut Gotthis ſuperiores Bœticæ incolæ Chriſtiani, Deiparæ Virginis nomine hunc locum vocaverint; quod nomen ſibi aliàs, quamvis infidelibus venerationi habitum, conſervaviſſe Mauros, à vero non abludit. Nam in *Geographia Nubienſi*, cujus auctor hoc eodem vixit ſæculo [q], mentio eſt *Faucium S. Petri*, hoc eſt, illius anguſti freti, quo Gadium inſula à continenti ſeparatur, ubi nunc viſitur *S. Petri* dicta inſula.

Quinimmo ſub Maurorum eadem ditione conſervabat nomen ſuum à Maria Deipara olim ei dictum, cum cognomine quodam à novis incolis Arabicè loquentibus impoſitum, *Civitas S. Mariæ de Hairun* in Luſitaniæ, ſive Algarbiorum regni ora maritima, quæ meridiem ſpectat, eo ſcilicet anno quo Anglicas quaſdam naves Riccardum Regem in Palæſtinam vecturas illac tranſire contigit. *Deinde tranſierunt* (ait Rogerus de Hoveden in Annalium poſteriori parte [r]) *per civitatem paganorum, quæ dicitur S. Mariæ de Hartun*, &c. cum iis quæ ſequuntur, ad rem valdè aptis quam proſequimur, aſſerendi Aben Saigh patriam S. Mariæ hodiernum Portum. Quominus autem non ſtatim hac via ſponte incedamus, facit ſilentium de de hoc oppido in eadem *Geographia Nubienſi*; cujus auctor iter ab *Inſula viridi*, quæ ad fretum ſuit, Hiſpalim uſque, idque maritimum, deſcribens, nullam hujus oppidi S. Mariæ mentionem fecit. Cùm verè omnem oram hujus tractus maritimam veluti deſcripſerit.

Nec abſtinebo meam huc loci deveniens operam in conferendo cum Arabe iſto geographo præſentem hujus oræ & locorum conſpectu. *Ab inſula viridi ad Siviliam* (inquit [s]) *babetur iter quinque dierum, & inſula viridis*, Arabicè *Gezira Albadra* (ut notavit Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 19.) eſt locus ille, quo veſtigia urbis, olim *las Algeziras* dictæ, conſpiciuntur. Faciem loci deſcribit paullò antè idem geographus: *Inter inſulam Tarif & inſulam viridem intercedit ſpatium xviij. paſſuum millium. Egrediens enim ex inſula, deveniens ad Vadi-lneſa amnem fluentem, indeque ad inſulam viridem, quam fluvius interſecat, fluvius Mellis vocatus; eſt enim dulcis, & potum civibus adminiſtrat.* Non potuit expreſſiùs oppidum *las Algeziras* deſtructum hodie ſignificari.

Inſula Tarif urbs eſt *Gibraltar* hodierna, corrupto nomine à *Gebel*, quod eſt *mons*, & *Tarif* [t], ſeu *Tarec*, filio Abdallahi Maurorum duce, qui copias eorum in Hiſpanias hac parte invexit, ut apud eundem auctorem ſtatim [u] legitur. Hanc non ideo *Gezira* inſulam vocat urbem, quòd inſula ſit, ſed quòd Arabes verbo iſto pro urbe etiam utuntur [x]. Nec parum melius ab hoc uſu Algeïræ urbis Africæ notiſſimæ, *Geſeir*, hoc eſt, inſulæ, ab Afris dictæ, nomenclaturam deduxeris, quàm (id quod Joanni Leoni Africano valdè abſonè placuit [y]) ab inſulis Balearibus, quibus adjacere eam dicit. Planè inter *Gibaltar* urbem & ſitum, ubi *las Algeziras* quondam fuere, xviii. paſſuum millia geographus noſter, ubi duodecim non plus, hoc eſt, quatuor leucas, novit recens geographia. Quæ differentia fortè venit ex diverſa paſſuum Arabes inter & nos menſura.

Locus tamen quòd idem ſit, ex his quæ ſubſequuntur, ſignis patebit. Egrediens enim ex inſula (*Tarif*) devenies (inquit) ad *Vadi-lneſa amnem fluentem*. Hic unus è duobus eſt fluviis, qui hoc in ſpatio mare ſubeunt; quorum prior à Gibaltar duabus leucis, *Guadarranque*; ulterior unà abhinc leucâ, *Rio de Palmones*, audiunt. *Indeque ad inſulam viridem, quam fluvius interſecat, fluvius* (inſit) *Mellis vocatus*. Non potuit inſulam, ſed urbem fluvius ſecare, hoc eſt, in duas partes dividere. Hic ſanè fluvius antiquum vel hodie nomen retinens, ac *de la Miel* vocatus, bipartitam urbem *las Algeziras*, ideo dictam plurativo numero, utrimque habuit. Sed pergamus in legenda ora, ſeu itinere maritimo ab inſula Viridi ad Siviliam, hoc eſt, Hiſpalim, juxta geographum anonymum deſcribendo.

Ab inſula viridi ad Arenas, quæ in mari cernuntur, indeque ad oſtium fluminis Barbate, xxviij. habentur millia paſſuum.

Exſtat nunc oppidum *Barbate* in hac ora, quindecim tamen leucarum intervallo à fluvio *de la Miel* & *Algezirarum* loco diſſitum, quæ xlv. paſſuum millia conficiunt. Error forſan in geographi milliarium ſedit numero.

Ad oſtium fluminis Vacca ſex millia paſſuum.

Totidem, hoc eſt leucæ duæ, inter *Barbate* & *Conil* oppidum numerantur; juxta quod tamen nullum recentiores geographi fluvium agnoſcunt.

Tum ad fauces S. Pietro *dictas xij. millia paſſuum.*

Hæc eſt inſula *S. Petri*, juxta breviſſimum inter Gades inſulam & continentem ſpatium, quod trium arcuum ſternitur ponte, *de Suazo* vulgò dicto. Huc tamen loci à *Conil* jam laudato oppido, nonniſi duarum leucarum, ſex millium ſcilicet paſſuum, conſtitui ſolet intervallum.

Inde ad Alcanater (*Arcus*, ſive *pontes*, vertit interpres) *quo fretum ſex milliaribus in latitudinem porrectum ſeparat ab inſula Gades, quam proſpectant xij. quoque mill. paſs.*

Nihil variat ferè numerus leucarum, quas

[q] Præfationem conſule Gab. Sionitæ & Jo. Heſronitæ ad ſuam editionem Pariſien. anni MDCXIX.

[r] In *Anglicarum rerum ſcriptorib.* Francofurti editis MDCV. pag. 670.

[s] *Climatis* 4. 1 part. pag. 154.

[t] Aliàs à Gebel Tar, quod eſt *Mons ſummus*, Alderete *Antig. de España y Africa* lib. 2. cap. 2.

[u] Eadem pag. 154.

[x] Notat Alderete ejuſdē operis lib. 4. cap. 2. pag. 524. Aliter tamen Didacus de Haedo in *Hiſt urbis Algerienſis* Hiſpana in *Deſcriptione*.

[y] In *Deſcriptione Africæ* lib. 4. *De Algeira*.

[z] *Flumen mellitum*.

quas à ponte *de Suazo* ad oſtium fluminis *Guadalete*, quod urbem *Portus S. Mariæ* dictam alluit, interjacet, nec ab eo quod Nubienſis notat ſex milliarium ſpatio abludit ſinus maris illius, quod ad Gadium uſq; inſulam ſolventes è Portu trajiciunt, latitudo. Quare hic conſtituendi ſunt, ubi Lethe fluvius in mare influit, *Alcanater*, ſive *arcus*, aut *pontes* geographi. Convenitque hodierna loci facies. Veſtigia enim & pilæ magni cujuſdam pontis in oſtio ipſo fluminis, quod Maurorum fortè opus fuit, conſpiciuntur. Indeque ad *Rotam* oppidum, quod *Speculam Rotæ* Nubienſis appellat, octoque millium paſſuum intervallo diſſitum ponit, leucarum duarum ſpatium hodie ſtatuimus.

Nec tamen (ut jam poſt aliquantum à via diſceſſum ad Aben Saigh redeamus patriam, & judicium noſtrum, ex conjectura tamen, proferamus) contendat aliquis ex ſilentio geographi, Mariæ oppidum, rerum cùm Mauri potirentur, nullum hîc extitiſſe. Oram enim legentibus maritimo itinere opus non fuit appellare urbem, quæ quidem ſi ab eo quod olim fuit, loci nil mutavit, adverſo flumine ab oſtio ipſo ſemi-leucâ diſtabat. Inclinamus ergo, ut non de alio oppido quàm de iſto locutus ſit Joannes Leo, ſive is quem ille in prodenda Aben Saigh patria ante oculos habuit; nec aliter intelligendum eſſe quàm de inſtauratione loci jam olim habitati, Alphonſi Regis X. cognomento *Sapientis* circa hunc operam; cujus Stephanus Garibajus lib. 13. cap. 9. & Joannes Mariana lib. 13. cap. 15. meminere.

SAMUEL EBEN JUDA. De eo Georgius Abulpharajus in *Hiſtoria dynaſtiarum*, dynaſt. 9.[a]
a Pag. 198. *Hoc tempore* (ait loquens de Califa Almoſtadio Almoſtaniedi filio, qui an. Hegiræ DLXVI. hoc eſt Chriſti MCLXXXVIII. regnum ſuum inchoavit [b]) *è medicis in oriente celebribus fuit Samuel Ebn Juda Mogrebinus* (occidentalem ſonat) *Andaloſenus, medicus Judæus, qui unà cum patre in orientem venerat. Pater aliquid in philoſophia didicerat. Filius verò ipſius Samuel varias philoſophiæ ſpecies legit, & ſcientiis mathematicis operam navavit, earumque fundamenta, & quicquid in eis utile & rarum eſt, probe calluit. Suntque ipſi bis de rebus libri.* b Pag. 163.

Libros etiam in arte medica compoſuit *in Adarbijanum* (Mediam, ut interpretatur Pocockius ad Alfargani elementa[c]) *migrans operam collocavit Pahlavvanidis, & imperii ipſorum principibus. In urbe Maraga commoratus, ubi filios genuit, qui ejus veſtigiis in medicando inſtiterunt. Deinde Iſlamiſmum* (Muhammediſmum) *amplexus, librum compoſuit ad retegenda Judæorum vitia, & locos unde conſtaret illos legem immutaſſe. Obiit Maragæ prope annum quingenteſimum ſeptuageſimum.* Hæc ille. At hic eſt annus Chriſti MCXCII. Maraga autem ejuſdem provinciæ Adarbigianæ urbs, ſive Media, cujus ſæpè alibi Abulpharajus idem meminit. c Pag. 226.


SIEKOURI LACHMENS Granatenſis, *De remediis morborum omnium partium humanarum* ſcripſit commentarium, qui exſtat Arabicè in bibliotheca Leidenſi inter libros Warnerianos, cum Iben Chatiji *Praxi medica*, de quo ſuprà. Vide hujus catalogum [d]. d Pag. 118.

Z

ZOURUS neſcio quis, SAPIENS cognominatus, qui ab Alphonſo Garzia Matamoros in *De academiis & doctis viris Hiſpaniæ* inter Arabo-Hiſpanos laudatur, non eſt alius ab Aben Zoar.



BIBLIO-



BIBLIOTHECA HISPANA

SCRIPTORUM INCERTI TEMPORIS.

A



AGIDIUS, ordinis Minorum, scriptor inter hujus familiæ alios à Wadingo laudatur sub Hispani nomine, *Sermonum de Sanctis*, qui incipiunt: *Philosophia est divinarum rerum speculatio*.

ÆMILIUS, adnominatus Hispanus, mulomedicus, sive medicus equorum, quem alii Africanum fuisse volunt, teste Lindano *De scriptis medicis*; *De mulo-medicina* capita aliquot scripsit, quæ cum aliis hujus veterinariæ artis scriptoribus Grecè edita exstant Basileæ apud Joannem Valderum MDXXXVII. in 4°. Latinaque ex interpretatione Joannis Ruëllii Parisus apud Simonem Colinæum MDXXX. in folio. Gesnerus quoque meminit.

AIMERICUS DE GAUSA Ballivus (*Bayle* vocant) generalis Cataloniæ, scripsisse dicitur *Relacion de los sucessos de Cataluña*. Meminit hujus operis D. Josephus Pellizerius in *Memoriali Comitis de Villazor*, *& domus, sive familiæ de Alagon* fol. 64.

ALPHONSUS DE MADRID, Benedictinus monachus S. Salvatoris de Oña, reliquit scriptam *Historiam regii hujus monasterii*, quæ membranaceo codice, Notisque antiquioribus exarata, in ejusdem bibliotheca asservatur, & magno in pretio habetur, eò quòd auctor hujusce domus abbas, valdeque doctus fuisse dicatur. Rem narrat D. Petrus de la Escalera Guevara in opere suo *Del origen de los Monteros de Espinosa* cap. 1. & 8. post Antonium de Jepes in *Historia Benedictina* cent. 6. cap. 3. num. 43.

ALPHONSUS DE PERALTA, nescio quis, auctor cujusdam libri, *Artificium prudentiæ*, dicti, fertur.

ANGELUS PACENSIS quidam, quem Lusitani ab urbe sua Pace, nunc *Beja* oriundum dixerint, incerti, verè tamen antiqui temporis scriptor, Lusitanis tantùm notus, & ab eorum chronographo Bernardo Britto Cisterciensi monacho in bibliotheca monasterii S. Mariæ de Alcobazia repertus; cujus rei fidem faciunt Hieronymus de Souto, auditor seu judex territorii hujus monasterii, & Fr. Franciscus de S. Clara Generalis Reformator Congregationis Portugalliæ, atque ejusdem monasterii abbas, *Monarchiæ* laudati Britti *Lusitanæ* præambulis adjunctam.

Opera hujus Angeli sic laudant hi testes: *Estaon mais as obras de Angelo Pacense, onde à vidas de muytos Santos Portuguezes, & junto com ellas alguns Concilios antigos feitos por Aldeberto, & muitas memorias de cousas Portuguesas.* id est: *Sunt ibi & opera Angeli Pacensis, in quibus plures Vitæ Sanctorum Lusitanorum, ac simul cum iis Concilia quædam antiqua per Aldebertum facta, multaque alia rerum Lusitanarum monumenta.* Ex quibus omnibus in eodem codice contentis *Vitæ* duntaxat illæ *Sanctorum* ad Angelum pertinuisse videntur, in quibus est *S. Mancii* Christi discipuli martyrisque Eborensis, quam idem Brittus refereus lib. 5. *Monarchiæ* cap. 6. Angeli hujus meminit: *Sanctorum Verissimi & sociorum martyrum*, ut lib.... cap.... *S. Petri Archiepiscopi Bracarensis* lib. 2. cap. 6.

Hæc autem ejus opera translata fuisse ab eodem ex Alcobazia in Escorialense regium monasterium & bibliothecam, Lusitani ajunt noviores. Attamen Alcobazienses istæ à Britto nobis objectæ antiqui temporis merces, in quibus Laïmundus est, Petrus Allardius, magister Menegaldus, rerum Lusitanarum scriptores Latinitatis non contemnendæ (ut præ se ferunt initia & fines eorum in suprà laudatis testificationibus expressa) non parum suspectæ sunt, cùm nec Alcobaziæ, nec in Laurentina regia reperiantur bibliotheca, nec aliquis ferè alius post Brittum viderit, aut his auctoribus usus sit. De quibus nos latiùs suprà de Laïmundo agentes. Quare dum nondum cum his antiquitatis, quæ jactantur, notis comparuerit Angelus, cæterique, judicium de iis faciendum ampliabimus.

ANONYMUS quidam scripsit *De initiis Aragoniæ regni* monumentum aliquod, cui Hieronymus Blancas, nominis atque ævi ignarus, testimonium perhibet in *Commentariis Aragonensium rerum, & primo interregno Regum*, quos appellat, *Suprarbiensium*, his verbis: *Quomodo hujusmodi inscriptionem, quam vetustus quidam scriptor in tumulo Joannis primi Anachoretæ inventam refert, instauratam ac renovatam conjicio. Ergo Joannes primus &c.* Et post hanc inscriptionem: *Istius verò scriptoris nomen non comperi*. Vide infrà in *Macario*.

ANONYMUS, cognomento ALMENAR, Valentini regni civis, nobili genere natus, Toparcha locorum *Roccafort* & *Godella*, laudatur à Gaspare Escolano lib. 5. *Historiæ Valentinæ* cap. 23. eo quòd opera duo, alterum *De re astrologica*, alterum *De morbo Gallico*, scripta reliquerit.

ANONYMUS Hispanus, seu Arabo-Hispanus, scripsisse videtur *Glossarium Arabo-Hispanum*, quod esse in bibliotheca Leidensi inter libros à Josepho Scaligero eidem legatos, ejus ostendit catalogus, anno MDCLXXIV. typis editus Lugduno-Batavis, qui ita habet pag. 280. *Hispanum glossarium optimum, ante sexcentos plus minus annos scriptum Latino-Arabicè: Latina charactere Longobardico difficillimo: Arabica charactere Africano elegantissimo descripta, partim in membranis, partim in charta. In fine quinque paginæ sunt mutilæ*. Atque hic liber profectò haberi debet instar thesauri, si legibilis est: antiquæ enim, & vagientis adhuc, eque Latina in vernaculam rudem & inconditam, non sine Arabicæ quadam mistura transformari cœptæ nostratis linguæ principia, quæ vix alibi reperire est, si non fallit diligentissimè scriptus index, continet.

ANONYMUS Castellæ vernaculâ scripsit *De rebus Portugalliæ*, quóde Stephanum Garibajum lib. 34. cap. 1. audire proprio idiomate loquentem præstat: *Entre las obras que en lengua Castellana hè visto de los Reyes de Portugal, la mejor es una que sin nombre de autor anda de mano; la qual aunque no contiene tan copiosa relacion, quanto merecia la historia de semejantes Principes; tiene buen discurso en la succession de los Reyes, y muchos notables puntos, de quien entiendo prevalerme mas que de ningun otro autor en lo que me pudiere aprovechar para el progresso desta Cronica.*

ANONYMUS Lusitanus scriptor cujusdam *Historiæ* antiquæ nondum typis editæ, ac ipsius testimonio auctoris ex illis quas legimus, & Castellæ antistites scripserunt (quibus Toletani ac Tudensis, necnon & antiquiorum Isidori, Sebastiani, Sampiri, Pelagiique historias significare videtur) desumptæ, quam vidit Prudentius Sandovalius, laudatque in *Historia Alphonsi Regis Castellæ* lib. 7. fol. 152.

ANONYMUS Gerundensis Ecclesiæ canonicus *Vitam S. Oldegarii Barcinonensis priùs Episcopi, deinde Tarraconensis Archiepiscopi*. *Latinè edidit*. quæ quidem exstat in *Legendario* antiquo MS. archivi ejusdem Barcinonensis Ecclesiæ capituli; cujus cum nostris Diago, Rebullosa, & aliis, VI. Martii pag. 482. Bollandus & Henschenius in magno opere de *Actis Sanctorum*, & Antonius Joannes Garzia de Caralps in historia ejusdem Sancti par. 2. cap. 11. & 12. meminere.

ANONYMUS Lusitanus hacce lingua scripsit vitam Nonnii Alvari Pererii Portugalliæ Comestabilis, cujus hic est Lusitanus titulus: *Chronico do Condestable de Portugal D. Nun-Alvarez Pereira principiador da casa de Braganza, sem mudar da antiguidade de suas palabras, nem stilo*. Ulyssippone MDXXVI. & iterū ibid. MDCXXIII. apud Ant. Alvarez in fol. Hoc *Chronicon* Latinè vertisse Joannem Ferdinandum, quem Theodosius Brigantiæ Dux unico filio Joanni præceptorem dedit, ex aliorum fide Joannes Vasæus refert *Chronici Hispaniæ* cap. 4.

ANONYMUS incertæ ætatis scripsit Vitam Roderici Didaci Bivarii, cognomento Cidi, fortissimi herois, qui sub Ferdinando I. & filiorum ejus Castellæ ac Legionis Regibus floruit. Exstat ea sic nuncupata: *Historia del famoso cavallero Cid Rui-Diaz, con su genealogia*, Burgis MDXCIII. Hispali MDCXI. Quæ MS. servatur in monasterio S. Petri de Cardeña, ubi Rodericus ipse jacet. Nescio autem quo argumento rei nitatur opinio hunc librum Mauro cuidam *Aben Alfange* dicto adscribens, ex cujus Arabico idiomate in Hispanum fuerit inde versus. Informem eam, & chronologię luce orbam, verisque millia fabularum miscentem, existimat Prudentius Sandovalius (ut & alii) in *Historia Alphonsi VI.* folio 31.

ANONYMUS scripsit Roderici Gotthorum in Hispania ultimi Regis historiam: *Chronica del Rey D. Rodrigo, con la destruccion de España, y como los Moros la ganaron*. nuncupatam in editione Complutensi MDLXXXVII. in folio, sed dudum Hispali anno MDXXVII. in fol. prodierat. Differt hæc ab altera ejusdem argumenti *Historia de la perdida de España*, quam diu post superioris publicationem ex Arabico Latinam Michaël de Luna interpres regius edidit; de qua nos in Arabico-Hispana bibliotheca, sub nomine *Abu Hacim Taric Aben Tariquii* loquuti sumus. Atque item diversa est ab ea, quam fabulosæ ac Sarracenæ taxat nominibus Ferdinandus Perezius Guzmanus, cujus quidem auctor fuisse Petrus quidam del Corral dicitur. Hac tamen sæpe usos Alvarum Gomezium & Hieronymum Suritam in Latinis *rerum Aragonensium Indicibus* observatum ab Hieronymo Romano ab Higuera legimus in manuscripta etiam nunc *Toletanæ urbis & regni historia* lib. 14. cap. 3. qui subjungit, plura ibi exaggerata valdè reperiri, qualis est pœnitentiæ ejusdem Regis, nonnullaque nomina conficta;

sed

ſed alia eſſe multùm his conformia, quæ Sebaſtianus, Iſidorus Pacenſis, Rodericus Toletanus, Lucas Tudenſis, & Raſis Maurus breviter ſcripſerunt. Hæc ille.

ANONYMUS Catalanâ linguâ ſcripſit *Hiſtoriam Regum Aragoniæ & Comitum Barcinonis* à tempore conditæ Hiſpanæ Reipublicæ uſque ad Alphonſi IV. regnum. Vidit quidem, atque eâ uſum ſe eſſe ait, Joannes Franciſcus Andreas Uſtarrozius Aragoniæ chronographus, in *Coronationum* hujus regni Regum libro; adjungens fuiſſe olim in archivo regio Barcinonenſi, habereque plures Michaëlis Carbonelli notas, atque ejus, & Antonii de Viladamor Cataloniæ hiſtoricorum ſignis munitam eſſe; atque inſuper ait Comitem de Guimera in hujus ſui oppidi archivo ſe reperiſſe dicere, voluminiſque compacti, & characterum formam antiquitatem pluſquam ducentorum quinquaginta annorum præ ſe ferre videri. Hæc Uſtarrozius.

ANONYMUS ſcripſit, incertum quo tempore, *Annales*, quos à monaſterio Cataloniæ, in quo exſtant, *de Ripoll* vulgus appellat, magni quidem habitos ad hujus provinciæ & Aragoniæ regni antiquitatum cognitionem.

ANONYMUS canonicus regularis S. Iſidori Legionenſis vertit Hiſpanè, quam olim Latinè ediderat Lucas Epiſcopus Tudenſis, *La hiſtoria de la vida, milagros, y tranſlaciones de S. Iſidoro Arzobiſpo de Sevilla, que eſcriviò D. Lucas de Tuy por mandado de la Reyna D. Berenguela, muger del Rey D. Alonſo, de quien fue coroniſta, y la traduxo un canonigo reglar de S. Iſidoro de Leon, y la vida del Doctor Martino ſu canonigo y compañero*. Sic enim inſcripta eſt editio Salmanticenſis anni MDXXV. in 4°. cujus curam habuit baccalaureus Joannes de Robles.

ANONYMUS, clericus regularis S. Auguſtini, edidit *La vida, generacion, y excelencias de la glorioſa S. Ana y S. Joachim.* Salmanticæ MDXXVIII. in 4°.

ANONYMUS quidam ſcripſit librum ita inſcriptum: *Arbor Archiepiſcopalis, ad Archiepiſcopum Toletanum*, qui ſervatur in bibliotheca Toletanæ Eccleſiæ pluteo 30. num. 9. Hiſpano ſermone, ut ſuſpicor, quamvis ſub inſcriptione Latina. Prologus enim Hiſpanus eſt, unde verba hæc pro faciẽdo ſpecimine operis, deſumpſimus: *Eſte quaderno, ſeñor, os moſtrarà quatro coſas. Lo primero, que ſoys, y que es el oficio que teneys, & en que ſilla eſtays aſſentado, & quantos grados tiene vueſtro eſtado. Lo ſegũdo, como haveys de regir y governar el pueblo encomendado. Lo tercero, que es la cuenta que haveys de dar. Lo quarto, que es el fruto que cogereys de buena cuenta ò mala.* Incertum omnino eſt cujuſnam auctoris, & ad quem Archiepiſcopum directus ſit. Attamen in exemplo meo catalogi hujus bibliothecæ, quem magni habeo, ad oram unà cum jam laudata operis diviſione notatum legitur, alteram ab eodem auctore, *Arborem exemplificalem* dictam, quæ deeſt ab iſta bibliotheca, ſcriptam fuiſſe.

ANONYMUS quidam ſcripſit Chronicon Comitis Caſtellæ Ferdinandi Gundiſalvi, (*Hiſtoria del Conde Fernan Gonzalez*) ſermone vernaculo, quod Compluti editum fuit MDLXXXIV. in folio. Diverſa eſt à de ejuſdem rebus geſtis hiſtoria, quam elucubrâſſe dicitur Gundiſalvus de Arredondo & Alvarado Benedictinus monachus, quæ inedita etiamnum exſtat, & per varia MSS. exempla doctis quibuſdam hominibus jam communicata fuit; de qua nos in Bibliothecę altera parte mentionem ſub auctoris nomine habuimus. Hujus antiquioris, & priùs dictæ hiſtoriæ haud meminit, niſi fallimur, ejuſdem Comitis res enarrans Prudentius Sandovalius; quomodo & alterius à Gundiſalvo ſcriptæ.

ANONYMUS ſcripſit *Hiſtoriam Hiſpanicarum rerum*. quam vidit, & antiquiſſimam vocat Prudentius Sandovalius in proximè dicta *Vita Ferdinandi Gundiſalvi Comitis Caſtellæ*, quam editioni Epiſcoporum veterum Hiſpanię hiſtoricorum ſubjecit pag. 289. atque inde habitum vernaculi ſatis antiqui carminis fragmentum producit.

ANONYMUS ſcriptor, ſive Navarrenſium ſive Aragonenſium rerum, MS. fuit in bibliotheca egregii viri Martini ab Aſpilcueta Doctoris Navarri; quo libro utitur in *Hiſtoria* Gallica *Benearnenſi* Petrus Marca Pariſienſis præſul lib. 4. cap. 6.

ANONYMUS Armenteriæ in Gallæcia monachus Ciſtercienſis conſcripſit olim *Vitam* admirabilem *B. Eronis*, ejuſdem loci abbatis, quæ inter alia continet hiſtoriam illi ſimilem, quæ vulgò narratur, de monacho Affligemienſi, qui per annos CC. ad cantum cujuſdam aviculæ in exſtaſi permanſit. Vitam hanc in antiquo codice repertam publicavit reverendiſſimus Malachias de Aſſo (ſic legendum) parentibus nobilibus in Aragonia natus, tunc quidem Armenteriæ abbas, poſtmodum verò anno MDXCV. Laccenſis in Aragonia creatus Epiſcopus, ubi mira ſanctitatis opinione floruit uſque ad annum Domini MDCVI. quo obiit XXVIII. Aug. de quo vide *Menologium Ciſtercienſe* Chryſoſtomi Henriquez eodem anno, qui etiam compendioſam inſeruit Eronis Vitam *Faſciculo* ſuo lib. 2. diſt. 26. cap. 6. Hæc Carolus Viſchius in *Bibliotheca Ciſtercienſi*.

ANONYMUS Catalanus forſan ſcripſit *Genealogia de los Condes de Barcelona*, cujus autographum ſervari ajunt in monaſterio Rivi-pulli Benedictinorum ejuſdem Principatus Cataloniæ. Exemplum ejus habet D. Raphaël de Viloſa, ſenator olim regius Conſilii Aragoniæ Matriti, atque aliud fuit penes Jacobum Ramon Vila curioſiſſimum hiſtoriæ virum, qui hoc cum aliis libris monaſterio S. Hieronymi de la Murta prope Barcinonem reliquit.

ANONYMUS quidam vertit Biblia è Latino vulgato in Valentinum, hoc eſt, re-

gni Valentiæ vernaculum ſermonem: cujus operæ interfuiſſe dicitur S. Vincentius Ferrerius, ſi fidem habemus Cypriano de Valera in præfatione ad interpretationem Hiſpanam, quam ipſe fecit ex Hebræo, quæque Amſterodami prodiit an. MDCII. ubi ait hanc Valentinam verſionem ante centum & ampliùs annos in folio regali typis commiſſam fuiſſe.

ANONYMUS, ſeu ANONYMI, Hiſpano-Hebræi in Italia jam poſt expulſionem degentes, verſionem quandam ſacrorum librorum ex Hebraïco ſermone in Caſtellanum fecere: cujus hic eſt conſpectus: *Biblia en lengua Eſpañola traducida palabra por palabra de la verdad Hebraica, por muy excelentes letrados, viſta y examinada por el oficio de la Inquiſicion, con privilegio del iluſtriſſimo ſeñor Duque de Ferrara.* Hucuſq; titulus libri. nuncupatio autem talis: *Al iluſtriſſimo y excelentiſſimo ſeñor D. Hercole da Eſte el II. quarto Duque de Ferrara.* Cui ſe ſubſcribunt: *Criados de V. E. Geronymo de Vargas, y Duarte Pinel.* Ad finem operis hæc leguntur: *A gloria y honor de nueſtro Señor ſe acabò la preſente Biblia en lengua Eſpañola, traducida de la verdadera origen Hebraica por muy excelentes letrados, con induſtria y diligencia de Duarte Pinel Portugues, eſtampada en Ferrara à coſta y deſpenſa de Geronymo de Vargas Eſpañol, en 1. de Marzo de MDLIII. en folio.*

Hæc autem Ferrarienſis interpretatio, ſeu potiùs editio, recocta fuit Amſtelodami, non jam Chriſtianorum operâ, ut contigiſſe illi credimus, ſed Hebræorum, ut conſtat ex notato ibi mundi anno, ut Hebręi ſolent: *A honra y gloria de Dios fue reformada à quinze de Sebath* MMMMMCCCXC. Editio autem facta fuit in domo Gillis Jooſt Amſtelodami anno MMMMMCDXVI. Hanc verò interpretationem hîc poſuimus inter opera anonymorum qui ante annum MD. vixere: ſtylus enim ſapit majorem adhuc duorum ſęculorum antiquitatem; eaque utiliſſima eſt iis, quibus hujuſmodi verſionibus uti licet, ad exquirendos literales Bibliorum ſenſus, & conſerendum cum antiqua illa præſentem Hiſpanię noſtrę linguam, atque ejus vocabula.

ANONYMUS ſcripſit *Hiſtoriam Hiſpanicarum rerum ab Ranimiro I. uſque ad Ferdinandum III. Caſtellæ Regem*. quę fuit in bibliotheca D. Joannis Ferdinandi à Velaſco Caſtellę Comeſtabilis, eruditi viri, Medinę de Pomar oppidi ſuę ditionis ab eo reperta inter libros ibi à magno illo deceſſore ejus Petro Comite de Haro, qui ſub Joanne II. Rege vixit, relictos. Scriptamque exſtare hanc hiſtoriam in membranis, antiquatâ jam hodie ſermonis Caſtellani formâ, quę ante trecentos annos vulgaris forſan fuerat, Petrus Mantuanus, dicti Joannis Ferdinandi à Velaſco Caſtellę Comeſtabilis domeſticus, vir apprimè hiſtoriarum noſtrarum peritus, in *Advertentiis* (ut vocat) ſive *Animadverſionibus ad Joannis Marianæ hiſtoriam* annotatum reliquit pag. 142. & 152. Ad hanc fortè reſpexit Joannes de Pineda Jeſuita, docens exſtare eam penes Marchionem de Tariſa (altero ſcilicet exemplo) in *Memoriali pro Rege Ferdinando III. Sancto*. Ne tamen hoc ſileam, titulum ineſſe ei monet, *De las antiguedades de Eſpaña*; pertingereque uſque ad nuper laudatum S. Regem.

ANONYMUS alius ſcripſit aliam *Hiſtoriam Regum Caſtellæ*, ſive auctor ejus fuerit Martinus Fernandez Bonifaz notarius, quam vidit inter libros ejuſdem Comitis de Haro Petrus idem Mantuanus jam laudatus ubi proximè pag. 142. & 152. teſtimonium inde adducens pro primogenitura Berengariæ Reginę, Ferdinandi III. Sancti genitricis. Libri titulus: *Libro eſcrito por Martin Fernandez Bonifaz notario para el Conde de Haro D. Pedro de Velaſco. Acabóſe de eſcrivir à 16. dias de Febrero año de MCCCCXXXII.*

ANONYMUS ſcripſit Chronicon hoc titulo: *Relacion de la deſcendencia de los inclitos Reyes de Navarra.* tempore nimirum Joannis Labretani & Catharinæ Fuxiæ. quod Arnaldus Oihenartus *Notitiæ Waſconiæ* lib. 2. cap. 3. pag. 96. laudat.

ANONYMUS auctor eſt cujuſdam alius *Chronici Navarræ Regum, quos prætermiſit Rodericus Toletanus*. forſan Theobaldi Regis. Vidit idem Oihenartus, meminitque lib. 2. cap. 11. pag. 235. & 236. qui laudatum ſe legiſſe ait à Didaco Ramirezio Avalos de la Piſcina in *Hiſtoria* ſua *Navarrenſis regni*, atque idem ſibi cum eo videri, quod Theobaldi Regis nomine (patris, aut filii, ſimiliter appellatorum) juſſúve conſcriptum, Garibajus laudat lib. 21. cap. 1. quantumvis nunquam ſibi viſum, atque item auctor cujuſdam *Recopilationis rerum Ipuſcoæ provinciæ* vulgaris linguæ Caſtellanæ.

ANONYMI eſt aliud ab hoc diverſum Chronicon, ſeu *Series Navarræ Regum*, ab Enecone Ariſta ad Sancium uſque Garſiæ filium, Sancii majoris nepotem, contenta in codice MS. Legerenſis monaſterii, quo Regulæ S. Benedicti continentur, quo uſum ſe ait idem Oihenartus eodem cap. pag. 235.

ANONYMUS Benedictinus monachus in monaſterio *S. Dominici de Silos* hiſtoriam ſcripſit *De Regibus Aſturiarum & Legionis à Pelagio uſque ad Alphonſum VI.* Eſt inter libros MSS. excellentiſſimæ Comitiſſæ de Villa-umbroſa, qui fuerunt D. Petri de Guzman ejus conjugis, magni Caſtellę ſenatus Pręſidis. Sed de hoc auctore & opere, quod *Chronicon Exilienſe* audit, alibi diximus.

ANONYMUS vertit ex Latino in Hiſpanum ſermonem *La Cronica de los quatro Imperios, compueſta en Latin por Martino Polono.* Exſtat MS. inter libros ejuſdem excellentiſſimę Comitiſſę.

ANONYMUS *Toletanus*, *Philoſophus* nuncupa-

cupatus, subministravit ei, qui *Chimicorum librorum theatrum compilavit*, nonnullum hujus argumenti scriptum, quod ab ejus ipsius initio *Desiderabile desiderium* appellatum, seu *Rosarium philosophorum*, *compilatum à Toletano Philosopho*, in hujus systematis tertio volumine nunc legitur.

ANONYMUS, nescio quis, Hispanum dedit opus, *Arbol de las batallas* appellatum; ex Gallico, ut putamus, Honorati Bonnet Cabillonensis Prioris: qui liber exstat Gallicus, fuitque in bibliotheca Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani, Labbeo teste in *Nova bibliotheca manuscripta* inter libros dicti antistitis codice 60. in quo notatur scriptum fuisse ab auctore tempore schismatis inter Clementem VII. & Urbanum VI. dicatumque Carolo Regi VI. Francorum. Sed de hoc opere diximus in *Didaco de Valera*.

ANONYMUS scripsit *Chronicon monasterii S.Victoriani* in Aragoniæ regno, quo usus fuit ad conscribendam Hispaniæ historiam adhuc ineditam Laurentius de Padilla, ut ipse in vestibulo ejus docet.

ANONYMUS, ejusdem Padillæ testimonio monachus forsan Benedictinus, scripsit *Chronicon monasterii S. Salvatoris de Oña* nuncupati in Castella veteri.

ANONYMUS alius, ejusdem etiam Padillæ testimonio scripsit *Chronicon monasterii de la Oliva ordinis Cisterciensis* in regno Navarræ, ubi plura de hujus regni Regibus.

ANONYMUS scripsit quandam *Hispanarum rerum historiam*, quæ fuit penes Marchionem Veleziorum (D. Petrum forsan heroëm illustrem à Consilio Status Philippo II. Regi) ajente eodem Padilla, qui eâ se usum ait.

ANONYMUS scripsit ab hac diversam *Hispanicarum rerum historiam*, quæ olim fuit Ferdinandi Didaci à Toleto, Referendarii Joannis Regis Castellæ II. uti refert ibidem Laurentius Padilla.

ANONYMUS cognominatus OCHOA DE SALAZAR scripsit adhuc aliam *De Hispaniæ rebus* historiam, quam etiam se vidisse & in usu habuisse, monuit lectores suos Padilla laudatus.

ANONYMUS auctor est cujusdam historiæ antiquæ MS. *De rebus nostris*, quam asservari in Toletana Ecclesia reliquit scriptum in libro *De descensione Deiparæ virginis ad eandem Ecclesiam*, Franciscus Portocarrero cap.32.

ANONYMUS auctor *Annalium* quorundam, quos *Toletanos* vocant, magnæ est auctoritatis, utpote æqualis ferè rerum, quas literis commisit; dignus omnino publica luce cum aliis hujusmodi adhuc latenribus, quos præire in officinis typographorum aliis nauci operibus æquum esset. Meminit cum laude Alphonsus Fernandez in *Annalibus Placentiæ* urbis lib.1.cap.9.

ANONYMUS alius scripsit *Annales* quosdam *Latinos*, magnæ etiam auctoritatis, ante quadringentos annos scriptos in codice quodam Ecclesiæ Compostellanæ. Exinde adducta quędā verba ad eram MXXXIII. spectantia, cum hoc operis elogio videri possunt in Ambrosii Moralis *Historiæ Hispanæ* libro 10.cap.24. in fine.

ANONYMUS Darocensis Ecclesiæ canonicus in Aragoniæ regno, post veterem alium Cataloniæ civem, qui propriâ gentis linguâ hoc tractavit argumentum, iterum descripsit ipse ac celebravit commentario Hispanico mysterium quod vocant *De los Corporales de Daroca*. cujus mysterii relationem Martinus Viciana in *Historia Valentina*, Petrus Antonius Beuter in *Historia Hispaniæ*, Petrus Medina *De las grandezas de España*, & alii magno numero fecere.

ANONYMUS quidam Castellæ vernaculo sermone scripsit *Regum Portugalliæ historiam*, quâ usus fuit Stephanus Garibajus, eamque laudat lib. 32. *Compendii historialis* cap.1.

ANONYMUS quidam vertit in Hispanicum ex Latino sermone *El Valerio Maximo, de los exemplos memorables*. quem MS. servat excellentissimus Marchio Mondexarensis in amplissima sua bibliotheca cum hac nota: *Este libro de Valerio Maximo escriviò Diego de Lombraña, criado de Alfonso Gonzalez de Leon, contador del Rey, por mandado del dicho Alfonso Gonzalez, en la muy noble ciudad de Sevilla, año del Señor de MCDXXXIV. años*.

ANONYMUS incertus vertit in sermonem vernaculum *Lucani Pharsaliam* soluta oratione, quæ interpretatio servatur MS. apud eundem Marchionem Mondexarensem antiquis characteribus.

ANONYMUS scripsit *Historia de España*, quæ à Pelagii rebus usque ad expugnationem Antiquariensis urbis per Ferdinandum Castellæ Infantem, Aragoniæ deinde Regem, sub Joanne II. res nostræ gentis prosequitur. Incipit: *Empieza en el libro de la historia* &c. Exstat Matriti apud eundem Marchionem Mondexarensem.

ANONYMUS scripsit Annalisticum quoddam opus de Aragoniæ rebus, quod *Anal antiguo de Aragon* magnus Surita vocat, laudans in marginalibus Notis ad codicem, quo usus fuit, MS. historiæ Catalanè scriptæ à Jacobo I. Aragoniæ Rege, quem hodie possidet Marchio S. Clementis Cæsar-augustæ.

ANONYMUS, ut credo, Hispanus, scripsit olim Latinè *Dialogum Ecclesiæ & Synagogæ, sanè pro Ecclesia contra Synagogam*. qui incipit: *Acuite sagittas* &c. Hunc in publicum dedit, cùm fortè fortuna in eum nudo auctoris inscriptum nomine incidisset, Gundisalvus Garsias à S. Maria Cæsar-augustanus civis & advocatus magni nominis sub Ferdinando Rege Catholico, nuncupatum D. Didaco à Mendoza Hispalensi Archiepiscopo, ut in ejus elogio in Bibliothecæ altera parte, quæ priùs edita fuit, dicimus. Locum autem editionis ignoramus,

ramus, quòd inde absit; forma certè in 4°. est. Continetque redargutionem absurditatum Hebraïci libri *Talmud* dicti, & fundamenta probationesque fidei Christianæ ex sacris libris ab Ecclesia productis, audiente & contradicente Synagoga, quas inter dialogum liber continet. Hispanum suspicari me dixi, eò quòd nullum ex SS. Patribus, nisi Isidorum Hispalensem semel atque iterum laudet. Sed audi sis de eo verba Gundisalvi Garsiæ: *Siquidem olim incidi in quoddam opus scriptum haud quidem longum, sed re ipsa magnum & admirabile, sine scriptione ac nomine auctoris. Quæsivi diu ac diligentissimè, à quo editum fuit; nusquam reperi, nec ab aliquo lectum, nec ejusdem exempli alterum codicem.* Possidet exemplum hoc, quod vidimus, Matriti D. Joannes Lucas Cortesius, noster in primis amicus, millies per totum hoc opus, nunquam tamen satis, à nobis laudatus.

ANONYMUM auctorem cujusdam historię, sive, ut vocat, *Chronici*, & quidem antiqui *de Val de Ilzarte*, (loci nomen in quo asservantur) laudat Josephus Moretus Jesuita in *Congressibus apologeticis pro veritate investigationum regni Navarræ*, congressione 4. pag. 122.

ARNOLDUS, sive ARNALDUS, de MORARIA Catalanus, eorum censui adscribi solet, qui in *Consuetudines*, seu leges hujus provinciæ commentati olim sunt.

ARNOLDUS DE PODIO, vulgò DE PUIG, si Catalanus est, ordinis S. Dominici. Hujus nomini adscriptam *Artem prædicandi* ad Hugonem Dertusanum Episcopum directam fuisse in bibliotheca summi viri D. Antonii Augustini Tarraconensis præsulis in membranis annorum CL. legimus in hujus bibliothecæ catalogo.

AYBERTUS, abbas Cisterciensis ordinis in Hispania, scripsisse dicitur opus quoddam *De ejusdem ordinis viris sanctitate illustribus*, maximè Hispanis, si fides habenda est Chrysostomo Henriquez in *Menologio Cisterciensi* ad dies XIII. Septembris XI. Octobris, & I. Novembris, referente Carolo Vischio in *Bibliotheca Cisterciensi*.

B

BERENGARIUS natione Catalanus (ait *Bibliothecæ medicæ* auctor) scripsit *in Avicennam quasdam quæstiones, & in Hippocratem*. Ita & Gesneri *Epitome*.

BERENGARIUS DE NOJA Gallæcus, forsan ex ita dicto oppido, laudatur auctor operis cujusdam ad rem metricam spectantis ab Enneco Lupi à Mendoza Santillanæ Marchione, in prologo *Centiloquii*, illis verbis, quę in Raymundo Vidal inferiùs exscripsimus.

BERNARDUS quidam Hispanus, Prędicatorum ordinis, si credimus Leandro Alberto, sed incertæ ætatis, floruit doctrinâ philosophicâ atque theologicâ, scripsitque quædam opera, quæ ipsa Bernardo Triliæ à Dominicanorum scriptorum laudatoribus tribuuntur, ut videre est apud Antonium Senensem, Altamuram, alios. Admonuimus pridem nos lectores lib. 8. cap. 6. hujus antiquioris partis Bibliothecæ.

BERNARDUS DE CEVA Catalanus scripsit in *Consuetudines* (hę sunt leges) Catalonię, quas *Usaticos* vocant.

BERTRANDUS quidam Hispanus, ut legimus in eadem Gesneri *Epitome*, scripsit *super Clementinas*.

C

CYPRIANUS BENETUS, hoc est, ut credimus, BENEDICTUS, quod Valentinæ gentis linguâ *Benet* efferri solet, scripsisse dicitur librum quendam *De non mutando Paschate*, quem MS. asservari in bibliotheca Medicea Florentiæ, legitur in Theophili Spizelii *De sacris illustrium bibliothecarum arcanis* pag. 93.

D

DIDACI CAMPI-DOCTI *Chronicon* adducit pro se de Alphonsi VIII. tempore loquens, atque ejus insano erga Hebræam quandam amore, Alphonsus de Spina in *Fortalitio fidei* lib. 3. fol. 192. per hæc verba: *Secundum quod legitur in Chronico Didaci Campi-docti*. Quod fanè quò referam nescio, nisi historia significetur Roderici Didaci Cidi appellati, & vulgò *el Campeador* dicti; de quo neque locus, neque magnum operæ pretium est ulteriùs quærendi.

DOMINICUS DE CATALONIA, Dominicanus, scripsisse dicitur *De conceptione Deiparę Virginis*. Fernandez in *Catalogo scriptorum hujus ordinis*.

DOMINICUS, archidiaconus Ecclesiæ Segobiensis, transtulit ex Arabico in Latinum Al-Gazelis Arabis *librum philosophię* editum anno MDVI. cum nota factæ ab eo hujus translationis in Toletana urbe. Vidimus nos in bibliotheca Ferdinandi Colon, quæ nunc ex legato ejus est Hispalensis Ecclesiæ.

DOMINICUS DE S. JOANNE Majoricensis, ordinis S. Mariæ de Mercede, scholasticus, ut dicitur, Salmanticensis Ecclesiæ, & Parisiensis academiæ professor, scripsit, si Vincentio Muto vol. 2. lib. 11. cap. 9. *Historiæ Balearis* credimus, *super Aristotelem* nescio quid.

DOMINICUS SEMINIVERBIUS, cum *Hispani* compellatione, adducitur à Petro de Alva in *Militia Conceptionis*, quasi auctor libri *Viola animæ* appellati, formâ dialogi inter Raymundum Sebundium & Dominicum Seminiverbium, *De hominis natura, propter quem omnia facta sunt, ad cognoscendum se, Deum, & homines*. Quem librum ait anno MD. Toleti editum in 4°. Attamen hic Dominicus dialogista est, non utique libri au-

auctor, à Remundo sive Raymundo Sebunde scripti. De quo pluribus egimus in hujus Raymundi mentione.

E

EDUARDUS nescio quis citatur sæpiùs à Ferdinando Mexia in *Nobiliario* suo, quod *verum* appellavit, uti scriptor cujusdam operis *Contra Anriquina* dicti, adversus aliquem forsan Anricum, sive Enricum; de quo altum alibi silentium. Utitur hoc opere Ferdinandus lib. 1. cap. 51. 64. & 73. & lib. 2. cap. 2. & 5.

EMMANUEL BRUDUS Lusitanus Judaicæ sectæ, idemque medicus, nisi fallimur; de quo Salomon filius Virgæ in *Historia Judaica*, quam Latinè Georgius Gentius dedit, Amstelodamique publicavit anno MDCLI. pag. 338. *Modum* (ait) *omnemque rationem, quæ ad immolandam Paschalem victimam pertinerent, admirandâ rerum copiâ descripsit Cl. Manuel Brudo in libro quem, de præceptorum ratione, composuit*. Hæc Salomon. Idem nomen medici cujusdam est, qui *De victus ratione* scripsit *in febribus secundum Hippocratem in genere & sigillatim*, libris tribus, qui prodierunt Venetiis anno MDXXXIV. in 8°. Tiguri apud Gesneros fratres MDLV. in 8°. Venetiis iterum apud Petrum Rubeum MDLIX. Coloniæ apud Petrum Horst, & cum aliis in *Enchiridio rei medicæ* Conradi Gesneri.

F

FERDINANDUS ZAMORENSIS, ignotus aliàs, reliquit in schedis librum, *Summam de ordine judiciario* dictum, qui Castellano, sed valdè antiquo sermone, manu exaratus in folio asservatur in bibliotheca Colonæa Hispalensis almæ Ecclesiæ.

FRANCISCUS DE PACE, Mercenariorum instituto addictus, *Commentariorum in libros Regum*, atque alterius operis, *De regia potestate* quod dicitur, auctor celebratur in *Catalogo virorum illustrium*, hujusce ordinis ab Alphonso de Roxas. Ignoratur quidem, sub quo magistro generali, aut quibus annis vixerit: quod ait Petrus à S. Cæcilio in MS. commentario *De ordinis sui Mercenariorum scriptoribus*.

G

GALAF, Israëlita sive Judæus, Catalanus ex Ilerda urbe (hodie *Lerida*) *vir* in medicis rebus eruditus, scripsit *Antidotarium excellentissimum*, auctor ait *Bibliothecæ medicæ*.

GARSIAM LUPI DE RONCES-VALLES, in eorum albo, qui de Navarrenis rebus quicquam scripsere, laudatum inter alios legimus in congressione 4 (fol. 121.) *Congressionum apologeticarum pro veritate investigationum regni Navarræ*, qui thesaurarium (alicujus ne Ecclesiæ dignitatem, an ob seculare munus gestum?) appellat.

GERARDUS CARMONENSIS, famâ bene notus ob multiplicem Arabicorum operum in Latinum idioma translationem, penè fuit hactenus patriæ suæ Hispaniæ subreptus, cùm Carmonæ urbis Bæticæ provinciæ cum Cremona insubrum Italorum æquivocatio passim vulgoque magis in laudandis Gerardi versionibus, & interprete ipso apud Italos, qui ediderunt, ignoto in notum transformato nomine, prævaluisset.

Qui ergo Gerardus Cremonensis ferè ubique audit, Gerardus Carmonensis est Bæticus è Carmone antiquo, & à Julio Cæsare, Hirtio, Ptolemæo, Strabone, Antonino, & aliis memorato Turdetanorum oppido, quæ nunc *Carmona* urbs est, sex ab Hispali, duabus à Bæti fluvio ad Lævam disparata leucis. Cui errori ab eorum persuasione exterminando, qui urbi favent Italæ nobilissimæ & amplissimæ, satis esse deberet, Gerardum Hispaniæ nostræ nunquam non incolam, Toleti vacâsse Spartæ suæ ornandæ; qua in gente & vicinia Maurorum potiùs quàm in Italia natum eo tempore hominem, cùm nulla ibi Arabicæ linguæ discendæ occasio esset, neque studium peregrinarum rerum doctrinæque valuisset adhuc, Arabicis vertendis libris navâsse operam, vero similius omnino est. Neque aliter conjectari nos Raphaël Maffæus Volaterranus efficiet, quantumvis Gerardi, atque ejus patriæ, non in transcursu & aliud agens, sed in celebrandis Cremonæ urbis rebus, virisque doctrinâ claris, disertè meminerit. *Ornatur insuper* (lib. 4. *Geographiæ* ait) *hæc urbs ingeniis, Marco Furio Bibaculo poëta, Quintilio Varo Virgilii familiari, Gerardo Sabloneta medicinæ theologiæque, tum Chaldæarum Arabicarumque literarum peritissimo, qui Avicennam Rasimque sive Almanzorem convertit*. Quem Gesnerus in *Bibliotheca* exscribens, aliquid ultrà ait ex Volaterrano, quod ille non dixit, *Sublonetam (Sabioneta* est hodie arx munitissima Guzmanorum Stigliani principum) natalem fuisse Gerardi locum in agro Cremonensi, unde ei cognomen: cùm verè is Cremonæ natus, à Subloneta, ut passim solent homines, ab non suis urbibus oppidisve cognominari potuerit. Quamvis non diffitear Volaterranum alio loco (21. nimirum libro) dum claros celebrat in quibusdam artibus, præcipuè in medicina viros, cum Gesnero consentire videri. Joannes quidem Trithemius Gerardum Fulginatem vocavit, à *Fuligno* Umbriæ urbe scilicet, quæ valdè à Cremona distat, nescio unde doctus. Atque ideo prætermisit eum in bibliotheca Umbriæ Jacobillus.

Attamen pro Hispanis ejus natalibus sunt editio Basileensis, omnium aliarum optima, anni MDLVI. ex Hervagiana officina Avicenæ operum ex nostri versione, quæ quidem eum Gerardum Carmonen-

nensem disertè vocat. Garsias item ab Orta Lusitanus medicus in libro jam ex vulgari à Carolo Clusio in Latinum verso *De aromatibus & simplicibus Indiæ*, natum Gerardum in Bætica Hispaniæ non aliis verbis ait. Conspiratque Andreas Alpagus Bellunensis in editione Veneta anni MDLXII. *Avicenæ Canonum*, ubi laudat interpretem Gerardi Carmonensis appellatione, quod quidem à Roderico Caro notatum invenimus ad oram libri sui *Chorographiæ conventûs Hispalensis*, ubi de Carmone agit, quandocumque iteraretur typis, intus accipiendum.

Conveniunt Josephus Scaliger, eoque laudato Vopiscus Fortunatus Plempius in prologo ad suam *Canonis Avicenæ* postremam interpretationem ex Arabico fonte in Latinam linguam, Petrus Daniel Huetius, vir præstantis eruditionis & judicii lib. I. *De interpretatione* pag. 140. ubi de claris interpretibus. Thomas item Reinesius medicus, criticus, & philologus eximiæ famæ lib. I. *Variarum lectionum* cap. II. *ubi Gerardum de Carmona qui ante annos trecentos Toleti vixit ac docuit*, vir scriptorum omnium gentium, omniumque doctrinarum curiosissimus, palam vocat.

Ac certè Toleti eum vixisse, non alibi notum, iidem hi, quibus Cremonensis audit, confitentur. Immo Lindanus, medicorum scriptorum collector, hac una re persuasus duos ex eodem Gerardo fecit, laudans priùs Gerardum Cremonensem, & mox Gerardum Toletanum: necnon & de Abu Becro Rhase loquens, hujus interpretem *Gerardum Toletanum Cremonensem* vocat. Quare nil video cur æquivocatio facillimè contingens de alio in aliud adeò vicini soni nomen, Hispanum virum Arabicè doctum è Maurorum communicatione, Toletanumque consensu omnium civem, à soli natalis possessione, absque magna injuria, deturbare debeat. In hac enim urbe Toletana floruisse & Avicenæ Canones eum vertisse, agnoscunt Simphorianus Camperius, ex eoque Gesnerus in *Bibliotheca*, Plempius, Reinesiusque laudati, & editio antiquissima istius Canonis, Toleti in Hispania factum versionis opus clamat. Cum verò ante CCC. annos absque alia exactiori notitia dicatur is vixisse (error quippe absurdus est in Justi *Chronologia medica*, & in Lindani opere *De scriptis medicis*, vixisse eum circa annum MDLV.) non abs re auctoribus incertæ ætatis eundem immiscuimus. Cujus quidem laudantur opera hæc à Camperio & Gesnero:

Introductorium medicinæ lib. singularis.

Commentarius in viaticum Constantini monachi, nempe Benedictini, cujus idem Gesnerus Lindanusque & alii meminere.

In astronomia verò

Theorica planetarum, ante Georgium Purbachium; cujus discipulus Joannes Regiomontanus peculiari dialogo acerrimè has nostri antiquiores infectatus fuit. Meminit hujusce operis Raphaël Volaterranus lib. 21. *Commentariorum urbanorum* a, sub nomine eodem Gerardi Cremonensis, & Ricciolus in *Almagesto novo*, & *Chronico astronomorum* secundo, in ejus principio edito. a Pag. 493.

Ex Arabico idiomate in Latinum vertit: *Canona medicinæ* prædictum *Avicenæ*. de quo Daniel Huetius ita: *In multis Arabum convertendis voluminibus, sed Avicenæ præsertim, horrido stylo & inculta oratione usus est Gerardus Carmonensis; nec satis emendati codices ei contigerunt; & in pluribus à vero auctoris sensu, propter medicæ artis, & Græcæ linguæ, è qua doctrinam suam Arabes hauserunt, ignorationem, fœdissimè aberravit; in eo tamen laudandus, quòd fideliter & adstrictè quæcumque assecutus est, repræsentavit.* Nec minus ei detrahit Joannes Baptista Montanus, professor Patavinus medicæ artis, in oratione quadam ad discipulos de Avicenæ interpretatione: *Avicena fuit translatus primò* (inquit) *de lingua Arabica in Hebræam, postea in Hispanicam, postremò à quodam Cremonensi fuit traductus in Latinam, qui fuit multum ignarus, & in multis peccavit.*

Audiamus tamen Plempium Arabicè doctissimum, atque adeò idoneiorem testem, qui relatæ huic Montani censuræ subjecit, eum taxans, quòd crediderit factam à Gerardo Carmonensi fuisse hanc versionem ex Hispano in Latinum sermonem, non verò ex Arabico. *Quod verò ait illum* (idem prosequitur) *in multis peccasse, convenit in illum quod in nos omnes, qui homines sumus. At eum multùm ignarum fuisse, multum fallitur. Quàm in medicina nostra excelluerit haud scio. Verùm Arabismi fuisse gnarissimum, patet omnibus ejus linguæ peritis. Versio ejus fidelis est, non vivida: at eo sæculo sic loquebantur.* Hæc Plempius pro nostro. Quod dictum velim de aliis ejus versionibus, quæ sequuntur:

Cantica quoque *Avicenæ*.

De viribus cordis.

De removendis nocumentis in regimine sanitatis.

De syrupo acetoso. Omnia ejusdem Avicenæ. Quæ simul cum *Canone* prodierunt ex castigatione Andreæ Alpagi Bellunensis, atque idem cum annotationibus Joannis Costæi, & Joannis Paulli Mongii sæpiùs, ut apud Lindanum legitur de Avicena loquentem.

Præterea:

Rhasis Practicam, & *Antidotarium*.

Rhasis item opus, quod *Liber divisionum* audit, quo describuntur curationes omne genus morborum, de quo Gesnerus in *Rhasi*.

Item in *librum* ejusdem Rhasis *ad Almansorem* nonnullas additiones interlineares adjecisse Lindanus ait, quę exstant in *operum parvorum Rhasis* editione Lugdunensi Vincentii à Portonariis MDX. in 8°. Idem Lindanus in *Gerardo Toletano* ait *Opera Abu Becri Rhasis* Latinitate à nostro donata, Basileę apud Henricum Petrum anno MDXLIV. prodiisse.

Li-

Librum *Alben Gnefit philosophi De facultatibus medicinarum* & *ciborum*, Argentorati MDXXXI. in folio, cum Tacuini sanitatis, ut Gesnerus ait in *Alben Gnefit*.

Commentarios quosdam anonymi Arabis in *Prognostica Hippocratis*, qui cum Joannicio (scripsit is *Introductionem in artem parvam Galeni*) olim excusi sunt chartis 14. in folio, cum veteri simul ac nova textûs *Prognosticorum* translatione; *licèt nonnulli dicant* (Gesnerus inquit) *bis etiam Commentarios fuisse traductos, in quibus multoties ponuntur multa dicta Humain, qui aliquot opera Hippocratis & Galeni Commentariis suis explicuit.*

Artem quoque *parvam Galeni* eum interpretatum fuisse ait Gesnerus. quod intelligo ex Arabica Galeni versione in Latinam linguam. Hęc ille de Carmonensis interpretationibus; sed adjungunt alii alias.

Lindanus ait

Jani Damasceni librorum VII. *Therapeuticæ metaphrasin* à Gerardo nostro confectam exstare Venetiis editam: quem Janum Damascenum, si à Lindano quęras, nunquam certè noveris; nam & Janum monachum Damascenum laudat presbyterum, cognomento Manzurem, Decapolitanum, hujus *Therapeuticæ* auctorem; & alibi Joannem Damascenum monachum Benedictinum, filium Mesuë filii Hamach, filii Heli, filii Abdelę Regis Damasci, qui, sive Grecè sive Arabicè, scripsit circa annum MCLVIII. aut, secundum alios, MCLV. Cui postremo, licèt non Lindanus, libens ego tribuerim *Therapeuticam* opus medicum Arabum proli & Arabico scriptori, ex qua lingua Carmonensis transtulerit, quam Joanni Damasceno, celebratissimo illi cognomento Manzuri, & Chrysorrhoæ, octavi sęculi scriptori, neque medico, neque Arabicâ linguâ uso, quod Gesnerus facit. Prodiit autem *Therapeutica* hæc *methodus*, sive *curandi artis* libri VII. partim Albano Torino Vitodurano paraphraste, partim *Gerardo Iatro* (ita pro *medico* Lindanus protulit) Cremonensi metaphraste, Basileæ apud Henricum Petrum MDXLIII. in folio.

Albu Carsæ, seu *Albu Carissi*, *Chirurgiam*, aliàs *medendi methodum*, Latinam ex Arabica Henricus Petrus anno MDXLV. cum aliis Basileæ publicavit absque nota Latini interpretis. Quem Gerardum esse nostrum constat ex codice MS. bibliothecę Regis Galliarum, teste Labbeo in *Nova bibliotheca manuscripta* pag. 50.

Geberum De astronomia libris novem docentem Latinitate donavit, ut nos docet Ricciolus in *Chronico astronomorum* &c. *Almagesti* sui *novi* primo volumine. Vide in *Gebero* lib. 11. cap. 3. *Bibliothecæ*.

Kiranni, seu *Kiranidæ*, *Regis Persarum*, *opus*, *sive librum physicalium virtutum; compassionum & curationum*. hoc est, de magia naturali, Gerardum Carmonensem vertisse in Latinum, Gaspar Barthius lib. 11. *Adversariorum* cap. 16. sive 17. opinatus fuit. Sed præterquam quòd hunc librum *Kiranida*, non ab auctore hujus nominis, sed à *caraa* verbo Arabico, quod *colligere* est, vocatum fuerit, observavit; haud rectè dici ejus fuisse Latinum interpretem Gerardum Carmonensem Thomas Reinesius docuit lib. 1. *Variar. lection.* cap. 11.

GOFREDUS DE FEXA Benedictinus monachus scripsisse dicitur *De re metrica*, laudatum opus ab Enneco Lupi à Mendoza Santillanæ Marchione in prologo ad *Centiloquium*, cujus verba dedimus in *Raymundo Vidal* hujusmet syllabi auctorum incertæ ætatis.

GOMESANUS, si Arnoldo Uuioni aures damus, in *Ligno vitæ* lib. 2. cap. 68. unde profecit Possevinus, verba ejus referens in *Apparatu* suo, *monachus & abbas Ildensis monasterii, scripsit Vitam S. Ildephonsi, cujus compendium, ut licet inde colligere, excusum est cum eodem Ildephonso De laudibus Beatæ Virginis* Basileę MDLVII. in 8°. Error tamen est Uuionis, exscriptorem libri istius *De virginitate Deiparæ Virginis*, sive *De laudibus* (quomodo in Basileensi illa editione nuncupatus prodiit) pro scriptore *Vitæ S. Ildephonsi* accipientis.

Diximus de Gomesano hoc & transcripto ab eo Ildephonsi libro in ejusdem S. Doctoris elogio lib. 5. cap. 6. Nec aliò nos avertere debet Labbeus in Bibliothecę manuscriptorum librorum supplemento VII. pag. 286. quod est ex bibliotheca regia Parisiensi deductum, dum codice 1183. unà cum Tychonis quibusdam operibus reperiri ait *S. Ildephonsi Vitam scriptoribus Juliano & Helladio Episc. Toletanis, Gomesani presbyteri Pampilonensis in laudem B. Virginis Mariæ, de Nativitate B. Virginis Mariæ, in B. Virginem sermonem incerti auctoris*. Quam collectionem ex eodem codice regio totidem verbis laudat in *Arcanis bibliothecarum* retectis Theophilus Spizelius. Referri enim Gomesani hæc memoria eò debet, non ut auctor sit ejus libri *De laudibus beatæ Virginis*, sed exscriptor tantùm, ut aliàs diximus: forteque idem is Regis Christianissimi codex est quem Gomesani dono accepit Pampilone transiens à Compostellana peregrinatione in Aquitaniam Gothiscalchus Episcopus. quod in eodem codice notari, dum de hoc libro in rebus Ildephonsi lib. 5. cap. 6. tractaremus, animadversum à nobis fuit.

GUILIELMUS DOMINICI (vulgò *Domenge*, aut *Domenec*) Catalanus, scripsisse dicitur in *Usaticos*, sive leges Barcinonensis urbis. Cum aliis MS. exstabat in bibliotheca summi viri Antonii Augustini.

GUNDISALVUS quidam Hispanus (auctore Joanne Walensi Franciscano in *Florilegio de vita & dictis illustrium philosophorum* à Wadingo edito Romæ MDCLV. in 8°.) scripsit *De ortu scientiarum*, atque

item librum *De anima*. Priores lucubrationes laudat parte 1.cap.1.his verbis: *Huic ultimæ diffinitioni addit Gundiſalvus in libro De ortu ſcientiarum* &c. ubi ad oram Wadingus: *Hiſpanus*, *ſcripſit De diviſione philoſophiæ*, *De anima*, *& libros De cœlo & mundo* (Ariſtotelis nempe) *ex lingua Arabica tranſtulit in Latinum*. Et hunc *De anima* librum idem Walenſis laudat in *Breviloquio De ſapientia Sanctorum* cap.1. quod ad calcem *Florilegii* editum fuit. Vivebat autem Joannes hic Walenſis circa annum MCCC.

H

HIERONYMUS à S.BERNARDO, Ciſtercienſis monachus domûs Alcobaziæ in Luſitania, Sancio Regi (primóne an ſecundo non dicitur) dicavit opus à ſe Pariſiis habitum & in vulgarem linguam translatum, *De una pratica que hum Rey de Perſia tene com hum . . . . . .* Prodiit Uliſſippone anno MDLX. Gaſpar Cardoſus auctor eſt in ſchedis.

HIERONYMUS, abbas Ciſtercienſis monaſterii de *Benifazà*, ſcripſiſſe dicitur: *Arbol de la decendencia de los Reyes de Aragon*: atque etiam *De rebus Joannis Aragoniæ Regis* (II. ut credimus) auctore Barnaba de Mont-albo *Chronici Ciſtercienſis* parte 1.lib.2.cap.33.

HUGO Catalanus, notus dumtaxat nobis ex teſtimonio Joannis de Turre-cremata, S. R. E. Cardinalis ſapientiſſimi, in prœmio ſuper *Decretum Gratiani* pag. 11. ubi eos omnes enarrans, qui ſanctorum Patrum canones & decreta in unum collegerunt, poſt laudatos Iſidorum & Ivonem Carnotenſem, ita ait: *Tertius fuit quidam Hugo nominatus, natione Catalanus, qui opus præfatum D. Ivonis* (eò quòd etiam *non parvæ quantitatis eſſet*) *abbreviavit*, *& libellum quendam portatilem dicitur compoſuiſſe*, *qui appellatur Summa Decretorum Ivonis*. Hæc Turre-cremata.

Incidimus poſt hæc annotata in editionẽ novam Antonii Auguſtini *De emendatione Gratiani*, ab Stephano Baluzio procuratam, in cujus præfatione ad lectorem ita legimus de Ivone & Hugone [a]: *Sequitur Ivo Carnotenſis Epiſcopus*, *vir magni in Eccleſia Dei nominis*, *cujus lucubrationes in omnibus verſantur. Exſtant duo canonum aut Decretorum collectiones antiquæ huic auctori tributæ*, *quarum una* Decretum Ivonis *vulgò vocatur*, *altera* Pannormia: *utraque eandem habens præfationem. Quo factum eſt ut viri docti putaverint* Pannormiam *non eſſe Ivonis opus*, *ſed Hugonis cujuſdam Catalanenſis*, *aut alterius incerti ſcriptoris*, *qui decretum in compendium redegerit*, *fundum ſuæ illius opinionis accipientes ex Vincentio Bellovacenſi*, *qui libro* 25 Speculi hiſtorialis *cap.*84 *teſtatur Hugonem illum ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem compoſuiſſe*, *qui* Summa decretorum Ivonis *appellatur*. *Sed opus illud diverſum fuiſſe à* Pannormia, *vel hæc res indicio eſt*, *quòd* Summa decretorum Ivonis *inſcriptum fuerit*, *cùm* Pannormia *in vetuſtiſſimo codice S. Victoris Pariſienſis*, *in duobus etiam codicibus mss. monaſterii S. Albini Andegavenſis*, *denique in omnibus editionibus* Pannormia *ſemper vocetur*, *nunquam* Summa decretorum. *Præterea vir iſtarum rerum peritiſſimus Antonius Auguſtinus ex eo collegit Pannormiam non eſſe* epitomen decretorum Ivonis, *quòd pauca ſint, in quibus hæ duæ collectiones inter ſe conveniant. Cæterũ aut valdè me fallit amor ſuſcepti negotii*, *aut deprehendiſſe mihi videor Victorinum* Pannormiæ *codicem multò antiquiorem eſſe Hugone Catalanenſi*, *quiſquis tandem homo ille fuerit*. *Unde certò colligi poteſt Vincentium de quodam alio opere loqui*, *quo caremus abſque aliquo bonarum literarum diſpendio*. Hactenus Baluzius. At cùm tam is quàm Turre-cremata Catalanum, vel Catalanenſem vocârint, non Catalauenſem, aut Catelaunenſem, quomodo vocatam gentem Gallicam, ubi *Châlons* hodierna nunc eſt, olim poſitam ex hiſtoricis & geographis conſtat [b], jure nos hunc hominem ad Catalanos noſtros referimus.

[a] Num. 10.

[b] Vide notitiam Galliarum Hadriani Valeſii.

I

JACOBUS Catalanus ordinis Prædicatorum ſcripſiſſe dicitur *De conceptione Virginis Mariæ*.

JACOBUS CONESA, protonotarius regius (ait Petrus Auguſtinus Morlà in *Emporii* ſui *Juris* prœmio, ubi Valentinos ſcriptores laudat, dum ad hiſtoricos accedit) *Græcorum & Trojanorum res geſtas*, *atque Ilii everſionem*, *patrio ſermone Valentino*, *nec ſine ingenii induſtria & arte*, *donavit*. Guidonis de Columna Siculi forſan interpres, qui Latinam, quæ in manibus eſt, & in varias Europæ linguas converſa, *De rebus Trojanis hiſtoriam*, decimo tertio ſæculo ex Darete Phrygio ac Dicti Cretenſi, fabuloſis auctoribus, continuavit.

JACOBUS LUPI REBELLO Luſitanus ſcripſit *Fructus ſacramenti pœnitentiæ*. forſan ſæculi XV. auctor; nam editum opus Pariſiis anno MCDLXXXIX. necnon & MDII. in 4°. Cardoſus ait in ſchedis.

JACOBI tres, DE MONELLIS, CARDONI, & MATTHÆI, Catalani juriſconſulti, ſcripſiſſe dicuntur in *Conſuetudines*, ſive (ut vocant) *Uſaticos pincipatûs Cataloniæ*.

JOANNES, converſus ex Judæo, in *Concordia legum* forſan Hiſpanus, laudatur ab Alphonſo Spina in *Fortalitio fidei* lib. 3. pag. 109.

JOANNES ANDREAS, ex Machometana ſecta converſus ad Chriſtianam fidem, Valentinus, ut credimus, & olim, dum in cæcitate ſua cæcorum dux maneret, civitatis Setabenſis (*Xativa* nunc) Alphaquinus, ita enim vocant falſæ religionis magiſtrum, cuſtodemque ſeu miniſtrum. Illuminatus hic mentem veræ pietatis radio, inſurrexit ala-

alacer in suos olim consecraneos scribens *Anti-Alcorani* opus multis libris constans, quorum duodecimum laudat cum ejus auctore, & his ejus notis Joannes Martinus Figuerola, vir Arabicè doctus, in eo libro, quem ineditum reliquit Hispanâ linguâ: *Contra Alcorani* ejusdem *errores* lib. 1. cap. 18. per hęc verba, quę ex vernaculis Latina reddidimus: *Et ea quæ à nobis dicentur, ex quodam libro erunt, quem Joannes Andreas, Alphaquinus olim de Xativa, conscripsit. Ei quidem quod experientiâ vigeret, præsumitur, ac verum planè est, quod & ego expertus sum, certa eum ex Alcorano adducere.*

Meminit quoque Joannis Andreæ hujusque ejusdem operis Lupus de Obregon, Abulensis urbis parochus, in *Confutationis Alcorani vernaculæ proœmio*, his verbis Latinè versis: *Declarare sc nempe ait quæ in Corano sunt contradictiones ex ipsis Machometanorum libris, necnon & eo quem confecit Joannes Andreas olim Maurus, posteaque gratiâ Dei Christianus, & canonicus Granatensis Ecclesiæ.* Laudatur item ab Hieronymo Pujades lib. 6. *Historiæ Catalanæ*, gentis linguâ scriptę, cap. 64.

Joannes Andreas alius canonicus Ecclesiæ Ilerdensis, quem uti metaphysicæ Christianæ scriptorem laudat in prologo secundo *Chronici* sui *Aragonensis regni* Gaubertus Fabricius de Vagad, catholicorum Regum temporis auctor. Quem Joannem Andream à Fabricio memoratum ignotũ sibi esse hominem ait Lanuza in *Commentariis rerum Aragonensium*, dum scriptores hujus regni sedulâ operâ collegisset.

Joannis Aragonensis *Iter rectum viatorum* MS. in 4°. Patavii in bibliotheca exstabat Nicolai Trivisani, teste Philippo Thomasino *Bibliothecæ Patavinæ* auctore.

Joannes Hispanus laudatur à Joanne Andrea in prologo *Speculi*, uti auctor cujusdam *Lecturæ super decretalibus*; cujus & Labbeus meminit in *Bibliothecæ manuscriptæ* pag. 51. Idem an alius ab eo, qui cum titulo Hispani diaconi scripsit opus *Florem decretorum* dictum, quod in *Indice scriptorum Juris* inter eos auctores refertur, qui super Decreto scripsere, & quidem hoc, ut ibi innuitur, typis editum.

Fr. Joannes Euangelista de Corduba, ordinis Minorum, intactus Lucæ Wadingo inter scriptores hujus familiæ, scripsisse dicitur *De conceptione Deiparæ Virginis* librum quendam, cujus Bernardinus de Bustis in *Mariali* sermone 9. *De Conceptione* meminit. Laudant Maraccius in *Catalogo Mariano* ad ann. MCDLIX. & in *Bibliotheca Mariana* fol. 721. & Alva in *Militia conceptionis*. Bernardinus autem de Bustis florebat circa annum MD.

Joannes Gundisalvi, qui magister audit, & Salomon quidam interpretati sunt (quo tempore incertum) ex Arabico in sermonem Latinum *Avicenæ physicorum libros quatuor*. Quam quidem interpretationem in Vaticana bibliotheca inter libros, qui Ducis Urbini fuerunt, asservari MS. in fol. membranaceo testis est rever. Pater D. Julius Bartholoccius amicus noster in *Magnæ bibliothecæ Rabbinicæ* primo volumine, verbo *Avicena*.

Joannes Hispalensis, sive à patria, sive cognomine ita vulgò laudatus, incertus ęvi, non autem doctrinæ astronomicę, pariumque aliarum mathematicarum, necnon & Arabicè doctus, addictusque ferè semper vertendis ex hacce in Latinam linguam principibus veterum astronomorum & astrologorum libris. At verò ante omnia hunc alium diversumque fuisse nullus dubito à Joanne Hispalensi Archiepiscopo, qui, ut Rodericus Toletanus ait lib. 3. cap 4. *Sacras scripturas catholicis expositionibus declaravit, quas in formationem posterorum Arabicè conscriptas reliquit.* Et vulgò creditur versionem quandam Arabicam sacrorum Bibliorum confecisse; cujus nos meminimus supra lib. 6. cap. 9.

Nunc ad nostri Joannis junioris opera deveniendo,

Epitomen totius astrologiæ Joachimus Hellerus Leuco-petræus vulgavit Norimbergę anno MDXLVIII. in 4°. qui Hellerus plures apud se habere Arabicorum scriptorum libros, in Latinum ab eodem Joanne conversos, eumque ante quadringentos annos floruisse, asserit.

Joannis Hispalensis & Guidonis Donati astronomia, cum Reinardi collectionibus, exstat in Regis Galliarum bibliotheca, teste Labbeo in *Bibliotheca manuscripta* pag. 48.

Algorismus ibidem servatur codice 1089. Labbeus pag. 47.

Chiromantia ejusdem ex Arabico in Latinum conversa exstat in bibliotheca Joannis Francisci Lauredani Venetiis, quod Thomasinus refert *Bibliothecæ Venetæ manuscriptæ* pag. 96.

Liber Mesaluch, de receptione, versus à Joanne Hispalensi de Arabico in Latinum visitur in bibliothecę Vaticanę codice 2226.

Alcabitius cum commentario Joannis Hispalensis, ibidem codice 4077. MS. uti habet nota codici affixa. Verus tamen titulus ex editione hujus operis desumendus est, scilicet: *Libellus isagogicus Abdilazi, id est, servi gloriosi Dei, qui dicitur Alcabitius, ad magisterium judiciorum astrorum, interpretatus à Joanne Hispalensi.* quem pręfefert editio Veneta Nardi Radolt Augustani anno MCDLXXXI. in 8°. Exstat cum aliis hęc editio Alcabitii in ejusdem bibliothecę Vaticanę cod. 8392. typis edita. Atque idem videtur opus cum eo, quod in bibliotheca Regis Galliarum codice 1805. MS. sic inscribitur: *Joannis Hispalensis isagoge de judiciis astrorum.* Et inter codices MSS. Renati Moreau Parisini medici, *Joan. Hispalensis isagoge astrologica*, ut Labbeus refert ejusdem *Bibliothecæ manuscriptę* par. 4. sect. 4. & pag. 218. Prodiit quoque Alcabitius ex nostri interpretatione Venetiis iterum MCDXCI. tertioque MDXXI. cum expo-

ſitione Joannis de Saxonia ex emendatione Antonii de Fontis Tarviſini medici, ut Voſſius obſervavit *De ſcientiis mathematicis* cap.64.§.1. Item Lugduni apud Guilielmum Huyon in 4°.

Alſarganum quoque convertiſſe Joannem Hiſpalenſem, auctores ſunt Jacobus Chriſtmannus & Joſephus Blancanus, quos laudat Voſſius *De ſcientiis mathematicis* cap. 35. §. 18. *Elementa* hujus auctoris *aſtronomica* intelligo, quæ habemus in editione Amſtelodamenſi ex Jacobi Golii verſione. Notatum verò apud Voſſium legitur, circa annum MCXLII. hanc verſionem Joannem feciſſe; quod vellem non per tranſennam dictum. Quod ipſum dico de Joanne Baptiſta Ricciolo, qui in *Chronico mathematicorum* hanc eandem ætatem Joanni Hiſpalenſi aſſignavit: ſed citiſſimè huc, & (ut in proverbio eſt) tanquam canis ad Nilum, accedens.

Mercurii Triſmegiſti operum interpretem eundem hunc noſtrum laudat Michaël de Medina vir eruditiſſimus lib.2. *De recta in Deum fide* cap.2. dum eos enarrat, qui de chiromantia & phyſiognomia ſcripſerunt. Neſcio tamen cui credens animadverterit Joannem id opus à ſe traductum ex Arabico Eliſabethæ Reginæ catholicæ (quæ anno obiit MDIV.) dedicâſſe. Cùm Joannes Picus Mirandulanus hujuſmet ęvi, quo Eliſabetha vixit, ſcriptor celebris, ad Alphonſi X. Caſtellæ Regis tempus ætatem Joannis refert, ut videre eſt in cap. ultimo lib.12. *in aſtrologiam*, ubi ait, in gratiam Alphonſi multa monumenta aſtronomica Græcorum & Arabum, per Joannem pręſertim Hiſpalenſem, & Michaëlem Schotum, ſcriptorem nullius ponderis, multæ verò ſuperſtitionis, ad nos perveniſſe.

Necnon clariſſimè ad ſuperiorem, quam ut Medina ſcopum feriret, ætatem pertinuiſſe eum evincit, quòd Joannes Ægidius Zamorenſis, Sanctii Regis ultimi tempore ſcribens, hoc eſt, decimo quarto ſæculo, in quibuſdam hiſtoriæ fragmentis jam ejus meminerit. *In arte magica, & mathematica, & ſcientia aſtrologiæ philoſophis Hiſpanis peritiores pauciſſimi* (ait) *exſtiterunt, ſicut declarant libri & tabulæ Toletanæ, ubi ferè omnes libri philoſophici ſunt tranſlati de Arabico in Latinum. Joannes igitur Hiſpalenſis, & alii quamplures Hiſpali & Murciæ in aſtrologia peritiſſimi exſtiterunt.* Hæc Zamorenſis. Nil ergo invenire eſt, quo pedem ſiſtamus de Joannis ætate curioſi.

FR. JOANNES MANCIPE, Auguſtinianus, cœnobii de *Loret*, quod duobus paſſuum millibus ab Oſca regni Aragonię urbe diſſitum eſt, præfectus, cuidam libro ſuo *Lumen domûs* inſcripſit, quem Joannes Franciſcus Andreas Uſtarrozius laudat in opere *De patria S. Laurentii* pag.210.

JOANNES DE PASTRANA, grammaticus, primus fortè gentem noſtram docuit grammaticam artem, quo & aliis rudibus adhuc magiſtris aliarum gentium utebamur. Omnes enim Paſtranæ grammaticam regnâſſe in ſcholis noſtris, antequam ex Italia reverſus ex Bononienſi univerſitate ac S. Clementis Hiſpanorum collegio ſuam artem Hiſpanię invexiſſet Antonius Nebriſſenſis, in ore habent, ignari tamen, quiſnam homo, aut cujus temporis: quod ex ſcriptis ejus hauriri poſſe nullus dubito. Interim tamen, dum rariſſimum librum non videmus, in bibliotheca Hiſpalenſis almæ Eccleſiæ aſſervatur *Joannis Paſtranæ commentum grammaticæ* MS. in 4°. charactere ſatis antiquo.

JOANNES DE QUADROS ſcriptor Aragonenſis hiſtoriæ, nobis ex quo D. Laurentius de Padilla uſum ſe eo refert inter eos auctores, quos ad ſcribendę hiſtorię ſuę munus ſub oculis habuit.

JOANNES RAYMUNDUS DE TRASMIERA ſcripſit *Triunfo Raymundino, ò coronacion, en que ſe celebran las antiguedades y linages de la ciudad de Salamanca*. Ineditus manet hactenus, & aſſervatur tum alibi, tum in bibliotheca excellentiſſimę Comitiſſæ Villumbroſanæ ae de Quintana manu exaratus.

JOANNEM SANCHEZ laudatum vidimus tanquam veteris *Chronici Catalonię* ſcriptorem. Planè eo uſus fuit D. Philadelphus Muñoz in *Theatri genealogici regni Sicilię* tom.1. in familia *Caſtelles* pag. 247. ubi ad libri oram legitur: *D. Giovan de Sanchez nella vita del Rè Pietro I.* Necnon & alicubi legimus iterum ab eodem Muñozio laudari tertio volumine ejuſdem operis in familia *Segona*, quod forſan ineditum adhuc manet. In ſchedis familiæ de *Rocabertì* antiquiſſimæ, hujus quoque mentionem factam legiſſe nos memoria ſuppetit.

JOANNES SENIOR Toletanus, non aliunde notus mihi, quàm quòd Michaël Medina lib.1. *De recta in Deum fide* cap.4. ejus inter eos meminerit, qui Judæorum cęcitatem ſcriptis commentariis diſpellere conati ſunt.

JOANNES VENTALLOL Majoricenſis, de geometria quicquam ſcripſit, quod Vincentius Mut refert tom.2. *Hiſtoriæ Balearicæ* lib.8. cap. 6.

JOANNES VESPERTILIO (niſi error ſit in nomine, & ſubrogandus ſit Martinus de Alpartilio, de quo egimus lib. X. cap. I.) ut hiſtoriæ generalis Catalonię auctor laudatur in ſchedis *familiæ Rocabertinæ*.

JORDANUS Dominicanus (Luſitanum, atque Eborenſem fuiſſe Luſitani credunt) ſcripſit *Certamen glorioſum in oriente FF. Thomæ de Tolentino, Jacobi de Padua, Demetrii de Tiſolio, ac Petri Senenſis, martyrum Franciſcanorum* anno MCCCXXI. martyr & ipſe poſtea, de quo Georgius Cardoſus agit tomo 2. *Hagiologii Luſitani* fol.307. in *commentario*.

L

LUDOVICUS DE ANGULO natione Hiſpanus, ſcripſit librum quendam *De imagine*

gine hujus mundi; ad solatium sereniſſimi principis & domini ſui excellentiſſimi Razmerii Dei gratiâ Regis Siciliæ. Exſtat MS. penes me. Hæc totidem verbis Antonius Verderius in *Supplemento epitomes bibliothecæ Geſneriane*, quod editum fuit anno MDLXXXV Lugduni in fol. Cujus tempus ſcripti planè incertiſſimum redditur à malè concepto Regis Siciliæ nomine, quod nuſquam fuit. Idem videtur cum eo cujus aliud opus è bibliothecæ regiæ Gallicæ MS. codice 1805 Labbeus in *Bibliotheca* ſua *manuſcripta* laudat par. 4. ſect. 4. *Alcabitii* nempe *introductio aſtrologica cum ſcholiis Ludovici de Angulo Hiſpani, qui ex Catalanico in Latinum ſermonem reddidit librum Abrahæ Aben Eſræ De nativitatibus*. Hæc Labbeus.

Ludovicus de Avinon, neſcio cujus hiſtoriæ *De rebus Cataloniæ* laudatur ſcriptor, vixiſſeque circa annum MCD alicubi refertur.

M

Macarius quidam refertur ſcripſiſſe *Acta Sanctorum Joannis Atarcſii, Felicis, & Voti* Pinnatenſium in regno Aragoniæ. Hieronymus Blancas in *Comment. rerum Aragonenſium*, & primo interregno Regum, quos *Suprarbienſes* vocat, cujuſdam vetuſti auctoris meminit, cujus nomen ſe non reperiſſe ait. *Sed in iis* (adjungit) *quæ illius exſtant monumentis de vetuſtiori altero Macario conqueritur, quod iſtius Joannis eremitæ vitam ſcribens hæc omnia ſilentio prætериiſſet*. Hęc Blancas.

Marcus quidam Toletanus vertit ex Arabico in Latinum *De motibus manifeſtis & obſcuris librum*, qui inter Galeni ſpurios habetur, tranſlatione Arabica uſus, quam ex Gręco fecerat Joannitius quidam, qui *Introductionem in artem parvam Galeni*, & alia ſcripſit. Hęc *Bibliothecæ medicæ* auctor de *Marco Toletano*. Hic videtur idem cum Marco Toletanę Eccleſię canonico, qui fecit *Alcorani interpretationem Latinam*, quam exſtare in bibliotheca Cęſarea Viennę Auſtrię in ejuſdem ſecundo volumine lib. 2. cap. 8. pag. 979. Petrus Lambecius auctor eſt.

Martinus de Corduba, magiſtri ornatus titulo, ſcripſit librum *Diverſarum hiſtoriarum*, quem laudat Ferdinandus Mexia in ſuo *Nobiliario* lib. 1. cap. 76.

Martinus Indaletius ſcripſit *la perdida y reſtauracion de Eſpaña*; cujus rei auctor eſt D. Petrus de la Eſcalera juriſconſultus & advocatus curię Matritenſis in *Hiſtoria de los Monteros de Eſpinoſa* cap. 7. affirmans ſe vidiſſe hunc librum literis antiquis exaratum Burgis apud D. Ferdinandum de Azevedo hujus urbis antiſtitem, Caſtelleque ſenatus pręſidem, qui magni cum faciebat.

Martinus Perez ſcriptor *De ſacramentis* exſtat MS. in bibliotheca Colonæa ſanctæ Hiſpalenſis Eccleſię. Cujus titulus eſt: *Aqui comienzan ciento y dos capitulos, con ciento y dos rubricas del libro de Martin Perez, e es eſte el tercero libro de Martin Perez, en que fabla de los ſacramentos*. Scriptus liber fuit, ut è nota conſtat ad finem appoſita, per Joannem Fernandez, alterius Joannis Fernandez de Alahejos filium, anno MCDXXXVII.

Martinus Toletanus. De eo Alphonſus Eſpina in *Fortalitio fidei* lib. 2. fol. 78. ait: *Fertur etiam quòd eſt liber quidam apud eos* (Judęos Hiſpanię) *quem compoſuit magiſter Toletanus aſtrologus contra fidem catholicam, qui liber ne cognoſceretur quòd ab ipſo factus eſſet, verſo nomine ſuo ipſum intitulavit, quod ipſe linguâ noſtrâ vocatur Martinus, & ſic verſo nomine intitulavit illum Nitram*. Hęc ille.

Fr. Matthæus Ortiz Dominicanus, Hiſpanus, heretice pravitatis per Gallias Inquiſitor, ſcripſit in dictum Paulli: *Volo quinque verba loqui adverſus hæreſes* librum unum. Hucuſque Xyſtus Senenſis lib. 4. *Bibliothecæ*, niſi quòd per errorem Matthęum Oryum appellavit. Sed hic *Matthæus Oryus*, ſive vulgò *Ori*, Gallus fuit, trium Pontificum Julii III. Marcelli II. & Paulli IV. pœnitẽtiarius, qui alia opera ſcripſit, ut notârunt diſtinguentes à Matthęo Ortizio noſtro, qui adverſus hęreſes ſcripſit, Antonius Senenſis, Michaël Pius parte 2. *De viris illuſtribus ordinis Prædicatorum* lib. 1. ad annum MCCXCVIII. & lib. 4. ad annum MDLVI. Alphonſus Fernandez in *Concertatione prædicatorum*, & Altamura in *Nova* ejuſdem ordinis *bibliotheca* ad annum MCDLXXXV. Incertiſſimum inde eſt qua ętate vixerit; ſiquidem, ut vidimus, poſtremo iſto ſcriptorum Dominicanorum albo ad ann. MCDLXXXV. apud Pium ad MCCXXVIII. cum Seraphino Razzio, qui ante MCCC. cum floruiſſe ait, Fernandez ſcripſiſſe ait circa annum MCDXC. Tenebrę undique.

Mauricius ne Hiſpanus, an Mauricius de Hibernia Anglus, magiſter Pariſienſis uterque, auctor fuerit *Diſtinctionum*, quas vocant Mauricii, ambiguum eſt. Meminit *hiſtoria academiæ Pariſienſis* tomo 3. in *catalogo illuſtrium academicorum*, & Joannes Launoy *De varia Ariſtotelis fortuna in univerſitate Pariſienſi* cap. 4.

Melchior de la Torre notus mihi auctor eſt cujuſdam operis, incerti quidem argumenti, ſed quo de providentia Dei nonnulla continerentur. Salomon filius Virgę Hebręus in *Hiſtoria Judaica*, quam ex ea lingua vertit in Latinam Georgius Gentius, refert pag. 433. adductum aliquando ad Henricum Caſtellę Regem anno ejus ſecundo ſylveſtrem quendam hominem, qui dixit ſe vocari D. Henricum de Mendoza, atque à patre ejuſdem Regis in exſilium ejus loci, unde adductus fuerat, olim miſſum, eo quòd conſilium ei dediſſet, omnes ut Judęos à regno ſuo expelleret. Idem ſaſſus fuit librum à ſe conſcriptum *De mundi ortu*, quod fabuloſę gentis homo Hebręus fortè confinxit. Sed cùm de

rebus

rebus hujusmodi Rex & Henricus colloquerentur, *Quid sentis*, inquit Rex (verba sunt Salomonis Virgę) *de Dei cura rerum creatarum, quam providentiam appellamus? Respondit Sylvester: De ea re jam olim Melchior de la Torre uberius scripsit; cujus verba hic adscribere est visum* &c. Subjungit deinde quędam ex libro illo, quem, non alio indicio significat, Melchioris de la Torre.

Mendus Gomez quidam de rebus Lusitanorum Regum scriptor à Bernardo Britto in prolegomenis ad *Monarchiam Lusitanam* laudatur; cujus scriptum hoc in Alcobaziensi Cisterciensium monasterio exstare, & abbatis ejusdem domus, & judicis cujusdam jurisdictionem in territorio illo exercentis confirmat testimoniis. At hic liber, qui cum Zacuti Lusitano-Hebręi alio *De climate Portugalliæ* compactum esse ajebat Brittus, seu Britti fidejussores prædicti, jam non ibi videtur fuisse, quo tempore Antonius Brandanus, ejusdem monasterii sodalis, continuandæ *Monarchiæ* incumbebat. Vide ejus prologum, ubi disertis id testatur verbis, & quę nos in *Laimundo* loco suo annotavimus.

Menegaldus Magister ejusdem farinę auctor, & in Alcobaziensi quoque bibliotheca à Britto repertus, ut eodem loco ac testimoniis dicitur, *Historiam mundi generalem* scripsisse refertur, quę incipit: *Assyriorum igitur Rex*. Concluditurque: *Obtinuit solus*. Quam Gotthicis literis anno MCCXXXVI. in membranis exaratam, alboque corio coopertam, se vidisse testes ajunt laudati. Nihil autem horum librorum (quod mirum, si ibi asservabantur) Antonius Brandanus vidit. Hunc Hispanis adscripsimus, quòd in Hispania sit repertus, nihil ultrà de incerto homine & libro ejus curantes. Exstare autem Menegaldum in Escorialensi bibliotheca, in quodam ejus catalogo vidimus.

N

Narcissus de S. Dionysio, canonicus Barcinonensis Ecclesiæ, *Compendium* scripsit *constitutionum Cataloniæ generalium*, in quo ordinem titulorum codicis Justiniani sequutus est, opus in decem partes divisum; quod exstabat in bibliotheca MSS. Antonii Augustini Tarraconensis antistitis viri clarissimi cod. 410. ut ex ejusdem catalogo docemur. Item ibidem fuit ejusdem *Compendium constitutionum Cataloniæ* sermone patrio versum, in charta annorum CL. & quidem codice 417.

O

Otæ cuidam tributa historia aliqua ad nos forsan pertinet, quæ MS. exstat apud S. Vincentium urbis Ulyssipponensis, atque in lucem alicubi edita, teste Joanne Marquez in *Origine eremitarum S. Augustini* cap. 18. §. 1. & aliquot sequentibus.

P

De Padilla anonymus (quem *El cavallero de Padilla* vocant) reliquit *Historiam* quandam MS. quâ utitur D. Josephus Pellizerius regius chronographus in *Memoriali por el Marques de Ribas D. Joseph de Saavedra* fol. 50.

Petrus Alladius, si Bernardo à Britto credimus, *Monarchiæ Lusitanæ* vulgaris linguæ ejus regni curioso scriptori, auctor fuerit *Historiæ Lusitanorum veterum*, quâ sæpissimè is utitur, eadem Lusitanorum antiqua gesta & eventus partim ex Laïmundo, partim ex Allodio confirmans, cujus etiam verba quandoque producere solet.

Item aliud, quod necesse est opus, quod *De sacris*, seu *sacrificiis*, *Lusitanorum* disertè vocat: quamquam testes ab eo adducti, ut suprà diximus, de veritate horum auctorum,

Petri Alladii unum tantùm, *De ritibus & moribus veterum Lusitanorum*, opus se vidisse in Alcobaziæ domus bibliotheca testentur, quod quidem incipit: *Antiquitus apud nationes*. Definitque: *omnibus ad nihilum redactis*. Et quidem codice anno MCCXXXIV. manu exarato.

Duo autem diversa commentaria Britto fuisse, ex ejus libro 3. cap. 30. apertissimum fiet legentibus. Hic tamen auctor, ut à Britto videretur & contrectaretur, interim apud Alcobazienses, si Deo placet, exstitit; mortuo autem eo disparuit: nam Antonius Brandanus, ejus in eadem Sparta ornanda successor, ut in prologo continuationis *Monarchiæ Lusitanæ* fatetur, nullum horum vidit librorum, quos Brittus olim historiæ suæ Atlantes jactaverat.

Petrus quidam interpretatus fuit Hispanicè *Isaacum De febribus*, & alia ex Latino, quem ex Arabico dederat Magister Constantinus. Exstat hęc Hispana versio in bibliotheca regia Escorialensi.

Petrus Despens Catalanus, scripsisse olim dicitur in Catalonię *Usaticos*.

Petrus de Escabias Præfectus urbis Iliturgitanæ in Bætica (*Alcaide de Anduxar*) quandam Historiam scripsisse videtur, à Gundisalvo Argote de Molina in libris quos ad manum habuit, MSS. laudatam.

Petrus Figuerola Hispanus, ut ex Hispano apparet cognomine, *Compilationem supra Logicam* scripsit, quem librum, auctore *Magistro Petro Figuerola* adscriptum in supellectile libraria fuisse, quam ad usum suum Benedictus XIII. Anti-Papa secum portabat quocumque iret, ex ejus constat catalogo, quem MS. vidimus.

Petro cuidam Archiep. Hispalensi tributum legimus librum *De vita animarum*, Hispanâ linguâ scriptum, qui fuit in bibliotheca Comitis Ducis Olivarum, nisi nos in- dex

dex decipit: cujus nominis cùm ei Ecclesiæ præfuerint *Petrus*, cui successit Alphonsus de Vargas decimoquarto sæculo, *Petrus Gometius Albornozius* circa annum MCCCLXXI. *Petrus Gometius Barrosus* circa MCCCLXXV. *Petrus de Luna* circa MCDI. *Petrus Gundisalvi Mendozius*, ac *Petrus de Castro*; incerti omnino sumus ad quemnam istorum hoc referendum opus sit, præsertim invisum nobis, ex cujus stylo auctoris ætatem conjectari possemus.

PETRUS Hispanus. Hujus nomen præ se ferebat titulus operis cujusdam in bibliotheca MS. Antonii Augustini codice 397. exstantis in membranis annorum quinquaginta supra centum, *De ordine judiciorum* inscripti; in quo erant & alia juridica. Catalogo ejusdem bibliothecæ adhæremus.

PETRUM Hispanum huic adjungimus, nisi idem homo sit (quod neque studiorum genus respuit) *Antiquarum juris canonici decretalium compilationum veterem notatorem*, seu *glossatorem*, quem laudant Joannes Andreæ in proœmio ad *Decretales*, Guilielmus Durandus in præfat. ad *Speculum Juris*.

PETRUS ILERDENSIS *Hispaniarum Ecclesiæ Episcopus, edidit diversis solemnitatibus congruentes orationes, & missas eleganti sensu & aperto sermone*. Hæc totidem verbis auctor anonymus *De* XIII. *scriptoribus Ecclesiasticis*, qui subjungitur Isidori atque Ildephonsi ejusdem argumenti & inscriptionis libellis; cujus auctoris ætatem, sicut anonymi, qui eum laudat, ignoramus.

PETRUS PAEZ Lusitanus, ordinis, ut credere par est, Prædicatorum, scripsisse dicitur *B. Ægidii Santarenensis*, ejusdem ordinis viri sanctissimi, *Vitam*, semi-barbaro stylo, quæ MS. in ejusdem urbis Santarenensis Dominicanorum monasterio asservatur, ex qua suam confecit Andreas Resendius. Georgium Cardosum vide sis Lusitanum in *Hagiologio* tom. 3 die XIV. Maji pag. 352. De hoc tamen auctore bibliographi Dominicani altùm silent.

PETRUS TERRENI scripsisse refertur in Cataloniæ *Usaticos*.

PHILO Gaditanus laudatur inter antiquos geometras, qui *De quadratura circuli* scripsere, ab Gerardo Joanne Vossio *De scientiis mathematicis* cap. 16. §. 36.

PICATRIX Hispani libri astrologici *De conficiendis imaginibus astrologicis*, exstiterunt apud Renatum Moreau medicum Parisiensem, teste Labbeo in *Bibliotheca manuscripta* pag. 216.

PTOLEMÆUS DE HISPANIA librum reliquisse dicitur *Argerzelli introductorium* dictum; quem exstare MS. docuit nos Alphonsus Ciaconius in schedis ad *Bibliothecam universalem*.

R

RAIMIRUS GADITANUS, cujus *Divinationem sideralem* laudat Gesnerus in *Bibliotheca*. qui & foras emissam ait.

RAYMUNDUS VIDAL Artem poëticam scripsit; cujus, & aliorum ejusdem artis illustratorum, meminit in prologo ad *Centiloquium* suum Ennecus Lupi à Mendoza Marchio Santillanæ his verbis Hispanis: *Los quales creeria yo no haver leido las reglas del trobar, escritas y ordenadas por Remon Vidal de Besaduc, hombre assaz entendido, y gran trobador, ni la continuacion del trobar hecha por Jufre de Texa monge negro, ni del moral llamado Berenguer de Noja*.

REGINALDUS DE ARCA Catalanus, in *Usaticos* Cataloniæ scripsit, ut audio.

RENALLUS (an RAYNALDUS?) quidam magister sedis Barcinonensis, quo forsan nomine scholarcha, sive caput scholæ, intelligitur, reliquit ibidem MS. librum *De passione S. Eulaliæ Barcinonensis*; quo usum se ait Hieronymus Pujades in *Historia* sua *principatûs Cataloniæ*.

RICARDUS, Hortensis monasterii Cisterciensium monachus, scripsit carmine *Vitam S. Martini, vulgò sancti Sacerdotis, ex abbate Hortensi Episcopi Seguntini*, quam edidit Chrysostomus Henriquez lib. 1. *Fasciculi* dist. 7. cap 8. Videri potest Angelus Manriquez tom. 2. *Annal. Cisterciensium* anno MCLXIV. cap. 8. ubi plurima carmina ex hac *Vita* profert. Adscribitur hic S. Martinus diei XVI. Septemb. in *Menologio Cisterciensi*; de quo agit etiam Vincentius Blascus Lanuza lib. 4. *Historiar. Aragon.* cap. 11. qui appellatum fuisse eum ait *Martinum Muñoz de Finojosa*. Scripsit idem Ricardus *Vitam Roderici Archiep. Toletani*, & aliorum forsan virorum illustrium ejusdem monasterii: nam imagini pictæ illius in presbyterio Ecclesiæ Hortensis positæ inscriptum legitur: *Ricardus monachus, sanctorum historicus monachorum*. *Fasciculum* vide Chrysostomi Henriquez eodem lib. 1 dist. 7. cap. 10. ex quo profecit Carolus Vischius in *Bibliotheca Cisterciensi*.

ROLANDUS Ulyssipponensis. Inter libros quos collegerat Renatus Moreau medicus doctor Parisiensis, Labbeo teste in *Bibliotheca manuscripta* pag. 216. liber exstitit hujus tituli: *Rolandi Ulixboniensis physici illustrissimi principis Joannis, patrui domini nostri Regis Franciæ gubernantis & regentis regnum Franciæ, insigne opus de physiognomia*.

V

VINCENTIUS, quem cum Hispani dumtaxat nota veterum monumentis laudari videas, jurisconsultus magni nominis, & interpres vetus Decretalium fuit Hunc passim ac per totum in Decreta-

lium

lium quinque libros commentarium laudat abbas antiquus Guilielmus Durantius in prooemio *Speculi*, ad quod etiam *præfatione* Joannes Andreæ, atque idem in procemio *ad decretales*, quamvis abſtinentes Hiſpani appellatione. Sed Antonius Auguſtinus in epiſtola dedicatoria *Antiquarum compilationum* ad Gregorium XIII. Papam, & in Notis ad *Primam* pag. 431. & 446. diſertè *Vincentium Hiſpanum veterem earum interpretem vocat*. Gloſſavit hic quatuor *Compilationes Decretalium*, & facta Gregoriana compilatione, gloſſavit etiam illam, ut ait Joannes Andreas præfatione ad *Speculum*.

WULSA Epiſcopus (cujuſnam urbis non dicitur) ſub Gotthis Regibus ſcripſiſſe refertur quoddam *Chronicon* eorundem Regum; cujus operis fidei eximium quidem teſtimonium præbuit eruditus admodum vir Joannes Baptiſta Perezius, Toletanus canonicus, qui poſtea fuit Segobricenſis Epiſcopus. Hic enim cùm auſpiciis rogatuque D.Gaſparis à Quiroga, præſulis tunc Conchenſis, in cujus familia erat, collectionem quandam confeciſſet Hiſpaniæ Conciliorum ex MSS. codicibus, quos videre potuit, ut ad Gregorium XIII. mitteret Papam, adjunxit *Chronologiam Regum Gotthorum*, de qua præfatus in epiſtola ad lectorem, hujuſce collectionis deſumere ſe ait priores Reges ex Iſidoro; *poſteriores verò ex Wulſæ Epiſcopi perbrevi, ſed aureo Chronico, quod in quodam libro bibliothecæ regiæ & aliis vetuſtis exſtat: de cujus in ſcribendo fide nihil eſt quod dubitetur, cùm & tempora ab illo notata exactè cum Conciliis quadrent, & poſteriorum Regum menſes & dies ita minutatim definiat, ut vixiſſe ſub Hiſpaniæ excidium videatur.* Hæc Perezius.

Ex hac Perezii chronologia ſuam deſumpſit, multis tamen multatam, D. Garſias Loaïſa, & collectioni ſuæ *Conciliorum* Matriti editæ anno MDXCIII. præfixit *, *Ordinem* vocans *Regum Gotthorum Hiſpaniæ, & eorum chronologiam ex Conciliis* MSS. *& Iſidoro & Wulſa*; quibus addere potuit: *& Alphonſo Rege Ovetenſium III.* oam & hujus inter alios *Chronici* cujuſdam ſcriptoris pro ſe & chronologia ſua advocavit Perezius, Alphonſo ſcilicet, cui *Magni* cognomentum contigit, cujus eſſe id *Chronicon*, quod ſub Sebaſtiani Salmanticenſis Epiſcopi exſtat oomine; jam, de Alphonſo iſto ſeu Sebaſtiano loquentes, annotavimus.

* Noſque denuò luci publicæ commiſimus in *Collect. Max. Concil. Hiſpan.* initio tomi primi pag. 15. CARD. DE AGUIRRE.

Huoc autem Wulſam Perezius pro annis, quibus ſinguli vixerunt Reges, à Wallia ipſo, qui anno Chriſti CDXVI. regnare cœpit, ad Egicæ uſque electionem & unctionem, quam contigiſſe ait anno DCLXXXVII. teſtem adducere pergit. Ut, ſi verus homo fuerit, uſque ad hoc tempus hiſtoriam ſeu chronologiam iſtam Gotthicam eum proſequutum, aut eo vixiſſe, conjectari valeamus. Planè huoc auctorem ejus hiſtoriæ fuiſſe, confirmare etiam poſſumus, & maximè quidem, Ambroſii Moralis judicio, qui talem credidit. Hujus enim verba Latina ex Hiſpanis reddita è libri 11. cap.17. huc præ aliis pertinent: *Chronicon hoc loco Wulſæ nominavimus* (cùm de Walliæ rebus ageret) *quod abhinc ſæpe huic hiſtoriæ incidet. Epiſcopus hic fuit tempore Gotthorum Regum poſtremorum in Hiſpania, ut videtur, quamvis in Conciliis nuſquam ſubſcriptio ejus legatur, quæ ſcilicet pauca, nulláve fuit adeptus. Scripſit breviſſimam ſummam Gotthorum Regum, notatis annis, menſibuſque, diebuſque, quibus ſinguli regnavere. Quo nihil poteſt ad hiſtoriæ continuationem exactius deſiderari: quâ ego utor, eam ex codice Gotthico Eccleſiæ Ovetenſis exſcripſi, qui pro Alphonſo Rege Toleti expugnatore quingentis ferè abhinc annis fuit ſcriptus, in aliis etiam antiquiſſimis libris à me viſam.* Hæc ille, Wulſæ hoc breve Chronicon paſſim laudaturus.

His quidem teſtimoniis, & quidem graviſſimis, Wulſæ fides innititur. In quo tamen auctoris nomine quicquam ſubodorati ſunt incerti, de opere tamen ii minimè dubitantes, quidam noviores, non prorſus temerè codicum à ſe haud viſorum ſcripturæ litem moventes, quaſi ob legendorum veterum characterum difficultatem, pro hac lectione *Wiſe-gotthorum Regum Hiſpaniæ Chronicon*, ea ſe laudantibus intruſerit: *Wulſæ Gotthorum Regum Hiſpaniæ Chronicon*; aut pro hac: *Ep. Wiſegotthorum Hiſpaniæ Regum*, quo *Epitome* eorundem Regum per compendium ſcriptum ſit, hæc alia: *Epiſcopi Wulſæ Gotthorum* &c. nec inepto quidem aut incauto de rebus libriſque ſic aotiquis judicio, cùm de hoc Hiſpaniæ Epiſcopo Wulſa nuſquam aliàs habeatur mentio. In codice manuſcripto, quem apud D. Joannem Lucam Corteſium hìc Matriti vidimus, ita concepta eſt epigraphe: *Incipit Chronicon Regum Wulſæ Gotthorum* erâ CD. ex qua interpoſitione nominis *Wulſæ* ſic inepta importunaque non obſcurè colligimus conjecturam de Wiſe-Gotthorum Chronico, nulli auctori, cui nomen Wulſa fuerit, attribuendo, non ex nihilo eſſe.

Præterquamquòd ad ejuſdem codicis, qui Ambroſii moralis fuit, oram notatum legimus, in alio codice Gotthico Sorienſi diſertè ſcriptum *Chronicon Wiſe-Gottorum* fuiſſe. Quæ res etiam ſalivam movit Hieronymo Higueræ Toletano, cujus in opere iſto toties meminimus, & ut erat conjectationum ſuarſi pro antiquis commendandarum cupidus, auctorum à ſe datorum ſcriptis eam, quam de Wulſæ *Chronico* iſto fecerat, expromere ſeſe tutè poſſe viſus ſibi, ut aliàs, fuit. Huc enim hæc apud Luitprandum in Chronico ad ann. DCCCCLX. num. 361. edit. Antuerp. reſpiciunt: *S. Julianus ſcripſit Vitam S. Ildephonſi: Felix præterea ſcripſit Vitam S. Juliani Toletani Epiſcopi, idemque Felix adjecit Chronico, quod ſic incipit:* In nomine Do-

* Aliàs natus.

Domini, incipit Chronicon, quod Sanctus Julianus composuit: *Illud*: Natus est autem Witiza, *alii tribuunt Gunberico. Nihil de additione certè hactenus reperitur*. Hucusque Luitprandus, unus ex iis oraculis, per quæ loqui Hieronymus amabat Higuera.

Sed alterum audi Juliani nomen præ se ferens in *Chronico* ad ann. DCXCII. num.359. *S. Julianus, qui Archiepiscopus Toletanus pòst fuit, continuat Chronicon Regum Wisi-Gotthorum ab Athanasio ad Ervigium; cætera addidit Archiepiscopus Toletanus ad finem usque*. Quibus duobus locis domi formatis minimè dubius sum quin Wulsę tributum *Chronicon* partim Juliano adscribi debuisse Toletano Archiepiscopo, partimque ejus successoribus, Felici aut Gunderico, Higueræ placuerit; utpote cui præ Toletanis Episcopis fungos habere alios omnes, frugesque consumere natos, perpetuum fuit. Julianus sanè Toletanus Episcopus gesta Wambanis Regis adversus Paullum perduellem literis consignavit, nullum autem aliorum Regum Chronicon; cujus utique oblivisci minimè debuit Felix Vitæ ejus auctor. De Wulsa hæc dicere habuimus, dum certiora & exactiora alius.





FRAGMENTUM

CHRONICI FLAVII MARCI DEXTRI MAXIMI CÆSAR-AUGUSTANI EPISCOPI

EJUSDEM CHRONICI CONTINUATIO:

EUTRANDI TICINENSIS DIACONI CHRONICI, SIVE SUPERIORUM CONTINUATIONIS FRAGMENTUM.

HOC EST

Germana & legitima, si quæ è Germana, & Fuldensi bibliotheca in Hispaniam superiore sæculo transmissa sunt, horum historicorum monumenta.

Ex codice, qui Gasparis Escolani Valentini historici olim fuerat, postea D. Joannis à Fonseca, serenissimi deinde Ferdinandi Hispaniarum Infantis, & nunc Estepani Marchionis in bibliotheca adservatur, fideliter exscripta.

CHRONICON FLAVII MARCI DEXTRI ACEPHALON.

Chronici nuncupatoria epistola occurrit ante alia: non parùm tamen ea mihi suspecta.

Sanctissimo domino Paullo Orosio presbytero Tarraconensi Flavius Marcus Dexter.



POSTEAQUAM ex oriente (ubi, sicuti nôsti, Præfectus prætorio fui [a]) domum redii, cœpit me vehementer tædere functionis munerum publicorum, totumque me converti ad ea studia, in quibus bonam vitæ meæ partem transegi, si non cum laude, citra notam pudoris tamen. Porrò *Omnimodam historiam*, quam ab orbe condito ad hæc nostra tempora [b] produxeram, & S. Hieronymo dedicaveram, quoniam ad manus ejus jam defuncti pervenire non potuit, auctam & locupletatam tibi nuncupo, ut historiarum scriptori, & patris mei amantissimo. Vale.

a [An CCXVI.] hæc nota hic inserta legitur, quam ut peregrinam hinc secedere fecimus

b [Idest, ad an. CCXXX] eque hanc notã, ut superiorem, à textu epistolæ migrare huc fecimus.

[c] AUGUSTO ET SYLVANO COSS. CHRISTUS NASCITUR AN. NO URBIS DCCLII.

Jacobus ad Hispaniam venit. XXXVI.

Jacobus reliquit in Hispania Athanasium Cæsar-augustæ, & Petrum Bracaræ Episcopos. XLV.

Petrus ad Hispaniam venit, & Sexi-Firmi [d] Episcopum reliquit. LVII.

Prima sub Nerone persecutio. Multi ubique patiuntur. LXV.

Paullus in Hispaniam venit [e].

S. Maria Magdalena in Gallia moritur. [f] XXXI.

Mantius Christi discipulus Eborensibus in Lusitania prædicat. LXXXII.

Theodosius primus Barcinone Episcopus floret. LXXXVI.

c Consequitur epistolam brevia hæc summaria dignissimorum memoriã eventuum, quarũdamque in Toletana & Barcilonensi Ecclesiis successionũ, quas exceptor præcipuas habuit

d *Epeneti* nomen forrè prætermisit properãs exscriptor.

e Deest numeralis nota.

f Fortè LXXI.

Mar-

Marcus Marcellus, Marci Marcelli Urbis Præfecti filius, qui & Eugenius, quondam S. Petri Apostoli, postea verò S. Clementis Papæ discipulus, ab eodem & Dionysio Areopagita missus in Hispaniam prædicat, & Toletanos docet. XCV.

S. Mantius sub Pallidio' patitur. CIII.

S. Pelagius Episcopus Toletanus XXIV. annos CXXXII.

S. Victor Barchinonensis Episcopus. CXLII.

Patruinus fidelis Dei servus Toleti Episcopus XIX. annos. CXVI.

Facundus & Primitivus ad amnem Coam g patiuntur. CLXXI.

g Cea? ne?

Turibius Toletanus Episcopus pro fide multa patitur XXVIII. annos CLXXXIV.

Lucius Barchinonensis quatuor annos. CLXXXVIII.

Fulca Barchinonensis Episcopus XII. annos CC.

Vincentius Toleti XVIII. CCII.

Adeodatus Barchinonensis.

Theodorus Barchinonensis.

Leodegarius Carcilonensis.

Parelatus [h] Toletanus.

Lucius XXIX. Barcilonensis ad annum CCL.

Alexander Barcilonensis.

Albertus [i] Barcilonensis.

Armegaldus Barcilonensis.

Gandemarus Barcilonensis.

Olympius Toletanus Episcopus ad annum CCCXLVIII.

Severus Martyr Barcilonensis.

Pater meus.

h *Paulatus* inferius mulsò est: quare nil muto.

i Inauditum eo tempore nomen.

Cætera desunt ad annum CCCL.

Anno Urbis — *Deinde ordinatè & integrè gestorum series, & in dextro latere urbis conditæ, in sinistro* CHRISTI *anni curiosè digesti.* — Ann. Chr.

1102 Occiso Constante Magnentius tyrannus imperium occidentis invadit. 350

1103 Olympio decrepito Episcopo Toletano Audentius, acri vir judicio & mira eruditione, 351 succedit.

1104 Hosii diligentiâ Cordubæ Synodus collecta in caussa Athanasii. Interfuerunt illi Audentius Episcopus Toletanus, Sempronianus Hispalensis, Augustalis Illiberitanus, Costus Cæsar-augustanus, Annianus Castulonensis, Domitianus Pacis-Augustæ, Florentinus Emeritensis, Prætextatus Barcinonensis, & alii numero quadraginta, Hosio præside, qui omnes Athanasium præsentem z absolverunt. 352

1105 Synodus Mediolanensis contra Athanasium. 353

1106 Liberius Papa à Constantio Augusto in exsilium mittitur. Liberio pulso Felix intruditur. Hosius Cordubensis exsulat. 354

z Forsan *præsentes*, ut significetur interfuisse & aliorû procuratores.

1108 Synodus Ancyrana. Concilium Sirmiense. Hosius minis & verberibus exterritus hæreticis consentit. 356

1109 Hosius se Catholicum testamento posteritati testatus, major centenario decedit Cordubę. 357

1110 Felix Papa caussâ fidei martyrio coronatur. 358

1111 Synodus Ariminensis. 359

1112 Synodus Achatianorum [Acacianorum] Constantinopolitana. 360

1113 Synodus Cæsariensis. Julianus imperium iniit. 361

1114 Constantius Imperator obiit. 362

Scribit Audentius Toletanus Episcopus contra Arianos.

JULIANUS IMPERATOR.

Synodus Alexandrina.

1115 Martinus militare incipit. Synodus Macumena [l]. 363

Julianus occiditur. Illi succedit Jovinianus [m].

1116 Synodus Laodicena [n]. 364

VALENTINIANUS IMPERATOR.

1117 Synodus Arianorum Lampsacena. 365

1118 Damasus ex Hispania Lusitanus post Liberium in sede Romana locatur. 366

1119 Ursicinus [Antipapa] caussâ decidit. 367

1120 Synodus Romana contra Arianos. 368

1121 Ambrosius Mediolanensis Episcopus consecratur. 369

1122 Evagnus [o] Episcopus Homousianus Athanasio succedit. 370

Basilius Magnus Cæsareæ Episcopus obiit.

1123 Petrus Homousianus floret. 371

1124 Gregorius Nazianzenus Episcopus dictus floret theologus. 372

Aquilius Severus Toletanus floret.

1125 Synodus Valentiæ in Gallia. 373

1126 Achilius Severus in Hispania claret, *Toleti natus* [p] *regit*. 374

1127 Valentinianus Imperator obiit creato Gratiano Imperatore. 375

l Forte Antiochena; de qua Baronius hoc anno sect. 140. meminit Eusebium æstimans Hieronymus anno CCCLXVII.

m Jovianus.

n De qua dubitat Baronius in appendice tomi 4.

o Athanasii successor fuit Petrus, de quo statim.

p Aliàs *degit* fortè: *Toleti, ubi natus, degit*.

1128 GRATIANUS IMPERATOR. 376

DOROTHEUS Arianus Episcopus Antiochenus.
1129 Ulphilas Gotthorum Episcopus, qui & literas eorum invenit. 377
1130 Priscillianus Hispanus hæreticus, audax, laborum patiens, subdolus & arrogans. 378
Hoc anno Valens occiditur.
1131 Igitur [q] Valente à Gothis in Thracia concremato, cum fratre Valentiniano Gratianus regnat annos sex. Hic parvulum fratrem habens regni consortem probatæ ætatis virum, Theodosium Hispanum in regni societatem adsciscit. Hic Gratianus valdè religioni favens & Ecclesiis, per omnia promptus fuit. 379
1132 Martinus Turonensis Episcopus Apostolicis virtutibus insignis habetur. 380
1133 Theodosius in orientis partibus rempublicam reparavit. 381
1134 Maximinus [r] tyrannus in Britannia à militibus Imperator constituitur. 382
Incursantes Pictos & Scotos Maximus strenuè superavit.
Priamus quidam regnat in Francia [s].
Meritæ [t], in Lusitania Idatius Concilium habet.
Synodus Cæsar-augustæ cogitur contra Priscillianum hæreticum: illi præfuit Foetiadius [u] Episcopus Aquitanus. Interfuere Delphinus Burdegalensis, Itatius Emeritensis, Ithatius Ossonobensis, Audentius Toletanus, & alii Hispani & Aquitani; in his Martinus Episcopus Turonensis.
1135 Ambrosius libros contra Arianorum perfidiam luculentissimos ad Gratianum Augustum scribit. 383
Audentius Episcopus Toletanus [x] contra Priscillianum, & Gnosticorum fœditatem libris editis egregiè depugnat.
1136 Maximus in Gallias transfretavit, & conflictu contra Gratianum habito, eundem fugientem [y] necat. Post Damasum [z] Syricius Romanæ Ecclesiæ regimen accipit. 384

THEODOSIUS IMPERATOR.

1137 MAXIMUS timens orientalis imperii principem [a] cum Valentiniano fœdus init. 385
Burdigalæ coacta Synodo damnatus Priscillianus ad Maximum provocat [b].
Apud Treveros Manichæi convicti summo Maximi studio exterminantur.
1138 Justina mater Valentiniani Arianis favens in Ambrosium, & omnem Mediolanensem Ecclesiam diversa injuriarum genera congerit. 386
Reliquiæ Gervasii & Protasii ab Ambrosio primùm Mediolani repertæ.
1139 Hymni ab Ambrosio compositi. Qui nunquam antè ab Ecclesiis Latinis modulis canebantur. 387
Maximus indignum ducens contra Ecclesiæ statum agi, locum rumpendi, quod cum Valentiniano junxerat, fœdus reperit. Valentinianus veritus imminentem jam cervicibus suis tyrannum ad Theodosium confugit.
Augustinus Mediolani rhetoricam apprimè docens, omissis scholis, ad fidem rectam convertitur, cùm antea Manichæus fuisset.
1140 Theodosius cum exercitu in Italiam transgrediens Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit. Justina, quæ Ecclesias vexaverat, ne regnum cum filio reciperet, morte præventa est. Immane Thessalonicæ gestum facinus extincti populi egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religiosus elicit [c]. Galla Placidia Theodosio nascitur. 388
1141 Hæresis Apollinaristarum ab Apollinari cœpta. Prima [d] Synodus Arausicæ collecta, cui Hilarius præfuit. Interfuere Audentius Toletanus Episcopus, Augustanus Illiberitanus, Theodosio Augusto II. & Cynegio Coss. 389
1142 Ariani, qui totum penè orientem atque occidentem commaculaverant, edicto gloriosi principis Ecclesiis expoliati. Quæ catholicis deputatæ sunt. 390
1143 Joannes [e] Ægyptius monachus, qui ob vitæ puritatem gratiam prophetiæ à Domino meruit, insignis habetur. 391
Paciano Barchinonensi Episcopo parenti meo succedit Lampius, & Augustano Illiberitano Maturius [f]. Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus [g], & post hunc Theophilus, Episcopi constituuntur. Hierosolymis post Cyrellum Joannes [h] Ecclesiam recipit. Apud Antiochiam defuncto Meletio substituitur Flavianus [i].
1144 Ingens inter nostros contentio suborta, quòd scilicet Episcopi qui ab hæreticis depulsi fuerant nollent iis ab Imperatore dejectis alios quàm se substitui sacerdotes. Terribile in cœlo signum columnæ per omnia simile apparuit. 392
1145 Apud Alexandriam templa destructa, in quibus Seraphis [k] antiquissimum & notissimum templum, quod quasi quædam columna ruentem sustinebat idolatriam.
Maturio [l] Illiberitano Gregorius Episcopus ex Præfecto prætorio Galliarum substituitur.
Valentinianus Viennæ ab Argobausto [m] Comite suo exstinguitur [n], in cujus locum Eugenius tyrannidem invadit.
1146 Ad vindicandum Valentiniani interitum [o], & opprimendam Eugenii tyrannidem Theodosius in Italiam transgreditur aperto Dei favore, & conspirantibus in id ipsum elementis. 393

Auden-

q Abhinc Prosper incipit Aquitanus ferè iisdem verbis ex editione Pithœi & Labbei in Bibl. ms. vol. 1. pag. 56. excepto quòd nō utitur in margine, nisi annis Imperatorum. Notabimus nos quęnam sequentium in eo desint.
r Immo *Maximus*, ut statim.
s Addit Prosper: *quantum altius colligere potuimus*.
t *Emerita*. Deest id in Prospero, cum sequenti nota de Concilio Cæsar-augustano.
u Phœbadius.
x Rem Hispaniæ propriā omisit Prosper.
y Lugduni adjunxit Prosper.
z Deest in Prospero.
a Theodosiū quod Prosper expressit.
b Prosper. *Arcadio & Bautone Coss.* Is scilicet quem communiter Eusebiano, & Hieronymiano adnectūt Chronico, non hic noster, in quo id desideratur.
c *Elicit*. Ita Prosper.
d Desiderātur hæc in Prospero usque ad sequentis anni res gestas.
e Hujus meminerunt Rufinus 2. 18. Theodoretusq. 5. 24.
f Mentio Paciani & reliquorum Hispaniæ Episcoporum deest apud Prosperum, qui tamē hic Damasi Papæ obitus, & Syricii exaltationis meminit.
g Baronium vide anno CCCLXXX. 16. & CCCLXXXV. 30.
h Baron CCCLXXXVI. 57.
i Baronius CCCLXXXII. 40. & 52.
k Serapidis, vide Baronium CCCLXXXIX. 71.
l Desideratur hoc in Prospero.
m *Arbogaste*.
n Baron hoc eodem anno CCCXCII. 3.
o Paullulum discedit Prosper.
p Abest à Prospero.
q Numeralis nota XVI. aut XVII (quot annis regnavit) facili errore de-

1147 Audentio [p] Asturius Toletanus succedit.
Eugenio superato Theodosius undecimo [q] sui regni anno diem obiit. 394

HONORIUS IN OCCIDENTE.

1148 CONSTANTINOPOLIS imminentem iram Dei [r] igne super nube terribiliter fulgurante formidans, toto ad pœnitentiam animo conversa subterfugit. 395
Rufinus Bosphoritanus [s] cùm ad summam militiam pervenisset, sibi præferri Stiliconem non ferens, ab eodem interficitur, Hunnorum [t], quo fulciebatur, præsidio superato.
Claudianus poëta admiratione dignus habetur.

1149 Gildo Africanus [u] rebellione commota consueta Romanis stipendia subtrahit. 396
[x] Vigilantius hæreticus natione Gallus Barcinonensem maculat Ecclesiam, contra quem Hieronymus, & alii [Hispani [y]] doctores editis libris fortissimè dimicant [ex quodam Chronico.]

1150 Prudentius lyricus poëta [Hispanus [z]] noster ingenii sui robur exercet. In pervigilio paschatis [a] Ambrosius Mediolanensis decedit. 397
Emerio Episcopo Tarraconensi Paullus Episcopus ex monacho sufficitur, homo impensè turbulentus, inquies, & negotiator. Rufus ex laico Episcopus in Hispania creatur [b], qui post aliquot annos Pseudo-Christum quendam adorans deponitur.
[c] Magister militiæ in Mauritania interficitur, Africa ad pristinum jus redacta.

1151 Anastasius XL. Papa Syricio succedit. Toto orbe Romano [d] antiquæ superstitionis templa destructa. Paullinus Romanus [e] à lampio Barcinonensi Episcopo factus presbyter, postmodum vero Episcopus, admirabili exemplo venditis omnibus, cùm esset dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus eligit. 398

1152 Joannes Constantinopolitanus Episcopus dictis factisque clarescit. Martinus post egregiè actam vitam corpore exuitur [f]. 399
Pelagius Britannus [g] doctrina exsecrabili Ecclesias maculare conatur. Frequentes Synodi Toleti [h] habentur. Simplicianus Mediolanensis Episcopus floret.

1153 Contentio ex doctrina Origenis Synodum apud Alexandriam [i] movit, cujus exit sententia, ut extra Ecclesiam fieret quicumque supradicti viri opera probavisset. 400
Romanæ Ecclesiæ cathedram Innocentius XLI. tenet [k].
Asturius Toletanus corpora Justi & Pastoris martyrum [l] Compluti divinitùs invenit.

1154 Solis [m] defectio. Augustinus Episcopus Hipponensis plurima libris innumerabilibus disputat. 401

1155 Severus ex disciplina S. Martini ejus Vitam tribus [n] explicat libris. 402

1156 Sæva Italiæ barbarici motus tempestas incumbit: siquidem Radagaisus Rex Gotthorum Italiæ limitem trasgreditur. Ex hoc Ariani, qui Romano procul fuerant orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulere, præsidio erigi cœperunt. 403

1157 Multis antè vastatis urbibus Radagaisus occubuit, cujus in tres partes per diversos principes divisus exercitus aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni triumpho exercitum tertiæ partis hostium circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico usque ad internecionem delevit. 404

1158 Toleti Synodus [o] Episcoporum XIX. cogitur, cui Paternus Episcopus Bracarensis præsuit. 405

1159 Joannes Chrysostomus in exsilio moritur. 406
Arcadius orientis imperium gubernans vitam explet, parvum admodum Theodosium imperii successorem relinquens [p]. Diversarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa [q] immissu quàm maximè Stiliconis indignè ferentis filio suo regnum negatum.

1160 Uticæ Hispaniæ [r] 407
In foro Trajani [s] terra diebus septem mugitum dedit. Inter alia multum reipublicæ morte Stiliconis consultum est, qui saluti Imperatoris rendebat insidias.
Nestorius [t] Constantinopolis Episcopus ad hæresim, quæ Deum ab homine separat, revertitur.

1161 Joannes Comes Africæ occisus est à populo. Asturio succedit [u] Olympius Toletanus Episcopus, qui libris editis illustris evasit. 408
Proculus [x] Massiliensis Episcopus clarus habetur. Theodosius, quo annuente magna de suscepto adulterio Remedii [y] Episcopi quæstio agitur.
Hac tempestate præ valetudine [z] Romanorum vires funditus attenuatæ Britanniæ Saxonum incursione.

1162 Devastatam Galliam, partim Wandali, partim Alani vastavere [a]. 409

1163 Constantinus tyrannus obsidebat Hispaniarum partem maximam, quam Suëvi occupavere. Ipsa denique, orbis caput, Roma prædationi Gotthorum fœdissimè patuit. 410
Paulus [b] Orosius Tarraconensis hortatu Augustini historias scribere incipit.

1164 Constantinus tyrannus occiditur. Rursus alia prædatio Galliarum, Gotthis, qui Alarico duce Romam ceperant, alpes transgredientibus. 411

1165 Jovinus [c] tyrannidem invadit industriâ viri strenui, qui solus tyranno non cessit, Dardani. 412
Provincia [d] Carthaginensis Hispaniæ in Toletanam, seu Carpetanam, & Carthaginensem dividitur.

clinavit in XI. certè ita est in Prospero, qui nes editum habemus hunc Dextri locum.
[r] Baronius CCCXCVI. 4.
[s] Mirum, cùm ex Claudiano lib. 1. in Rufinum, aliisque *Elusanum* è Gallia fuisse constet.
[t] Meminit horum Claudianus.
[u] Prosper. *Africa in rebellione*: videtur legendum: *in Africa rebellione*.
[x] Deest in Prospero.
[y] Glossa videtur, quam comprobare glossographus volens, adjecit, *ex quodam Chronico*. quod auctor non solet.
[z] Abundat *Hispanus*, cùm idem importet *noster*. Sed Prosperum exscripsit, qui ita habet: *Tertio noster Hispanus genere*.
[a] Deest in Prospero Ambrosii obitus mentio: sicuti & Emerii Tarraconensis.
[b] Rem narrat Sulpitius Severus *De Vita S. Martini* cap. 25. non Prosper.
[c] Prosper habet. *Stilico magister militiæ Gildonem Mauritania interfecit*.
[d] Baron. CCCXCIX. 54. hic tamen ponit Prosper Innocentii ingressum, nulla Anastasii habita mentione.
[e] Prosper: *Paullinus Nolanus postmodum Episcopus*. Romanum haud fuisse, sed Aquitanum, Uranius docet Vitæ ejus scriptor, & alii. Lampii non meminit Prosper: meminit Paullinus ipse ep. 45. ad Alipium.
[f] Baronius ann. CDI 49.
[g] Vix est ut hoc anno Pelagius grassari cœperit. Prosper habet: *Pelagius vesanus*.
[h] Forte excidit & alibi Sed qua occasione Toleti? Deest quidem id in Prospero.
[i] Baron. ad an. CCCXCIX. 16
[k] Baron. an. CDII. assum-

Olim-

Olympio [a] Toletano Præsuli Pentadius sufficitur, qui cum Patribus in Concilio Africano collectis Pelagium damnat. Vincentius Cæsar-augustanus Episcopus Valerio subrogatur, Athaulphus [f], qui post Alaricum Gotthis imperabat, à societate Jovini avertitur. Salustius [g] quoque & Sebastianus occisi.

1166 Valentia nobilissima Galliarum civitas à Gotthis effringitur, ad quam fugiens se Jovinus contulerat. 413

Maximus [h] tyrannus dominatum Hispaniæ vi obtinet.

1167 Aquitania [l] Gotthis traditur. Patroclus Arelatensis Episcopus infami mercatura sacerdotia vendere ausus. 414

Heraclius [a] Comes Africæ, qui ad Romanæ urbis reparationem strenuum exhibuerat ministerium, nova quædam molitus interimitur.

1168 Tumultus [l] in Hispania magni. 415

1169 Prædestinatorum [m] hæresis, quæ ex Augustini libris malè intellectis accepisse dicitur initium, iis temporibus serpere exorsa. 416

Gregorius [n] Cordubensis Episcopus literis & sanctimoniâ clarus.

Mortuo Innocentio [o] Zosimus Pontifex maximus sufficitur. Olympius [p] Toletanus Comes Africæ.

1170 Placidia [q] soror Imperatoris, priùs captiva, postea Regis uxor, Rege fraude sublato, postmodum Constanti connubio jungitur. 417

1171 Gotthi cùm se iterum, Athaulpho Barchinonæ perempto movissent, Constantis repelluntur occursu. Solis facta defectio. Bonifacius [r] Ecclesiam Romanam regit. 418

1172 Pentadio [s] vitâ defuncto Isitius regit Ecclesiam Toletanam. Signum cœlo admirabile apparuit. 419

Gregorius [t] Bæticus justum volumen de fide Gallæ Placidiæ Augustæ dicat.

Constans [u] dignitate imperii decoratur: post octo menses relicto Valentiniano filio infante moritur.

1173 Honorius, [x] Minervius, Castor, Jovinianus, singulorum monasteriorum patres, in Galliis florent. Vincentius [y] ex Palatino monachus fit. 420

1174 Avitus Tarraconensis presbyter floret. 421

1175 Orosius peregrinationibus celebris habetur. 422

[a] Galla Placidia, cùm insidias fratri tenderet, deprehensa est, Romam [a] ad exsilium deportata.

Paullo Tarraconensi Episcopo [b] Bonifacius Cald-aquensis ex Hispania Episcopus sufficitur.

[c] THEODOSIUS JUNIOR ADHUC.

1176 Isitius Toletanus successorem habuit Martinum, qui Concilio interfuit Africano. Cœlestinus Papa Ecclesiam Romanam gubernat. 423

Placidia ad Theodosium auxilium precatum mittit.

1177 Siguiulfus [d] ad Africam contra Bonifacium. In Galliis Exsuperantius Præfectus à militibus occiditur. 424

Muro Carthago circumdata, quæ ex tempore, quo vetus illa destructa est, sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari[e].

Aëtius Gaudentii Comitis à militibus in Galliis occisi filius cum Hunnis [f] Joanni opem laturus Italiam ingreditur. Toleti [g] fit monasterium [[h] Sancti Augustini dictum Sisla. ex Chronico S. Augustini MS.]

1178 Valentinianus Romæ Imperator factus. Arelas à Gotthis per Aëtium liberat. 425

1179 Placidia tandem illata optato regno. Clodius regnat in Francia. 426

1180 Cassianus compertas in Ægypto vitas Patrum, doctrinasque, & regulas libris ad plurimos datis exponens, in Gallia floret. 427

1181 Aëtius [i] Luthungorum gentem delere intendit. 428

1182 Viginti ferè millia militum in Hispaniis contra Wandalos pugnantia cæsa. Wandali in Africam transfretantes laceratâ omni provinciâ Romanis cladem dedere. 429

1183 Gregorius [a] Cordubensis moritur. 430

Explicit fragmentum Chronici Fl. Dext.

---

ptam fuisse refert, sed Prosper ante biennium Innocentio Pontificatum addidit.

l S. Ildephonsus *De script. Eccles.*

m Idatius Arcadii & Honorii ann. VIII.

n Tria opuscula sunt non unius generis, vita, epistolæ, dialogi. S. militer omnino Prosper.

o Baronius hoc anno XLIII. Desideratur hæc nota in Prospero, uti & sequens de Joannis Chrysostomi morte.

p Interserit hoc loco Prosper Celestini Papæ initium.

q Baronius eodem anno sect. 51

r Conjungenda videntur hæc ex Prospero, lacunaque complenda. *Verna in foro Trajani* nisi legere mavis utrobique: *Urbe in foro Trajani*. Marcellinus tamen Comes Basso & Philippo Coss. contigisse hoc ait in *foro Pacis*.

s Nestorius Felice & Tauro Coss. fuit ordinatus, hoc est post XX fermè annos. Vide Baron. CDXXVIII. 39. Prosper habet: *vertitur.* melius.

t Deest Prospero.

u *Proculus* corrigendum ita Prosper: *Proculus Massiliensis Episcop. clarus habetur. Quo annuente &c.*

x *Romedii* Prosper.

y Prosper *funditus attenuatæ Britanniæ Saxonum incursione devastatam Galliarum partem Wandali, atque Alani vastavere.*

a Conjungit hæc Prosper cum sequentibus. *Quod reliquum fuerat Constantinus tyrannus obsidebat. Deinde Hispan. Suevi occupavere.*

a Non meminit Prosper.

b Diversè ista in Prospero. *Jovinus tyrannidem invadit. Seorsimque. Dardania viri strenui, qui S. Tunc cessit, Dardani Athaulphus qui post Alaricum Gotthis imperabat,*

Hæ

Hæ duæ [m] sequentes epistolæ erant post Chronicon in membrana pervetusta literis Gotthicis scriptæ.

EPISTOLA
MAXIMI CÆSAR-AUGUSTANI EPISCOPI
AD
ARGEBATUM EPISCOPUM PORTUGALENSEM.
PRO SUO CHRONICO.

Sancto & venerabili fratri Episcopo Argebato Maximus.

CUM essemus in urbe regiâ ad Concilium vocati à domino nostro gloriosissimo Rege Gundemaro, sæpe inter nos convenimus, cùm & sermo multus esset de historiis Regum Gotthorum, quas non multò antè in lucem edideram, efflagitâsti à me satis verecundè, ut tibi continuarem Chronicon illud, quod nomine Dextri Barchinonensis circumfertur. Et cùm tu pro tua in me benevolentia, & mea in te observantia jubere potuisses; maluit sanctitas tua à me precibus contendere, quod quasi pro jure suo bene poterat jubere vel exigere. Feci quod jussisti, connectens seriem temporum more nostro per eras & annos Christi, prætermisique computandi rationem, quam per annos Urbis & Augustorum Dexter sequitur. Utinam tam diligenter fecerim imperata tua, beatissime Pater, quàm conatus sum facere libenter. Perduxi namque rerum narrationem ab era CDLXIX. (hoc est post annum Christi CDXXXI.) ubi finem facit Dexter, produxique ad eram DCXLIV. hoc est usque ad mortem Regis Gundemari. Tu me, Pater, in orationibus tuis Christo commenda. Vale.

ÆRA Cæs.

CHRONICON

ANNI CHR.

MAXIMI CÆSAR-AUGUSTANI EPISCOPI
AB ANNO CDXXX.

468 [a] AUgustinus in Africa moritur. 430

469 [o] Hispania tumultuatur. 431

470 Asperitas frigoris etiam saluti plurimorum pernicies fuit. 432

A consulatu Aëtius edito Bonifacium, qui à Regina [p] accitus ex Africa fuerat, declinans ad munitiora contendit.

Bonifacius contra Aëtium certamine habito percussus, victor quidem, sed moriturus abscedit.

Cùm ad Hunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, post prœlium se Aëtius contulisset, impetrato auxilio ad Romanum solum revertitur.

Gotthi ad ferendum Romanis auxilium acciti.

Germanus Episcopus Antisiodorensis virtutibus & vitæ districtione claruit.

471 Aëtius in gratiam receptus. [q] Regila Rex Hunnorum, cum quo pax firmata, moritur, cui Bleda succedit. 433

472 Gallia ulterior Tibatonem principem rebellionis sequuta, à Romana societate discessit, à quo tracto initio omnia penè Galliarum servitia in Bagaudam conspiravere. 434

Isidorus [r] Cordubensis Episcopus moritur.

473 Bellum contra Burgundionum gentem memorabile exarsit. Quo universa penè gens cum Rege Peresio [s] deleta. 435

474 Capto Tibatone, & cæteris seditionis, partim principibus victis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit. 436

[t] Athaulpho Sigericus, Sigerico Walaia, Walaiæ Theodericus [u], Reges Gotthi succedunt. Interea à Wandalis [x] Carthago deletur.

475 Castinus [y] post Martinum Toletanus Episcopus efficitur. 437

Theodosianus liber omnium legum legitimorum principum in unum collectarum hoc anno editus.

Lampio [z] succedit Bangins Episcopus Barchinonensis.

Silvius turbatæ admodum mentis post militiæ in palatio exacta munera, aliqua de religione conscribit [a].

à *societate Joviani avertitur.* Jovinum & Sebastianum fratres arripuisse tyrannidem referunt Idatius, & Comes Marcellinus.

d Desunt in Prospero, sicuti sequens de Toletanis Episcopis nota.

e Imò *Asturio*. Ita notatum erat in ora ms. quo usi sumus.

f Suspicor glossema esse, quod de presentia Toletani Episc. dicitur in Concil. Carthaginensi.

g Discerpta hæc sunt à superioribus.

h *Sarus*, non *Sallustius* forsan. *Sari* enim tyranni meminit Sozomenus lib. 9. cap. 11. Sallust. tamen est apud Idatium.

i Meminit idem Sozomenus 9. 13. & Orosius 7. 42. Deest tamen in Prospero.

k Cessa ei ab Honorio, ut ait Jornandes *De Reb. Geticis*.

l *Heraclianus*. sic enim vulgò audit.

m Prosper id non habet, sed Placidiæ hic meminit, ut postea dicemus.

n Prosper Tiro Labbeanus. *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium* &c. Sed in margine Labbeus admonet in Ovfelliano quodã codice ita legi alia manu *ab Augustini libris male intellectis*. ut hic.

o Deest in Prospero mentio Gregorii.

p Prosper Innocentio hic Xystum subjicit, manifesto errore, & exceptori adjudicando.

q Desideratur hæc nota in Prospero.

r Quæ de Placidia & Gotthis à Constantio repressis hic noster ante prædestinatorum hæresis mentionem Prosper collocavit.

s Bonifacii non meminit Prosper, qui Zosimo successit.

t Deest Toletana hæc memoria in Prospero.

Pacatis

476 Pacatis motibus Galliarum Aëtius ad Italiam regreditur. 438
477 Deserta Valentiæ [in [b] Hispania] rura Alanis, quibus Sambida præerat, partienda traduntur. 439
Sabino [c] Hispalensi Episcopo expulso Epiphanius intruditur.
Britanniæ usque ad hoc tempus cladibus eventibusque laceratæ in ditionem Saxorum rediguntur.
478 Ecclesiæ Romanæ Leo XLV. [d] recipit principatum. 440
479 Alani, quibus terræ Galliæ [e] ulterioris cum incolis dividendæ à Patricio Aëtio traditæ fuerant, resistentes armis subigunt, & expulsis dominis terræ possessionem vi adipiscuntur. 441
480 Sapaudia [f] Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda. 442
Carthago à Wandalis capta cum omni simul Africa lacrymabili clade & damno imperii Romani potentiam dejicit; ex hoc quippe à Wandalis possidetur [g].
481 Thracia Hunnorum incursione concutitur. 443
482 Bleda Hunnorum Rex Attilæ fratris fraude percutitur, cui ipse succedit. 444
Synodus [h] Arausicana posterior.
483 Nova iterum in oriente consurgit ruina, quâ septuaginta non minus civitates Hunnorum deprædatione vastatæ, cùm nulla ab occidentalibus ferrentur auxilia. 445
484 Morobæus regnat in Francia. 446
485 Leo [i] scribit ad Episcopos Hispaniæ, & præcipuè ad Turibium Asturicensem Episcopum. 447
486 Ad [k] aquas Celenas oppidum Gallæciæ in Hispania conveniunt Episcopi frequentes, sed præcipuè Turribius Asturicensis, Idatius Lamacensis, Ascanius Tarraconensis, Campejus Toletanus, Epiphanius Hispalensis, Valconius Bracarensis, Nundinarius Barchinonensis, Silvianus Calagurritanus, contra errores Priscilliani nondum sopitos [l]. 448
487 Eucherius Lugdunensis Episcopus, & Hilarius Arelatensis, egregiam vitam morte consummant. 449
Hæresis nefaria à quodam Archimandrita [m] Eutychete commota; cui favorem præbens Theodosius, obiit septem super viginti annis in imperio exactis.

VALENTINIANUS ET MARCIANUS.

488 HAC tempestate valdè miserabilis reipublicæ status apparuit, cùm ne una quidem [n] sit absque barbaro cultore provincia, & infanda Arianorum hæresis, quæ se nationibus barbaris miscuit, catholicæ nomen fidei toto orbe diffusa præsumat. 450
Attila Gallias ingressus, quasi jure debitam poscit uxorem, ubi gravi clade inflicta & accepta, ad propria recedit.
489 Plurima hoc anno signa apparuerunt. 451
Insperata [o] Galliis clade accepta, furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu subito perterriti præsidio nudavere.
490 Synodus Chalcedonensis, ubi Euthychete Dioscoroque damnatis, omnes qui se ab eis retraxerant, in communionem recepti, confirmata universaliter fides, quæ de Incarnatione Verbi per sanctum Leonem Papam prædicabatur. 452
491 Attila in suis [p] ædibus moritur. 453
Galla [q] Placidia Augusta post irreprehensibilem conversationem vitam explet.
492 Petro [r] Cæsar-augustano, qui successerat Valeriano, subrogatur Simplicius [s] [primus.] 454
493 [t] Mortem Aëtii mors Valentiniani consequuta est. 455
494 Ex Africa venit Romam Gensericus, illamque occupat [u]. 456
495 Majorianus Imperator creatur occiso Sabino [x], regnatque quatuor annos. 457
496 Claudianus Episcopus Viennensis floret. 458
497 Sabinus [y] Episcopus Hispalensis victor è Gallia rediens cum ingenti gratulatione sedem suam repetit. 459
Theudericus [z] duce Hunerico Bæticam invadit.
498 Masdra [a] Suevorum Rex moritur. 460
499 Sunericus [b] ad Gallias redit. 461
500 Sancto Leoni [c] Hilarius sufficitur. 462
Majoriano Augusto ad Detorsuam [d] Italiæ interfecto succedit Severus.
501 Campijo mortuo Santicio Toletanus succedit, & Trontius [e] Sabiuo Hispalensi. 463
502 In conventu Bracarensi duarum naturarum portentum cernitur [f], item in tractu Legionis. 464
503 Ajax Gallus [g] Ariana peste infectus virus suum in Suevos effundit. 465
504 Mortuo Severo interregnum fuit unius anni & novem circiter mensium. 466
505 Ascanius Tarraconensis Episcopus floret. 467
506 Hilarius Synodum Romæ cogit. 468
507 Curicus [h] Rex Wisi-Gotthorum miserè Galliam afflictat, & Sanctus Volusianus Episcopus Turonensis in Hispania relegatur. 469
508 Reimimundus [i] Suevorum Rex Conimbriam, & prodente Lusidio [k] Ulyssipponem, urbes Lusitaniæ primarias, occupat. 470

u Desiderantur hæc in Prospero.
x Prosper *Constantio dignitas imperii ab Honorio delata, qua non nisi mensibus usus interiit, Valentiniano octo annorum filio derelicto.*
y Prosper *Honoratum, & Jovianum* appellat.
z Haud meminit Prosper, uti neque Aviti neque Orosii.
a Ante Placidiæ hanc mentionem recordatur Prosper, Maximi tyranni nempe. Qui antea notaverat Maximum tyrannum Hispaniarum dominatum vi obtinuisse, adjungit hoc loco: *Maximus tyrannus De regno dejicitur, ac Ravennam perductus sublimem spectaculum pompam tricennalibus Honorii præbuit.* Cur autem noster omiserit, scire desidero.
b Prosper: *& Roma in exilium relegata.*
c Desunt hæc in Prospero.
d Honorii obitus Prosper meminit & Joannis tyranni.
e Non meminit Prosper Toletanarum rerum, nec Cœlestini Papæ.
f Prosper. *Sigisvultus ad Ac. Bonifacium properavit.*
g Deest iterum hoc loco Joannis tyranni mentio, quâ Prosper habet.
h Prosper habet: *Chanaris*, suo more.
i Nihil de eo Prosper.
k Hæc ex margine huc transiere, ex scholiis in contextum, quod apertissimum est.
l Labbeus edidit *Ilturungiram*. Apud Idatium Juturage sunt.
m Desideratur hæc nota in Prospero.
m Excidit harum altera, Argebiti forsan ad Maximum.
n Chronicon istud Maximi nomine insignitum ex eadem, ac superius Dextri tela.

Paullus

509 Paullus Orosius nonagenario major adhuc Tarracone superest. 471
510 Sinticione mortuo Praumatus Toletanam sedem regit. 472
511 Hunnericus Wandalorum in Africa Rex catholicos miris modis vexat. 473
512 Hunnerici jussu Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Rusticus subdiaconus, Rogatus, Septimius, Maximus, monachi, pro fide martyres fiunt. 474
513 Hildesredus obsessâ Tarraconâ maritimis urbibus potitur. 475
514 Hunnericus adhuc crudeliùs in catholicos desævit. 476
515 Hunnericus scatens vermibus dignam vitâ mortem obiit. 477
516 Sidonius Apollinaris poëta celebris Episcopus Arvernorum literis & sanctitate micat. 478
517 Petrus Mongus ab Ecclesia Alexandrina detrusus hæresim Eutychianam excitat. 479
518 Mortuo Hunnerico Gundemundus pacem Ecclesiis restituit. 480
519 Euricus Wisi-Gotthorum Rex videt Arelatę tela Palatinorum o variis coloribus infecta. 481
520 Euricus Arelatæ moritur, cui succedit Alaricus filius. 482
521 Felix Papa Simplicii p legatum facit in Hispania Zenonem Episcopum Hispalensem. 483
Simplicio Cæsar-augustano succedit Joannes.
522 Synodus Romana in Vaticano habita. 484

AUGUSTULUS ULTIMUS OCCIDENTIS IMPERATOR.

523 PETRUS in sede Toletana Praumato sufficitur. 485
Synodus Romana.
524 Epiphanius Episcopus Ticinensis vitæ sanctitate claret. 486
525 Gundemundo catholico Wandalorum Regi succedit Trasamundus hereticus crudelissimus. 487
526 488
527 Fulgentius Episcopus Ruspensis multa pro fide catholica ab Arianis patitur. 489
528 Clodovæus Rex bellum Turingis movet. 490
529 Theodericus fœdus init, Idoare de regno partiendo. 491
530 Synodus Epaunensis. 492
531 Synodus Romana. 493
Celsius Petro Toletano successit.
532 Gelasius Papa obiit, cui sufficitur Anastasius junior. 494
533 Celsius verbo & exemplo floret. 495
534 Olympius in sanctam Trinitatem debacchatus, tribus telis igneis confossus deperit. 496
535 Flavianus Antiochenam regit Ecclesiam. 497
536 Synodi Romanę sub Papa Symmacho. 498
Symmachus ter Episcopos Romę convocat ad Concilium.
537 Mundabundus cum Avito Viennensi Episcopo disputat. 499
538 Petrus tyrannus in Hispania captus & interfectus est. 500
539 Alaricus in Gallia grassatur. 501
540 Joanni Cæsar-augustano Vincentius succedit. 502
541 Justus Episcopus Aucensis floret. 503
542 Alaricus Clodovęi fœdus violat. 504
543 Clodovæus Alaricum hastâ confodit. 505
544 Gasalaricus Rex Wisi-Gotthorum ex Hispania fugit. 506
546 Theodericus Ostro-Gotthorum Rex in Hispaniam venit; cui nubit Sanctina Toletana virgo nobilissima. 507
508
547 Tres alię Synodi sub Symmacho Romę. 509
548 Symmachus Papa obiit. Galasius t in Gallia moritur. 510
549 Hormisda Symmacho succedit. 511
550 Hormisda missis literis, Joannem Episcopum Tarraconensem honestat. 512
551 Synodo Tarraconę contractę pręsidet Joannes Tarraconensis metropolitanus, & inter alios interest Hector metropolitanus Carthaginis. 513
552 Severianus ex Sanctina Theoderico Regi nascitur. Synodus habetur in Bætica & Lusitania. 514
553 Hormisda vices suas in Bætica & Lusitania delegat Sallustio Episcopo Hispalensi. 515
554 Canidio Episcopo Vicensi succedit Sanctus Justus. 516
555 Vincentio Cęsar-augustano succedit Joannes Episcopus. 517
556 Dacius Mediolanensem regit Ecclesiam. 518
557 Gilimer Wandalorum Regem Ildericum regno deturbat. 519
558 Justinus Imperator edicit, ut Arianorum Ecclesię catholicis credantur. 520
559 Belisarius Africam repetit, Constantinopolim ducto Gilimere. 521
560 Agnellus Episcopus Ravennas ingnis. 522

u * * * * *

564 Synodus Valentina habita sub Celsio Toletano Episcopo. 526
565 Amalaricus Rex Wisi-Gotthorum Clotildem uxorem catholicam afflictam habet. 527
Celsio succedit Montanus in Toletana sede.
566 Joanni Cęsar-augustano Episcopo Eleutherius. 528
567 Aprungius x Episcopus Pacensis floret. 529

Prosperi Tyronis formatum scias, usque ad annum CDLVI Christi; reliqua aliunde sunt.
o Deest apud Prosperum.
p Deest.
q Rugila Hunnorum Rege, ut infrà.
r *Rugila* sic in Prospero.
s Deest in Prospero.
t Omnino legendum *per Abream*, uti habet Prosper juxta Idatii & P Diaconi historias: nam Burgundionum Regem Diaconus Gundicarium vocat lib. 14.
u Deest in Prospero Regum Hispanorum hęc series.
x Alius *Theodoredus*.
y Meminit excidii hujus Prosper, sed ab loco isto sed post VII. annos
z Castini haud recordatur Prosper.
a Desunt in Prospero.
b Subjicit his Prosper Leonis Papæ initium. Qui à nostro anno CDXL. constituitur.
c Id notum glossema est: Prosper habet, *Valentinæ urbis rura*, scilicet Galliæ, ut mox dicetur.
d Lege *quibus*.
e Non memini Sabini nec Epiphanii Prosper, meminit certè Idatius Theodosii junioris anno XVII.
f Prosper XI. Alius Prosper Aquitanus Eusebii continuator XLIII. designat: uti & Idatius.
g Si *terra Galliæ* Alanis traditæ referuntur Valentina urbs, de qua suprà, Galliæ erit.
h *Sabaudia* Prospero.
i Hoc non dixisset suo nomine Maximus, cujus tempore jam extinctum erat Wandalorum in Africa imperium.
a Non recordatur Prosper.
l Desunt hæc in Prospero: desumpta ex Idatio.
m Non meminit Prosper.

568 Synodus Toletana sub Montano Toletano Episcopo. 530
569 Amalaricus Rex moritur, cui Theudius succedit. 531
570 Agapeto succedit Silverius. 532
571 Sanctus Gaudiosus Episcopus Tirasonensis floret. 533
572 Synodus Aurelianensis secunda. 534
573 Silverius in exsilium mittitur. 535
574 Julianus succedit sancto Pontifici Montano in sede Toletana, qui Celsus, famâ sanctitatis clarus pridie non. April.migrat in cœlum. 536
575 Theobaldus Gotthorum Rex in Italia regnat. 537
576 Leander Severiani filius Murciæ in Hispania nascitur ex matre Theodosia. 538
Laureanus in Pannonia Mediolanum, inde Hispalim venit.
577 Severiano Theodora, pôst uxor Regis Leovigildi, Murciæ nascitur. 539
Eleutherio Cæsar-augustano scribit Vigilius Papa.
578 Sanctina Severiani mater, ædificato monachis, quos Benedictus primùm misit in Hispaniam, ad Sanctum Petrum [z] Radinensem cœnobio, Toleti moritur, & in eodem monasterio conditur. 540
579 Magnus Episcopus Mediolanensis, pulso Dacio, à Gotthis creatur. 541
580 Theudius Wisi-Gotthorum Rex indignè perimitur. 542
Theudiselus illi subrogatur.
581 Bacauda Toletanam sedem post Julianum XVI. annos regit. 543
582 Agila Wisi-Gotthis imperat, Eleutherio Cæsar-august. Episcopo succedit Vincentius. 544
583 Synodus Toletana sub Bacauda. 545
584 Synodus universalis Constantinopolitana. 546

* * * * * * * *

587 Prope oppidum Osset Lusitaniæ in diœcesi Pacis-Augustæ fontes divinitùs manant sub [b] Ilderico. 549
588 Vigilius Papa rescribit ad Profuturum Episcopum Bracarensem. 550
589 Crispinus Episcopus Hispalensis floret. 551
590 Atanagildus contra Agilam rebellatur. 552
591 Severianus excisa iterum Carthagine nova, ejusque agro vastato, Hispalim in exsilium mittitur, antè natâ Florentinâ filiâ. 553
592 Fulgentius Hispali nascitur. 554
Saturius sanctus eremita in Cantabria moritur.
Athanagildus Rex in planitie suburbii Toletani ædificat monasterium [[c] ordinis Sancti Benedicti] in honorem Sancti Juliani apud Arvernos passi, dictum Agaliense [sub Agalia villula propinqua, quod distat minus quàm 150. passus ab Ecclesia Prætoriensi SS. Petri & Pauli, inter occidentem & septemtrionem sita] & ibi constituit primum abbatem sanctum virum Euphemium, qui postea fuit vocatus ad primam Toleti sedem.
593 Sanctus Æmilianus monachus & presbyter in Cantabria moritur.
Monasterium Cislæ Toleti [[d] ordinis S.Augustini] ab Athanagildo ædificatur.
594 Hermenegildus ex Theodora Leovigildo nascitur. 556
Isidorus Hispali nascitur.
Selvæ Tarraconensi Episcopo succedit Euphemius. 557
595 In Gallia Gotthica mons multos dies mugit. 575
596 Theodemirus Suevorum Rex in Gallia [e] creatur. 555
597 Petrus Bacaudæ suffectus duodecim annos Ecclesiæ Toletanæ præsidet. 589
Reccaredus Hispali nascitur.
Leander fit monachus.
598 Severianus Hispali moritur. 590
Joannes monachus ex Agaliensi monasterio studiorum causâ Constantinopolim proficiscitur.
599 Synodus Bracaræ habetur anno III. Theodemiri Regis, præsentibus Lucretio metropolitano, Ilderico Pacensi, Andrea Idiensi [f], Sunncio Lamacensi, Martino Dumiensi, Timotheo Asturiensi, Choto Empuritano, Maliolo Tudensi, Episcopis. 561
600 Theodora cognomento Cervilia clarissima Severiani uxor Hispali moritur. 562
Longobardi Rege Alboino in Italiam irruunt.
Dracontius poëta Complutensis floret.
601 Leovigildus dux Regis Athanagildi Vatestanæ [g] & Malacæ regiones vastat. 563
602 David Stephanus [h] Hispalensis Episcopus succedit. 564
603 Alboinus Longobardorum Rex Beronæ perimitur. 565
Dracontius poëta Cæsar-augustæ moritur.
604 Leovigildus, qui postea fuit Rex Gotthorum, Constutonenos [i] egregiè depugnat. 566
Paullo Emeritensi Episcopo succedit Fidelis.
605 Theodora Leovigildi uxor Toleti moritur, & [k] sanctam Leocadiam sepelitur. 567
Imago Crucifixi à quodam Judæo Toleti percussa divinitus sanguine permanat, tota urbe regia annunciante admirabilem novitatem, obstupente Petro Toletano Episcopo.
606 Leovigildus [l] Gosiuntham Athanagildi viduam uxorem ducit. 568
Leander abbas presbyter fit à David Episcopo.

607 Mar-

[n] Subjungit hoc loco Prosper ante mentionem Eucherii & Hilarii, ad Hunnos defectivnem.
[o] Legit in Prospero nomen Eutychetis, quod verò tale est.
[p] Ita loquebatur Prosper, rebus quas narrat æqualis Maximus verò nihil minus potuit, quàm de præteritis, ut de præsentibus loqui.
[q] Prosper in Gallias.
[r] Sec. [illegible]. Ita Prosper, qui alia adjungit.
[s] Obitus Placidiæ mentionem Prosper eodem, quo Theodosii, anno, habuit Baronius convenit ad annum CDXL. CDVII. Cur ergo huc videmus transiisse?
[t] Deest in Prospero.
[u] Glossa videtur.
[x] Desunt hic quæ Prosper notat de caussa interfectionis Aëtii, & de forma necis Valentiniani.
[y] Hucusque pertingit Prosperi Tyronis Chronicon.
[z] Nulla hujus Sabini, quod sciam, in Romanis historiis mentio. Majorianus, dejecto Avito, non occidit.
[a] Sabini reditum Joannes Vaseus ad annum [illegible] refert ex Idatio.
[b] Ex Idatio Maiorani anno II. Sunieri[illegible] appellans ducem.
[c] Ex Idatio Majoriani IV. anno.
[d] Idatio II. anno Severi.
[e] Baron. ad ann. CDLXII. ex Idatio.
[f] Fortè in reditu suo ad Italiam ut ex Idatio constat v ejusdem Majoriani anno; vel potiùs ad Dertonam, ut est in Chron. Marcellini Coss. Dagalaifo & Severino.
[g] Zenon est in catalogo Hispal præsulum.
[h] Cernitur [illegible] fervetur.
[i] Idatius IV. anno Sever. Galatam. pro

607 Martinus ex Dumiensi Bracarensis jam Episcopus in Concilio Lucensi præ- 569
fuit .
Lucensis sedes fit metropolitana .
608 S.Massona Episcopus Emeritensis Fideli succedit . 570
609 Petro Toletano Episcopo sufficitur Euphemius priùs abbas Agaliensis , cui in regimine 571
monasterii succedit Exsuperius .
Cæsar-augustæ templum Dei genitricis sanctum , & à Divo Jacobo constructum, quod
ad Columnam dicitur , celebre habetur .
Synodus Bracarensis sub Martino metropolitano .
610 Leovigildus Agilam Comitem Patrimoniorum ad Brachildem Reginam oratorem mittit, 572
ut illa det Ingundem filiam conjugem Hermenegildo. Re dilata in septimum [m] , quòd ea
nondum esset viro matura, in Hispaniam revertitur .
Post Didymum in sede Tyrasonensi sequitur Sanctinus, & hunc S.Prudentius.
611 Leovigildus Hermenegildum & Reccaredum filios regni successores [n] facit . 573
612 Severus Malacitanus Episcopus contra Vincentium Cæsar-augustanum Episcopum hæ- 574
reticum editis libris fortiter depugnat .
613 S.Donatus [o] , qui primus regulam [[p] Eremitarum] S. Augustini [[q] locupletiorem] in 575
Hispaniam invexit , & in agro Servitano vivus mortuusque miraculis nobilitatus est, IV. Idus
Octobris ad cœlum migravit .
614 David Hispalensi Episcopo Benedictus Papa scribit . Eodem David mortuo Leander 576
monachus [Benedictinus] Severiani Ducis filius Hispalensem regit Ecclesiam .
615 Exorto errore quòd nulli essent spiritus , Epiphanius Toletanę Ecclesię scribit ad Li- 577
cinianum & Severum Episcopos , qui illi respondent .
616 Joannes abbas, qui postea fuit Biclarensis, anno postquam Constantinopoli rediit, fidei 578
caussâ Barcilonâ exsulat .
Leovigildus ædificat urbem Ricopolim , quæ priùs dicta est Haurris , in confluente
Tagi & Gudielę fluviorum, in Celtiberię confinio .
Euphemius Toletanus orator in Galliam mittitur multis palatinis comitantibus .
Massona S.Eulalię monitu ab exsilio revertitur .
617 Ingundis Sigiberti & Brunchildis Francię Regum filia, virgo pulcherrima, sexdecim an- 579
nos nata ex Francia in Hispaniam deducitur , eam comitantibus Euphemio metropolitano
Episcopo , multisque viris palatinis Hispanię & Francię , & Episcopis , videlicet Fortunato
Pictaviensi , Salvino Albigensi , Frontiniano Aquensi , Beltrano Burdegalensi , & Gregorio
Turonensi [r] [Episcopo] qui [s] in præsentia istorum Toleti ęde S. Marię nubit Hermenegil-
do in ipso anni principio .
618 Leovigildus filium Hermenegildum Hispali obsidet . Proditione Arianorum hic patri 580
traditur . Interventione quorundam palatinorum, post diram carceris custodiam priùs Hispa-
li victus , & catenis alligatus , datis obsidibus dimittitur .
Priùs tamen contra Leovigildum rebellaverant Hispalis , Corduba , Astigis , Carthago
nova , Murcia [t] ; quæ Illigartum , Illuct , quę est Oriola , Toletum , Complutum , Delvora-
que , & Aqua Carpentana , & aliæ civitates , quę postea Regi paruerunt .
619 Leovigildus Hermenegildum obsidet ad Osset oppidum Lusitanię, captumque Toletum 581
ducit, ibique carceri mancipat : ibi Synodus , in qua Paschasius Ecclesię Toletanę S. Eulalię
Episcopus pręsidet . Convenerunt autem Vincentius Cæsar-augustanus , Enepotius Emeri-
tensis [Episcopus] Ugnus Barchinonensis , Maurila Valentinus , & Valentinus Wigiciseus *
Argiduntus Portugalensis , & Gardingus Tudensis , & alii .
Episcopi Catholici in exsilium mittuntur. Leander Hispalensis , & Licinianus Cartha-
ginensis, metropolitani, petunt Constantinopolim , Massona Emeritensis Complutum , Eu-
phemius Toletanus & Joannes abbas Biclarensis Barcilonam , Monitus Complutensis Cęsar-
augustam , & alii aliò .
620 Leovigildus Ibadam fœminam clarissimam Gotthicę gentis Fonsę Comitis Patrimonio- 582
rum . . . . [u] uxorem Reccaredo . Ex ea Svinthilam gignit .
Froucistus Oxomensis Episcopus floret .
621 Iterum Leovigildus filium Hispali obsidet . 583
Filius nascitur Reccaredo Toleti ex Florisinda Hispana fœmina conditionis obscuræ,
nomine Sivvia [x] , quem intingit Massona Episcopus .
Pestis in Hispania grassatur .
622 Leovigildus exercitum contrahit in filium . Mironem Hueurionem [y] Regem in exi- 584
lium [a] suum vocat .
Arthuagus [a] Coc Gotthus [ex ordine [b] S.Augustini] floret .
Vincentio Cæsar-augustano hæretico succedit Simplicius catholicus Episcopus .
623 S.Martinus metropolitanus Bracarensis plenus dierum & bonorum operum miraculis 587
clarus ad Dominum emigrat .
624 Hermenegildus Hispali dilapsus , & Cordubæ captus , Valentiæ exsulat sequente eum 586
patre cum exercitu . Nec multò pôst Tarraconam mittitur, ubi arctissimè carceris custodiæ
mancipatus , & ab Euphemio metropolitano Tarraconensi visitatus, in ipso Paschatis pervi-
gilio , quòd de manu Paschasii Episcopi Toletani hæretici communionem noluisset acci-
pere , jussu patris hæretici à Siberto Protospathario perimitur, & martyr miraculis nobilita-
tur.

Gallo vocat.
k *Eurieus*
l *Raymundus.*
m Ex Idacio III. anno Anthemii.
o Ex Idacio anno II. Anthemii.
p Excidit *successor.*
r Cum *Odoacre.*
s *Cladovæo.*
o Immo *Gafalaricus.*
u Lacuna hic est quatuor annorum.
x Immo *Apringius.*
y Forte *Celso succedunt* aut *Celsi successor.*
z Caradinensem.
a Lacuna trium annorum.
b Ilderici mentio in Bracarensi I. intra anno DLXI.
c Quæ in parenthesi edita sunt, glossemata facilè dixeris.
d Glossa videtur.
a In *Gallæcia.*
f *Irienss.*
g Joann Biclarensis anno IV. Justini *Bastania & Malacitana urbes.*
h David Stephano, ut ex sequentibus ad ann. DLXXVI.
l *Constantius* forte.
a *Ad S. Leocadiam.*
l Idem apud Joannem Biclarensem anno IV. Justini.
m *In septennium* forte.
n *Consortes* ait Biclarensis an VII. Justini.
o Joannes Biclarensis Donatum abbatem vocat monast. Servitani.
p q Glossemata videntur.
r Redundat.
s *Quæ*
t Placuit Siruelo sic legere ab hinc : *Murciaque, Bigastrum , illis quoque & Oriola , Toletum, Compluram, Delbiraque & Aquis Carpetanæ.*
u Deest *dat* , seu *tradit* .
x Lege *Liuva.*
y *Suevorum.*
a *Auxilium.*
a Ita , & *regamento* videtur significata .
b Hæc glossa est.

tur. Hunc Euphemius Tarraconensis & catholici dolentes nocte consequenti vi sublatum in Ecclesia sua mœrentes sepelierunt.

Ingundis ejus uxor perempto marito primum ad Africam, deinde ad Siciliam delata, erepto sibi filio Theoderico, & Constantinopolim allato, Panhormi moritur.

625 Massona exsul valdè dolet de morte immatura Hermenegildi martyris. Leander Con- 587
stantinopoli viso infante Theoderico vehementer dolet.

Leovigildus Rex rediens è bello contra Suëvos Toleti graviter infirmatur.

Venientem de Francia Reccaredum victorem Toletani gratanter excipiunt.

Leovigildum ingravescente morbo verè peccatorum pœnitet, & catholicam religionem amplexus in pace quievit, & in templo S. Mariæ Toleti sepelitur. Morti verò proximus in testamento commendat se, Reccaredum, & regnum, Massonæ & Leandro sanctissimis Pontificibus. Cujus morti ego interfui cùm essem archidiaconus, cum domino meo Simplicio Episcopo. Obiit primâ Aprilis.

626. Theodericus puer Hermenegildi filius Constantinopoli moritur. 588

Sisbertus interfector Hermenegildi martyris ob admissum grave scelus jussu Reccaredi Regis, qui tunc regni insulis jam erat decoratus, Toleti publico supplicio deputatus, turpissima morte parricidii, & aliorum scelerum pœnas luit.

Leander, Massona, Euphemius, & alii ab exsilio revocantur octavo Idus Septembris. Constantinopoli veneno moritur Licinianus metropolitanus, cui sufficitur Dominicus ex presbytero Hispalensi, valdè senex, meritis & sanctitate clarus. Qui subscripsit Concilio Toletano, ubi hæresis Ariana damnata est. Sub principium anni communione facta cum Episcopis, & palatinis Arianis, ut redirent ad fidem catholicam, restituta & consecrata est Ecclesia S. Mariæ Toleti præsentibus metropolitanis Episcopis. Et ibidem Reccaredus Rex à Massona consecratur & ungitur; ab Euphemio verò & Leandro metropolitanis Toleti & Hispalis coronatur.

627 Severus Malacitanus Episcopus pius vir & doctus ineunte anno moritur. 589

Gosiuntha Regina deprehensa, & de proditione convicta, laqueo Toleti perimitur vicesimâ quartâ Novembris.

Euphemius Episcopus Tarraconensis floret opinione sanctitatis & doctrinæ.

628 Octavo idus Maji Synodus magna xxvii. [c] Episcoporũ Hispaniæ, Galliæ, & Galliciæ con- 590
trahitur Toleti in templo S. Mariæ. Inter istos erant octo metropolitani, Massona Emeritensis, Euphemius Carpetanus, Leander Hispalensis, Nigecius Narbonensis, Nitigessius Lucensis per procuratorem Pantardum, Pantardus Bracarensis, Euphemius Tarraconensis, Dominicus Carthaginis Spartariæ, Leandro concionem habente, & eodem cum Eutropio abbate Servitano rerum ad Concilium pertinentium curam habente.

Item interfuerunt Rex Reccaredus, & Regina Badda, & abbates Eutropius Servitanus, Exsuperantius Agaliensis, Aurantius SS. Cosmæ & Damiani [qui [d] postea fuerunt Episcopi Toletani] Maximus abbas Cæsar-augustanus sanctarum Massarum, Emila S. Eulaliæ Barcilonensis [qui [e] postea fuit ejusdem urbis Episcopus] Elias abbas S. Leocadiæ Toleti [[f] postea Episcopus Salmanticensis] Terechristus abbas S. Eulaliæ Toleti [omnes isti ex ordine S. Benedicti] item Fulgentius presbyter, Maximus Cæsar-augustanus archidiaconus, Eugenius diaconus Toletanus, Isidorus diaconus Hispalensis, Joannes monachus Agaliensis abbas, postea Biclarensis.

Ex palatinis verò Helladius illustrissimus aulæ Regis Comes, & rerum publicarum Comes, Fonsa Comes Patrimoniorum, & socer Regis, Afrila Comes Spatharius, & procer . . . [qui postea etiam fuit Rex] Claudius Comes Limitaneus, & Dux, Witericus Comes-stabuli . . . [& hic etiam Rex] Argimundus Comes cubiculi, Gusinus Flavius, Avila, Ataulphus, Liuva, Odoacer, Gudila Comes Toleti, Ophilo Comes Hispalis, Ataulphus Comes Cordubæ, ex quibus multi catholici.

Habita est Synodus feriâ tertiâ viii. die Maji ipso die S. Michaëlis Archangeli, qui postea sequentibus annis Gotthis celeberrimus habitus est: Leander autem celebravit Missarum solennia. Et ibi post Euangelium hæresis Ariana, quam privatim abjuraverant Gotthi, publicè, consensu Regis, Reginæ, Cleri, procuratorum, & plebium, abjuratur.

Sedebant autem Rex & Regina in throno alto, ad dexteram Episcopi ordine suo, post Episcopos presbyteri, stabant verò diaconi; ad sinistram verò palatini omnes ordine supradicto.

629 Fides & religio Christiana in Hispania florent. Dominicus Episcopus Carthaginensis Hi- 591
spaniæ adjutorium [g] per epistolam à Rege Reccaredo petit, accepit verò Fulgentium Hispalensem presbyterum.

630 Fulgentius, Leandri Episcopi Hispalensis frater, succedit sancto Dominico Carthagi- 592
nis Spartariæ Episcopo.

631 Joannes ex abbate Biclarensi succedit Alitio in sede Gerundensi. 593

Badda Regina catholica, uxor Regis catholici Reccaredi, Toleti moritur. In æde S. Mariæ sepelitur.

632 Euphemio Toletano Episcopo succedit Exsuperius ex abbate Agaliensi, & in regimi- 594
ne monasterii Aurasius.

633 Exsuperio defuncto succedit [Adelphius, sive] Aurasius abbas Agaliensis, & eidem mo- 595.
nasterio Adelphius [abbas Aurasius.]

Sim-

[c] Immo 32. inversis notis.

[d] Hæc glossa est.

[e] Glossema id quoque olet. De hoc pariter videtur.

[g] Adjutorem fortè.

634 Simplicio Cæsar-augustano successit Maximus, qui & hoc Chronicon scripsit. 596

635 Helladius Rector rerum publicarum fit monachus Agaliensis. 597

636 Rex Reccaredus ducit Gosintham ex sanguine Regum Galliæ, quam comitatur Adelphius Episcopus, & alii. 598

637 Reccaredus Remp. feliciter regit, munera mittit Romam per Adelphium & Tonitium abbates Agalien. & Sanctorum Cosmæ & Damiani. 599

638 Reccaredus hortatu Adelphii Episcopi Toletani monasterium SS. Cosmæ & Damiani [ad Septemtrionem positum, quod Toleto distat 2.m.passuum] inundationibus rivorum penè dilapsum regio sumptu reficit. 600

Adelphio succedit Conantius in sede Toletana.

639 Leander clarus miraculis è vita discedit successore fratre Isidoro. 601

Conantio succedit Aurasius in sede Toletana.

640 Reccaredus Rex catholicus acceptâ pœnitentiâ Toleti moritur. In æde S. Mariæ sepelitur. 602

Giruva [h] ætate florenti ab Aurasio Toletano ibidem coronatur & inungitur, qui Reccaredo sacramenta ministravit.

Fulgentius ex Carthaginensi fit Episcopus Astigitanus, ut seditio orta sedaretur.

641 Decimâ quartâ Aprilis occisus Liuva Rex perfidè à Witerico, in æde S.Mariæ cum lacrymis sepelitur, quem ad Complutum sudit. 603

642 Witericus ab Aurasio Episcopo Toletano ungitur & coronatur. 604

Flavius Sisebutus fit Comes rerum publicarum.

643 Fulgentio succedit in [l] æde Carthaginensi Vincentius [qui [n] sedem tenuit nunc Carthagine, nunc Murtiæ, hoc est Vigastro.] 605

Witericus conatur hæresim excitare.

Sanctus Massona Emeritensis Episcopus Emeritæ moritur 1. Novemb. & in æde S.Ecclesiæ [l] sepelitur.

644 Helladius monachus Agaliensis mortuo Reguilane primo abbate Agaliensi creatur. 606

Catholici pugnant * * * *

Witericus quorundam precibus ædificat monasterium [ordinis [m] S.Benedicti] Tago impositum in loco edito in honore SS.Martyrum Petri, & Felicis, & sanctæ Crucis. Ei præficitur Egila primus abbas.

h Liuva.

l Sede.
n Fortè glossema est.

l S.Eulaliæ, ut credo.

m Glossa videtur.

Finis Chronici Maximi Cæsar-augustani.

CHRONICON
EUTRANDI TICINENSIS DIACONI, ET SUBDIACONI TOLETANI.

S.Patri Regimundo Episcopo Eliberitano Eutrandus inutilis servus S.

GRATUM mihi fuit, beatissime Pater, ac domine multum venerande, quòd Antapodasis nostra, in qua carmine, nunc prosa ludo, tandem ad manus tuas pervenerit. Nec minus jucundum est quod modo jubes, ut in Fuldensis monasterii bibliotheca, ubi nunc exsul commoror, quærerem tibi Chronicon Dextri, quod Maximus Cæsar-augustanus Episcopus rogatu Argebati Episcopi [n], & si vacaret ad nostra tempora producerem. Nam dicis laborare vos maximâ quorundam librorum penuriâ: inter barbaros enim & inhumanos Sarracenos non suppetit copia rerum ad vitam necessariarum, nedum ut habeatis bonorum librorum copiam. Dolui quidem vicem tuam, quòd ita duriter vitam exigas. Sed solatur te in tantis angustiis constitutum, qui [o] sicut bonus pastor ovibus tuis es solatio & auxilio, qui quotidie mortem subis omnium causâ. Chronicon quod petis in hac bibliotheca reperi in vetusta membrana descriptum, adjecique, ut jussus sum, annorum seriem ad hæc usq; tempora [idest usque ad eram DCCCCLX.] & gratulor mihi quòd cùm Toleto, ubi sub sanctissimo præsule Toletano Bonito subdiaconus fui, in Italiam proficiscerer, aliquos historiæ libros mecum asportavi, in quibus ordine erat series collecta multorum Hispaniæ Episcoporum [quos in hac bibliotheca jussu, uti credo, S. Caroli Magni Imperatoris ex Hispania allatis, quos, ut ajunt, illi obtulerat sanctissimus Elipandus Archiepiscopus Toletanus, postquam illum erroris sui de adoptione Christi seriò pœnituit] Feci quod jussisti beatissimè Pater: an voto conatus responderit, tu videbis, qui jussisti. Vale, & servum hunc exsul exsulem Deo commenda.

n Deest continuavit.

o Quòd.

CHRO-

CHRONICON
Eutrandi quondam ſubdiaconi Toletani.

p Hæc obſervatio totidem verbis legebatur in manuſcriptis ſive illa ſit ab Scolano, ſive à Fonſeca, ſive à quopiam alio.

p VERIUS dicetur hoc fragmentum, quandoquidem promittens ſuperventurum eſſe ad annum Domini DCCCCXXII. pervenit ad annum ſolummodo DCXXX. deſunt CCXCII. anni, & tantùm reperiuntur in hoc fragmento Chronici XXV. anni. Ab anno ſcilicet DCVI. ad annum DCXXX. Hic auctor corruptè & hic etiam, & à Trithemio dicitur Eutrandus. Dici debet Luitprandus. Venit Toletum ex Italia, & ibi fuit ſubdiaconus. Profectus verò ad Italiam factus eſt diaconus, de quo ſcribit Trithemius.

644 Toleti naſcitur præclaris parentibus Illephonſus, qui poſtea fuit Toletanus Epiſcopus. 606

Toleti Synodus cogitur.

645 Mahometus virus erroris ſui infuſurus in Hiſpanias venit. Cordubæ, Hiſpali, Toleti incipit ſeminare, ab Auraſio pellitur Toleto. 607

Wictericus catholicos perſequitur.

646 Theodericus q mediomartyrum Rex Hermengam filiam Witerico patri intactam remittit. 608

q Mediomatricum legendum.

647 Ad Secontiam duces Witerici Romanos fundunt. 609

Synodus Lucenſis in Hiſpania, illi præfuit Auraſius.

648 Mortuo Toleti Witerico ſubrogatur Gundemarus. 610

649 Gundemarus Concilium Toleti cogit. 611

650 Gundemaro ſuccedit Siſebutus Rex. 612

651 Bonifacio Papæ Deus-dedit ſufficitur. 613

652 Mortuo Auraſio invitus ſifficitur in ſede Toletana Helladius. 614

S. Vir Vincentius Epiſcopus Carthaginenſis Romæ moritur.

653 Joannes Exarchus Ravennæ populari tumultu cæditur. 615

654 Extruſo per vim Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi intruditur Gordianus, ad quem Deus-dedit literas dat. 616

655 Deuſ-dedit moritur. Illi ſuccedit Bonifacius. 617

656 Iſidorus ſedi ſuæ reſtituitur. 618

Civitas Caſota r Epiſcopis deſtituitur.

r An Aſotal ut infrà.

657 Mahometus in Arabia ſectæ ſuæ libros invulgat. 619

658 Mortuo Siſebuto die 18. Novembris ſuffectus eſt in regno Gotthorum Svinthila. Iſidorus ſecundo Concilio Hiſpalenſi præeſt. Sub ejus diſciplina Illephonſus multum profuit. 620

659 Bonifacium Papam Honorius ſequitur. 621

660 Maximus ex monacho Cęſar-auguſtanus Epiſcopus habetur clarus. 622

661 Exacto Adabaldo creatur Rex Longobardorum Aubaldus. 623

Sedes Aſſotæ Bigaſtrum transfertur.

662 Maximus Epiſcopus Cæſar-auguſtanus moritur. 424

Reverſus Hiſpali Illephonſus. Eum Helladius diaconum facere volebat. Ille verò cedens ſęculo vitam agit in cœnobio Agalienſi, quod in ſuburbio Toleti eſt, ut nôſti [ſeptemtrionem verſus, non procul à flumine Tago, & à Pretorienſi templo S. Leocadię circiter 300. paſſus diſtat] quod ego dum fui Toleti frequenter inviſi.

Tonantius Palent. Epiſcopus moritur.

663 Helladius vitę ſanctitate totâ Hiſpaniâ celebratur. 625

Primigenius Patriarcha Gradenſis.

664 Heraclytus s victor repetita Cruce Jeroſolymam adiit. Kal. Januarii Fulgen. Aſtigitanus moritur. 626

s Heraclius.

665 Svinthila Rex Wiſi-Gotthorum in conſortium regni Rechimirum filium admittit. 627

666 Illephonſus monachus ab Helladio Toletano Epiſcopo ad diaconatum promovetur. 628


667 Svinthila regno pulſus moritur, ſublatoque Helladio, Rege jam Siſenando, ſuccedit Juſtus archidiaconus, & Joanni Cęſar-auguſtano Braulio. 629

668 630

Explicit fragmentum Eutrandi.



INDEX



INDEX

Rerum memorabilium quæ in hoc Opere continentur.

A

Catta-

Quæ in hoc opere continentur.

Ano-

Quæ in hoc Opere continentur.

Aqua-

Quæ in hoc Opere continentur.

Arza-

Index rerum memorabilium

Ejus

B

Ger-

Anxie-

Quæ in hoc opere continentur.

Index rerum memorabilium

C

Ipse

Quæ in hoc opere continentur.

Hiero-

Vos-

Gene-

F

Mabillo-

G

Le-

Ara-

Hera-

Quæ in hoc opere continentur.

Hilarii

Nu-

Quæ in hoc opere continentur.

I

Hymnos

Con-

An

Quæ in hoc opere continentur.

Ad

Juris

Quæ in hoc opere continentur.

K

L

Præ-

Quæ in hoc opere continentur.

M

Euge-

Con-

N

Roma-

O

Con-

Quan-

Quæ in hoc opere continentur.

Pio-

Quæ in hoc opere continentur.

Q

Quaris

Ray-

Quæ in hoc opere continentur.

S

Quæ in hoc opere continentur.

Quæ in hoc opere continentur.

Quæ in hoc opere continentur.

T

Capitula

V

Quæ in hoc opere continentur.

Witte-

F I N I S.

